TRIUMPHUS BIBLIORUM SACRORUM

Seu

ENCYCLOPÆDIA BIBLICA

Exhibens

Triumphum philoſophiæ, iuriſprudentiæ, & medicinæ ſacræ, itemq; ſacroſanctæ theologiæ, quatenus illarum fundamenta ex Scriptura V. & N. T. colliguntur.

Authore

JOHANNE-HENRICO ALSTEDIO.



FRANCOFURTI,

Apud BARTHOLOMÆUM SCHMIDT.

ANNO M. DC. XXV.

Joh. Conrad Caiſſenig D.

MENS AVTHORIS
In hoc opere.

DVo mihi proposui hoc in opere: vnum, vt animum meum exuerem opinionibus philosophicis, quæ non possunt non adhærescere ijs, qui vulgarium philosophorum scripta, sepositis Scripturis sacris, euoluunt, eaq; sibi proponunt canonem: alterum, vt Biblia sacra in locos communes ita redigerem, vt inde systema methodicum conficerem, pandectasq; illas sacras iuuentuti eò familiariores redderem. Cùm verò primam hac in re glaciem fregerim, veniam mihi dari peto. Satis mihi fuerit, si hoc assecutus fuero, vt præceptores & discipuli tandem aliquando intelligant, à Bibliis sacris esse incipiẽdum, inque illis desinendum. Ita enim fiet, vt non solùm

verâ pietate imbuant animos, ſed etiam hanc Encyclopadiam Biblicam reddant multò locupletiorem præceptis, exemplis & commentarijs. Ego ſatis habui, lineas ducere in opere hoc admirando, cui ſemper aliquid poteſt addi ex fonte Scripturarum inexhauſto.

PRÆ-

PRÆFATIO
IN TRIVMPHVM
ſacrorum Bibliorum.

EA eſt ſacrarum literarum perfectio, lector beneuole, vt, præterquam quòd nos poſſunt ſapientes reddere ad ſalutem *2. Tim. 3. 15.* ea quoq; contineant, quæ pertinent ad ſublimiorem eruditionem philoſophicam, medicam, & iuridicam. Intellexerunt hoc ſuperiori æuo viri Chriſtianiſſimi, *Franciſcus Valeſius Hiſpanus, Leuinus Lemnius Belga, Lambertus Danæus Gallus, Cunradus Heresbachius Germanus.* E quibus *Franciſcus Valeſius*, medicus & philoſophus, aggreſſus eſt ſcribere de ſacrâ philoſophiâ, eâ methodo, vt ex ſacris Biblijs excerperet ea

loca, quæ reconditam philoſophiæ doctrinam continent. Hunc ſuum laborem tali ornauit programmate: *Hactenus ſcripſi ad opinionem, nunc ſcribam ad veritatem.* Quaſi dicat, ſolam Scripturam ſacram eſſe canonem veritatis in philoſophiâ. Tametſi enim Scripturæ ſacrę non ſunt à Deo datæ, vt diſcamus inde philoſophari: nihil tamen impedit, quò minùs inde excerpamus ſemina & principia bonarum artium, quæ hinc indę ſunt ibi ſparſa. *Leuinus Lemnius* ſcripſit dilucidam explicationem ſimilitudinum ac parabolarum, quæ in Biblijs ex herbis atque arboribus deſumuntur: in quâ n...ratione ſingula loca explanat, quibus prophetæ, obſeruatâ ſtirpium naturâ, conciones ſuas illuſtrant, diuinaque oracula fulciunt. *Lambertus Danæus* edidit Phyſicam,

cam, Ethicam, & Politicam Christianam: vbi sacram Scripturam sibi proposuit Lydium veritatis lapidem. *Cunradus Heresbachius* publicauit epitomen iurisprudẽtię Christianæ, in quâ leges Moysis elegantissimo ordine digessit. Tantorum virorum vestigia secuti sunt nostrâ ætate *Otho Casmannus* in Ethicâ & Oeconomicâ theosophicâ; *Iohannes Althusius* in ciuili conuersatione; *Grosßius* in compendio medicinę ex S. literis deprompto; & *Conradus Aslacus Danus*, qui scripsit Physicam & Ethicam Mosaicam. His verò omnibus longè acutiùs vidit author præfationis, quæ præfixa est Latinæ versioni Bibliorum Tiguri editorum. Ille siquidem prolixè ac eruditè demonstrat, in sacrorum Bibliorum codice, tanquam in cornu aliquo copiæ, contineri semina

vniuerſæ philoſophię. Quod ipſum & ego planum feci ſuperiori anno 1614. in dedicatione & præfatione methodi meæ theologicæ: vbi inter alia recepi, me, ad vmbilicum perductâ iſtâ methodo, cõcinnaturum *Encyclopædiam Biblicam* ſeu, quod idem eſt, *Triumphum Bibliorum, adeoque philoſophiæ, iurisprudentiæ & medicinæ ſacræ, & ſacroſanctæ theologiæ.*

Hoc iam nunc Deo duce præſto, & ita præſto, vt, quidquid eſt rerum philoſophicarum, iuridicarum, medicarum & theologicarum in diuiniſſimo Scripturæ canone, certâ methodo ad facultatum & diſciplinarum capita & ſyſtemata, vel ſyſtematum partes, vel denique variorum ſyſtematum combinationes reuocem. Quod vt intelligi poſſit faciliùs, ita ſtatuere oportet, diſciplinam ſiue ſcientiam, ho-

am, homine dignam, aut esse integrum aliquod systema, aut systematis partem, aut denique plurium systematum farraginem. Sic verbi gratia *Physica* est systema integrum: *Cosmologia* est systematis physici pars: *Magia naturalis* est farrago physices & matheseos. Vnde liquet, omnem, quæ cum rectâ ratione suscipitur, tractationem, esse tripartitam. Quod quidem hoc loco præterire minimè oportuit: ne varietas titulorũ in hoc opere hanc fortè alicui ingereret opinionem, innumerabiles esse philosophici circuli disciplinas. Oportet hîc accuratè discernere inter disciplinam, & partem disciplinæ: & rursus inter disciplinam, & plurium disciplinarum combinationem. Sic itaque habeas velim. Quidquid in hoc opere occurrit, aut est disciplina in-

tegrè tractata, aut pars disciplinæ, aut denique duarum vel plurium disciplinarum farrago. In quibus tradendis ita sum versatus, vt ex sacris literis desumpserim vel res, vel methodum, vel exempla: & rursum res, vel αὐτοψίαν, vel per bonam consequentiam. Tuum est, lector Christiane, hunc nostrum laborem benignè interpretari, atque ita apud animum statuere tuum, optimum philosophandi, genus esse, si quis ex Bibliis petat ἔνμα καὶ πορφύραν, *vestem & purpuram*, laudatissimi huius studij. Ita enim fit, vt iuuentus reddat sibi familiarem hunc sacratissimum codicem, & coniungat pietatem cum eruditione, & ab his certissimis initijs assurgat ad apicem philosophiæ sobriæ & solidæ.

De

De iurisprudentia & medicina idem est iudicium. Sed quid ego iuuentutem commemoro? Senes philosophi, iuriscoſs. & medici portum suæ sapientiæ constituunt sacram Scripturam. Quin itaque imitamur *Alexandrum Magnũ*, qui tanto erga Homeri Iliada flagrauit amore, vt illam velut θήκην τῆς ἀρετῆς in castris circumferre, noctuq; loco puluinaris capiti suo substernere sit solitus: & *Platonem*, qui Sophronem suum noctu sub culcitrâ collocauit, & iam moribundus capiti suo subiectum habuit: deniq; *Scipionem Africanum*, qui Xenophontem de παιδείᾳ Cyri nunquã è manibus deposuit. Hos, inquam, ethnicos cur non imitamur in sanctiore & vtiliore studio, lectione nimirum Scripturæ sacræ, quæ sola est χειμήλιον αἰώνιον, πηγὴ χρυσοφόρος, θησαυρὸς ἀμίαντος, φάρμακον ψυχῆς, βάσις ἐπιστήμης.

Sed

Sed quid ago? Valde metuo, nè hoc seculo arrogante & proteruo idem accidat, quod post Italiæ vastitatem à Gothis Vandalisq; affectam accidisse, in historijs legimus. Religiosi tũ fuerunt attentiores in legẽdis cõmœdijs, quàm in euangeliis: nobiles matronę cum maiore plausu audiuerunt lyram Flacci, quàm præcepta Salomonis: exercitatiores fuerunt in artibus Nasonis, quàm in lectione Pauli: illud Damaso pontifici conqueritur Hieronymus, hoc abbati Salmoni Victor Massilienſis.

* *
*

PRÆCOGNITA.

I. PRÆCOGNITA ſunt axiomata, quibus præparatur animus ad faciliorem rei tractationem. *Duo ſunt modi docendi*, abruptus & præparans. *Modus docendi abruptus eſt*, quando ad ipſam rem venitur abſque præuiâ præparatione. Ita Moſes *Gen.* 1. ex abrupto incipit telam hiſtoriæ ſuæ. *Modus docendi præparans* eſt, quando aliquid dicitur in anteceſſum, vt via muniatur ſequenti tractationi. Sic Lucas auſpicatur ſuum euangelium *Luc.* 1. & Paulus ſuam diſputationem *Act.* 17. *verſ.* 22. 23. Ad hunc poſteriorem docendi diſcendique modum pertinent *Præcognita*, hoc eſt, eiuſmodi theoremata, quæ præmittuntur cognitioni alicuius rei, vt illa fiat facilior. Huiuſmodi præcognita ſunt varia. Et primo quidem ſunt *præcognita integri alicuius ſyſtematis*: vnde tot ſunt præcognita, quot ſunt facultates & artes: videlicet præcognita theologica, iuridica, medica, philoſophica; & hæc rurſus metaphyſica, phyſica, logica &c. Deinde ſunt *præcognita alicuius loci communis*. Ita ſi quis inſtituat ſeorſim agere de iuſtitiâ, oportet vt tradat præcognita de ethicâ, de affectibus, de virtute in genere. Similiter ſi diſſerendum ſit de liberatione hominis, præmittenda ſunt præcognita de hominis miſeriâ. Poſtremò ſunt *præcognita diſputationum*, quæ ſumuntur ex parte ſubiecti & prædicati. *e.g.* ſi diſputanda ſit quæſtio, *An Petrus fuerit epiſcopus Romæ*, ex parte ſubiecti prægnoſcendum eſt, quod Petrus fuerit apoſtolus Iudæorum: ex parte prædicati, quid ſit epiſcopum agere. Nobis hoc loco propoſitum eſt agere de Præcognitis facultatum.

II. Præcognita facultatum & diſciplinarum duabus continentur partibus, quarum prima naturam,

turam, altera ſtudium facultatis & artis alicuius explicat. Nam hæc duo præſupponuntur & præexiguntur, ſi quis ad frugalem alicuius facultatis & ſyſtematis notitiam peruenire deſideret.

III. Natura facultatis & artis alicuius eſt eius propria affectio, conſiſtens in conuenientiâ & differentiâ. Diſcuntur autem iſta duo, ſi attendatur ad facultatis & artis principia, genus habitus, & ſedem, quam iſta facultas & ars obtinet. De principiis tractat *Archelogia*, de habitibus *Hexilogia*, de ſede *Technologia*.

IV. Studium facultatis & artis eſt, quo facultas & ars diſcitur, quantum ſatis eſt. Doctrina enarrans rationem iſtius ſtudij appellatur *Didactica*.

Atque hæ ſunt quatuor partes præcognitorum, quæ in omnibus facultatibus & artibus obſeruari debent. Eſt enim *v. g.* Archelogia theologica, philoſophica, iuridica &c. Similiter hexilogia, technologia & didactica theologica, philoſophica, &c. Nos perſequemur illa, quæ omnibus facultatibus & artibus ſunt communia.

II.

ARCHELOGIA SACRA.

I. Archelogia ſacra eſt prima pars præcognitorum, monſtrans rationem colligendi principia cuiuſque facultatis, idque adminiculo ſ. literarum. Huiuſmodi archelogiam tradit Moſes *Exod.* 20. vbi promulgat decalogum, qui complectitur principia legum, quæ deinceps recitantur in Exodo.

II. Principia alicuius facultatis ſunt fundamenta, quibus illa nititur.

III. Principia iſta ſunt eſſendi vel cognoſcendi. Hæc diuiſio ſumta eſt ex ipſa rei naturâ, & occurrit *Exod.* 20. vbi *verſ.* 1. & 2. eſt principium eſſendi, Deus: *verſ.* 3. *& ſeqq. vſq; ad* 18. ſunt principia cognoſcendi.

IV. Prin-

IV. Principia essendi alicuius facultatis sunt quatuor causæ, quibus facultas suam debet originem. Ex his causis duæ sunt externæ, efficiens & finis; & totidem internæ, materia & forma. *Efficiens causa facultatis alicuius* est partim prima, partim secunda. *Prima* est Deus, qui per Spiritum suum bonum dat sermonem sapientiæ, sermonem notitiæ, donum sanationum, operationem virtutum, prophetiam, discretionem spirituum, genera linguarum, interpretationem linguarum. 1. *Cor.* 12. *vers.* 6. 7. 8. 9. 10. Efficiens *secunda* est triplex. I. *Inuentrix*: homo, heroico intellectus agentis lumine præditus. *Gen.* 4. *vers.* 2. 20. 21. 22. II. *Impulsiua*: vt est, *in homine quidem* cognitio defectuum naturæ humanæ, & naturale sciendi desiderium omnibus insitum, *in rebus autem sciendis & agendis* eximia pulchritudo, dignitas, certitudo, iucunditas, & vtilitas. III. *Instrumentalis*: vt sunt quatuor illa inueniendarum, constituendarum, & examinandarum facultatum, methodico systemate comprehensarum & naturæ lumine notarum, instrumenta: Sensus, Obseruatio, Experientia, & Inductio: è quibus *Sensus* primò facit suum officium, habetq; vim scientiæ: *Obseruatio* est plurium sensionum collectio: *Experientia* est plurium obseruationum comprehensio: *Inductio* est plurium experientiarum collectio. Quatuor hæc instrumenta quomodo coniunxerit Salomon, vide *Ecclesiastis* 1. *vers.* 2. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *& cap.* 2. *vers.* 2. *& seqq. & cap.* 3. *per totum*: vbi Salomon dicit, se *vidisse applicasse animum ad disquirendum, cognouisse* (scilicet experiundo) & tandem *dixisse cum animo suo, ecce ista omnia sunt vanitas.* Eundem in modum omnia dogmata & axiomata artium sunt constituta, *e.g.* homo *vidit*, magnetem trahere ferrum: & hoc aliquoties *obseruauit*: & obseruando *expertus est*: & deniq; post multiplicẽ experientiã ita collegit *inducendo*, Magnes trahit ferrum in Germaniâ, Indiâ, Persiâ, &c. Ergo omnis magnes trahit ferruũ. Ex his efficitur, quatuor ista instrumenta aureis literis præscribenda esse scholis liberalibus

libus ob eximiam, quam nobis adferunt, vtilitatem, etiam in theologicis. Nam & ibi locum habet ista catena, iuxta illud Psaltis, *Gustate & videte, quàm suauis sit Dominus, Psal. 34. vers. 9.* Sequitur *finis*, qui propositus est facultatibus & artibus ingenuis. Et primò quidem *finis generalis*, ad quem collineare debent omnes facultates & artes, est triplex: videlicet purgatio, illuminatio, & vnio. Quâ de re insignis est locus apud *Dionysium Carthusianum de fonte lucis*, vbi ait: *Triplex est via salubris. Prima est via purgatiua: secunda, illuminatiua: tertia, vnitiua seu perfectiua. Purgatio* est, quâ intellectus, affectus, & lingua liberantur sordibus illis, quibus inquinantur. *Illuminatio* est, quâ lumen infunditur intellectui liberato à sordibus, indeque transfunditur in voluntatem & linguam. *Vnio* est, quâ homo iam purgatus & illuminatus coniungitur cum Deo, Patre illo luminis. Atque hæc est scala illa finium, per quam in omnibus artibus debemus ascendere: quatenus nempe hoc debemus agere, vt à sordibus & defectibus nostris liberati purgemur, purgati illuminemur, illuminati vniamur Deo. Hoc sibi vult ista solennis formula quâ Deus compellat populum suum: *Sancti estote, quia ego sanctus sum. Leuit. 11. vers. 43. 44.* Huic fini generali adiungi debet *Specialis* siue proprius, quem habet aliqua facultas & ars, quique proinde cum illâ reciprocatur. Sic finis proprius Grammaticæ est bene loqui, Arithmeticæ bene numerare &c. *Materia* facultatis alicuius sunt termini, præcepta definitionum & distributionum, regulæ, & commentaria, quibus illa absoluitur. Ex his *termini* sunt notiones simplices: *definitiones & distributiones*, notionum simplicium explicatio: *regulæ*, definitionum & distributionum consectaria: *commentarij*, terminorum, præceptorum, & regularum vberior explicatio, & ad vsum applicatio. *Forma* facultatis alicuius est pulcherrimus ordo, quo singulæ partes harmonicè inter se cohærent, sibique inuicem respondent.

V. Principia cognoscendi alicuius facultatis sunt

ſunt axiomata, à quibus pendet accurata iſtius facultatis cognitio. Huiuſmodi axiomata apud theologos continentur in quinque capitibus Catecheticis, apud ICtos in regulis iuris, apud medicos in aphoriſmis Hippocratis, apud Chymicos in tabulâ ſmaragdinâ Hermetis, apud mathematicos in elementis Euclidis. Horum principiorum neceſſitas eſt longè maxima. Sunt enim veluti *radices*, ex quibus propagines omnium artiũ deducuntur: *normæ*, ſecundum quas diſcurſus dirigitur: *elementa*, ex quibus omnia primò componuntur, & in quæ vltimò reſoluuntur. Vnde ſcitè appellantur *primæ veritates*, *dignitates*, *axiomata confeſſa &c.*

VI. In his principiis conſiderare oportet fontes, proprietates, & diuiſiones.

VII. Fontes principiorum cognoſcendi ſunt, è quibus illa deriuantur. Suntque duo: putà liber naturæ, & liber Scripturæ. Nam quidquid ſcimus, aut ex opificio mundi per lumen naturæ nobis inſitum, aut ex verbo Dei per lumen gratiæ nobis infuſum, deducitur. De priori fonte vide *Rom. 1. verſ. 19. 20. c. 2. verſ. 14. 15.* de poſteriori, *Rom. 1. verſ. 16. cap. 15. verſ. 4.* Cum hâc ſententiâ non pugnat, quod vulgo dicunt, tria eſſe artium & facultatum omnium criteria, *Rationem, Experientiam, & Scripturam ſacram.* Nam experientia pertinet ad librum naturæ.

VIII. Proprietates principiorum cognoſcendi ſunt veritas, neceſſitas, ſimplicitas, & facilitas. Nam principia ſcientiarum ita ſe habent, vt ſint πρώτως ἀληθῆ, *primò-vera*, adeoque cauſa veritatis concluſionum: *primò-neceſſaria*, adeoq; cauſa omnis neceſſitatis: *ſimpliciſſima*, ita vt in ipſa reſoluantur concluſiones: denique *facillima*, ita vt ſtatim poſſint intelligi, ſi modò conſtet de vocum ſiue terminorum ſignificatione. Quatuor has proprietates obſeruare licet in ſingulis decalogi præ-

gi præceptis: item in illo, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Confer *Matth. 7. vers. 12. Luc. 6. vers. 31.*

IX. Diuisiones principiorum cognoscendi sunt variæ: è quibus præcipuæ sunt istæ:

1. *Principia sunt theoretica, vel practica.* Illa gubernant cognitionem veri, hæc actionem boni, siue illud sit morale, siue artificiale. Teneantur hic duo axiomata valde illustria: *Optima speculatio non est nisi ratione optimi speculabilis, quod est Deus: Beatitudo est optima actio optimæ potentiæ in optimo obiecto.*

2. *Principia sunt communia, vel propria.* Illa pluribus artibus inseruiunt, vt sunt principia metaphysica & logica: hæc ad vnam duntaxat artem pertinent, vt sunt principia physica. Sic decalogus complectitur principia, quibus communiter vtuntur ethica, œconomica, politica, iurisprudentia.

3. *Principia sunt immediata, vel mediata.* Illa sunt simpliciter prima, ideoque à priori non possunt demonstrari: hæc ab aliis dependent, & proinde admittunt demonstrationem.

4. *Principia sunt naturalia, vel supernaturalia.* Illa vel nascuntur nobiscum, vel acquiruntur studio proprio: hæc reuelantur & infunduntur à Deo. Hinc oriuntur *tres gradus principiorum. In supremo gradu* sunt principia supernaturalia, quæ Deus reuelat in scholâ gratiæ, vel gloriæ. Illa videntur lumine fidei, hæc lumine visionis beatificæ. *1. Cor. 13. vers. 9. 10. 12. In medio gradu* sunt principia naturalia innata, quæ bonis authoribus appellantur ἐνανσύματα, ζώπυρα, προλήψεις, κοιναὶ ἔννοιαι, igniculi, scintillæ, semina, anticipationes, notiones communes, notiones per excellentiam, notiones ingeneratæ, intelligentiæ inchoatæ, adumbratæ, complicatæ, & inuolutæ, notiones præceptæ seu ante perceptæ, notiones insitæ, decreta passiua, id est, omnibus communia. De his principiis est aurea Epicteti sententia: *Caue notiones singulis rebus temerè & vanè accommodare. Hæc est causa mortalibus omnium malorum,*

rum, non posse communes notiones aptare singularibus. Sic notio est in animo, *Mala sunt vitanda, bona sequenda*: sed cum ad facta venitur, alias notiones nobis formamus, hoc & illud malum bonumque esse, quæ reuerâ non sunt, & sic principio bono in malum finem desinimus. Ita si quis tria ista principia iuris, *Honestè viuere, Neminem ladere, Suum cuique tribuere*, malè applicet, conclusiones malæ deducentur ex bonis principiis. Hic itaque tenenda est regula, *Communis notio non opinione aut affectu, sed Scripturâ, Ratione, & Experientiâ duce accommodari debet ad circumstantias.* Cæterùm quando dicimus, huiusmodi principia naturaliter nobis esse insita, nobisque concreata, non intelligimus literas & syllabas, sed rem ipsam: neque intelligimus naturas distortas & Cyclopicas, de quibus *Psalm.* 14. sed rectè se habentes: denique non intelligimus facultatem intelligendi omnibus insitam, sed species quasdam intellectui agenti impressas, quæ in omnibus hominibus sunt eædem. *Rom.* 2. *vers.* 14. 15. Atque hic est secundus gradus principiorum. *In tertio, eoque infimo, gradu* sunt principia naturalia acquisita per institutionem humanam: cuiusmodi sunt innumera philosophorum principia. Varietas ista graduum certitudinis & dignitatis parit varia principiorum nomina, quibus ipsa appellantur: putà, principia αὐτόπιστα & ἀξιόπιστα, axiomata primò prima, principia illimitata, principia limitata, postulata, petitiones, pronuntiata honoraria, &c.

III.

HEXILOGIA SACRA.

I. HExilogia sacra est secunda pars præcognitorum, ex s. Scriptura monstrans habitum illum, qui nos in facultatibus instar luminis dirigit in cognoscendo & agendo. *Habitus* est qualitas firma, per quam homo potest agere expeditè.

Eſtque verus vel falſus; bonus vel malus; neceſſarius vel contingens; ſimplex vel mixtus; extremus vel indifferens; intellectualis vel moralis; totalis vel partialis; ordinarius vel extraordinarius; theoreticus vel practicus; innatus, acquiſitus, vel infuſus, &c. Ex his habitibus illi ſunt hoc loco conſiderandi, qui facultatibus & artibus ſunt loco vel generis, *e.g.* phyſicæ genus eſt ſcientia, ethicæ prudentia, &c. vel fundamenti: vt ὁ νᾶς eſt fundamentum philoſophiæ theoreticæ, ἡ σωφροσύνη, practicæ.

II. Habitus, qui nos in facultatibus dirigit, conſideratur in ſe, vel oppoſitè: & rurſus in ſe, vel ſimpliciter, vel compoſitè.

III. Habitus iſte ſimpliciter ſpectatur in lumine naturæ & gratiæ. Quod attinet ad lumen gloriæ, illud non eſt præſentis, ſed futuræ, vitæ.

IV. Lumen naturæ eſt habitus innatus, vel acquiſitus, quo inclinamur ad aſſentiendum principijs & concluſionibus naturalibus. Eius radij ſunt ſex: intelligentia & ſyntereſis, *ſapientia & ſcientia, prudentia & ars.* Confer *Prouerb.* 1. *ver.* 2. 4. 5. *c.* 2. *ver.* 2. 6. *Rom.* 2. *verſ.* 15. *Exod.* 39. *v.* 6. 29. Ex his *intelligentia* eſt habitus primorum principiorum theoreticorum, quo fit, vt homo intelligat, hoc eſt, ſtatim ſine inſtitutione & demonſtratione admittat prima principia theoretica, qualia ſunt, Totum eſt maius ſuâ parte, Bis duo ſunt quatuor. *Syntereſis* eſt habitus primorum principiorum practicorum, quo fit, vt homo ſine morâ approbet prima principia practica, cuiuſmodi ſunt in decalogo. *Rom.* 2. *v.* 14. 15. *Sapientia* eſt habitus concluſionum theoreticarum, quo fit, vt homo aſſentiatur concluſionibus theoreticis demonſtratis per primas & altiſſimas cauſas. *Scientia* eſt habitus concluſionum theoreticarum, quo fit, vt homo aſſentiatur concluſionibus theoreticis demonſtratis per proxi-

proximas cauſas. *Prudentia* eſt habitus concluſionum practicarum, quo fit, vt homo aſſentiatur concluſionibus practicis, quatenus illæ deducuntur ex ſuis principijs ad omnes circumſtantias congruentibus. *Ars* denique eſt habitus concluſionum poëticarũ ſiue organicarum (earumq; tum liberalium, tum mechanicarum) quo fit vt homo aſſentiatur concluſionibus poëticis, quatenus illę deducuntur ex ſuis principijs iam ante bono artifici probatis. Hi ſunt radii luminis naturæ, quibus illuminantur omnes facultates & diſciplinæ, quas homo citra reuelationem diuinam poteſt docere & diſcere, cuiuſmodi ſunt philoſophia, iuriſprudentia, & medicina. De vſu horum radiorum eſt hic canon: *Quidquid eſt intelligibile, recolibile, & amabile ſeu volibile, illud eſt ſtatuendum & approbandum.* Sic *e.g.* magis eſt intelligibile, recolibile, & amabile, aſſerere, Deũ eſſe, quàm, Deum non eſſe. Quare ſi aliquid occurrat naturali lumine diiudicandum, excutiamus opes rationis poſt lapſum reliquas tanquam naufragi alicuius tabulam, ne ſimus vt equus & mulus, expertes intelligentiæ *Pſal. 32. verſ. 9.*

V. Lumen gratiæ eſt fides ſaluifica, quâ inclinamur ad aſſentiendum principijs & concluſionibus ſupernaturalibus. Fieri ſiquidem non poteſt, vt lumen naturæ pertingat ad ea, quæ ſuperant naturam: cùm nihil agat ſupra vires & vltra ſpeciem ſuam. Neceſſe itaque eſt, vt nobis infundatur lumen ſupernaturale, quo res ſupernaturales videamus. *Heb. 11. verſ. 1.*

VI. Habitus compoſitè ſpectatus admittit variam mixtionem. Et *primò* quidem lumen naturæ coniungitur cum lumine gratiæ, vt in primo ſymboli articulo, & in alijs quibuſdam videre eſt. *Deinde* intelligentia & ſyntereſis, intelligentia & ſapientia, intelligentia & ars, ſyntereſis & prudentia &c. multifariam coniungi poſſunt, ita nempe, vt vnus habitus alteri veluti manum porrigat. Sic quintum decalogi præceptum,

Honora patrem & matrem, pertinet ad syntereſin, quatenus eſt principium: ad prudentiam, quatenus incidit ſpecialis caſus & circumſtantia circa honorem parentum, magiſtratuum, præceptorum, &c. Similiter rhetorica eſt ars, quæ multum requirit prudentiæ, vt grammatica multum ſcientiæ.

VII. Habitus oppoſitè ſpectatur in iis, quæ pugnant cum lûmine naturæ, vel gratiæ. Eiuſmodi autem res ſunt variæ, quarum aliæ habent rationem nebulæ, aliæ tenebrarum. Ibi ſunt opinio, fides humana, dubitatio, & ſuſpicio: hîc eſt error, & incredulitas. Quatuor priora tolerantur in hâc humanâ imbecillitate: duo priora tolerari non debent.

Atque hæc eſt hexilogia, cuius vſus inter alia eſſe debet, vt in omnibus actionibus noſtris diſpiciamus, num aliquid conſentiat cum lumine naturæ vel gratiæ, necne. Oportet enim, vt illa ſint luce aliquâ prædita, quæ ſunt vera & bona. Neque verò id eſt mirum. Nam nihil eſt verum aut bonum; quod non conſentit cum Deo, qui eſt mera lux. Oremus itaque cum Dauide: *In lumine tuo videbimus lumen Pſal. 36. verſ. 11.*

IV. Technologia ſacra.

I. Technologia ſacra eſt tertia pars præcognitorum è Scripturâ enarrans varietatem rerum homine dignarum, vel indignarum.

II. Res homine dignæ traduntur in quatuor facultatibus, & artibus mechanicis.

III. Quatuor facultates ſunt philoſophia, theologia, iuriſprudentia & medicina. Confer *1. Reg. 4. verſ. 29. 30. 31. 32. 33. 2. Tim. 3. verſ. 16. Exod. 21. Gen. 50. verſ. 2. Coloſſ. 4. verſ. 14. Eſa. 3. verſ. 2. 3. Sirach. 43. verſ. 3. 4. 5. 6.* Harum comprehenſio dicitur *Encyclopædia*.

IV. In iis ſpectatur ordo & habitudo.

V. Ordo inter facultates eſt naturæ, dignitatis, vel melioris cognitionis. *Ordo naturæ* progreditur

tur à ſimplicioribus ad compoſita, & ita philoſophia eſt omnium ſimpliciſſima, dehinc medicina, tum iuris prudentia, poſtremò theologia. Nam medicina paucioribus philoſophiæ partibus vtitur, quàm iuriſprudentia vel theologia. *Ordo dignitatis* eſt, quo præmittuntur honorabilia minus honorabilibus. Ita theologia primas tenet: vtpote quæ docet modum perueniendi ad ſummum hominis bonum. Eam proximè ſequitur iuriſprudentia, quatenus propoſitum ſibi habet bonum publicum ſocietatis ciuilis. Hanc ſequitur medicina, occupata circa bonum corporis. Vltimum locum obtinet philoſophia, tanquam inſtrumentum tribus ſuperioribus facultatibus inſeruiens. Atque hæc eſt comparatio ſiue contentio quatuor facultatum minimè dubia. *Ordo melioris cognitionis* incipit à philoſophiâ, & progreditur ad illam facultatem, cui aliquis ſe addicere cupit.

VI. Philoſophia eſt comprehenſio diſciplinarum, quæ tribus ſuperioribus facultatibus inſeruiunt. *Diſciplinæ* iſtæ ſunt pragmaticæ, vel philologicæ. *Diſciplinæ pragmaticæ* tradunt ipſas res: vnde etiam reales & obiectiuæ dicuntur. Suntque theoreticæ, vel practicæ. *Theoreticæ* dicuntur *ſcientiæ*; quarum tria ſunt capita: *metaphyſica, phyſica, & mathematica.* Inter metaphyſicam & phyſicam interiecta eſt *Pneumatica*; quam alij ad metaphyſicam, alij ad phyſicam referunt. Mathematica complectitur *arithmeticam, geometriam, coſmographiam, vranoſcopiam, geographiam, opticam, muſicam, & architectonicam.* Diſciplinæ *practicæ* appellantur *prudentiæ*; quarum capita itidem ſunt tria: *ethica, œconomica, politica.* Politicæ ſubordinatur *ſcholaſtica. Diſciplinæ philologicæ* dicuntur *artes*, quæ tradunt inſtrumenta liberalia: vnde etiam directiuæ, organicæ, & poëticæ appellantur. Ipſarum capita itidem ſunt tria: *grammatica, rhetorica, logica*; quæ vulgo appellantur *triuium.* Grammaticam anteit *lexica*: rhetoricam & logicam ſequitur *oratoria*: ex omnibus iſtis reſultant

tant *poëtica & mnemonica*. Atque hæ ſunt diſciplinæ philoſophicæ, inter quas itidem eſt triplex ordo, videlicet naturæ, dignitatis, & facilioris cognitionis. *Ordo naturæ* progreditur à diſciplinis theoreticis ad practicas, & ab his ad poëticas, ſiue à notionibus primis ad ſecundas. Quem ordinem modò expreſſimus. *Ordo dignitatis* eſt varius. Ita enim politica præcedit reliquas omnes, tanquam συναλικὴ καὶ ἀρχιτεκτονικὴ. Rurſus logica præcedit grammaticam, &c. *Ordo facilioris cognitionis* progreditur ab iis, quæ ſunt faciliora reſpectu noſtræ imbecillitatis. Ita notiones ſecundæ præmittuntur primis, eâque de causâ *artes* appellantur *diſciplinæ pueriles*, quia in pueritiâ & iuuẽtute ſunt diſcendæ: *ſcientiæ, viriles*, quia virilis ætas iis inprimis impenditur: *prudentiæ, graues & liberæ*, quia ingraueſcens & affecta ætas circa eas inprimis occupatur. De his philoſophiæ partibus (vt & reliquis tribus facultatibus) inſignis eſt locus *Sap. 7. verſic.* 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Ἐμοὶ δὲ δέδωκεν ὁ θεὸς εἰπεῖν κατὰ γνώμλν, καὶ ἐνθυμηθῆναι ἀξίως τῶν διδομένων, ὅτι αὐτὸς καὶ τῆς σοφίας ὁδηγός ἐστι καὶ τῶν σοφῶν διορθωτής. Ἐν γὰρ χειρὶ αὐτοῦ καὶ ἡμεῖς καὶ οἱ λόγοι ἡμῶν, πᾶσά τε φρόνησις, καὶ ἐργαλιῶν ἐπιστήμη. Αὐτὸς γὰρ ἐμοὶ ἔδωκε τῶν ὄντων γνῶσιν ἀψευδῆ, εἰδέναι σύστασιν κόσμου, καὶ ἐνέργειαν στοιχείων. Ἀρχὴν καὶ τέλος καὶ μεσότητα χρόνων· τροπῶν ἀλλαγὰς καὶ μεταβολὰς καιρῶν· Ἐνιαυτοῦ κύκλος καὶ ἀστέρων θέσις. Φύσεις ζώων καὶ θυμοὺς θηρίων, πνεύματα βίας καὶ διαλογισμοὺς ἀνθρώπων, διαφορὰς φυτῶν, καὶ δυνάμεις ῥιζῶν· ὅσα τε ἐστι κρυπτὰ καὶ ἐμφανῆ, ἔγνων· ἡ γὰρ πάντων τεχνῖτις ἐδίδαξέ με σοφία. *hoc eſt*, Deus mihi dedit ex ſententiâ *dicere*, ac pro dignitate eorum quæ dantur, *cogitare*: quoniam ipſe & ſapientiæ dux eſt, & ſapientum moderator. Nam in manu ipſius ſumus tum nos, tum *ſermones noſtri*, omnis etiam *prudentia, ſcientiaque opificiorum*. Mihi enim dedit Deus, *eorum quæ ſunt in naturâ, veram cognitionem, vt mundi conſtitutionem, vimq; elementorum intelligam: Initium, exitum, mediumq; temporum, ſolſtitiorum viciſſitudinem, ac tempeſtatum varietatem, Annorum circuitus, ac ſitus ſtellarum: Naturas animalium, iraſque beſtia-*

beſtiarum, ventorum vim, & cogitationes hominum, differentias plantarum, radicumque facultates. Omnia denique, quæ ſunt recondita & aperta cognoui: Nam omnium artifex ſapientia me docuit. Confer cum 1. *Reg. verſ.* 32. 33. vbi de Salomone ita legimus: *Locutus quoq; eſt tria millia parabolarum: & fuerunt cantica eius quinque & mille. Locutus eſt præterea de arboribus, à cedro quæ eſt in Libano, ad hyſſopum quæ egreditur de pariete. Locutus eſt inſuper de animalibus, & de volatilibus, & de reptilibus, & de piſcibus.*

VII. Theologia eſt facultas ad ſummum bonum perueniendi. Eius partes ſunt multæ: putà theologia poſitiua, theologia naturalis, catechetica, didactica, polemica vel potius irenica, caſuum, prophetica, & acroamatica ſiue moralis.

VIII. Iuriſprudentia eſt facultas conſtituendi quod æquum & iuſtum eſt. Eius partes ſunt ius Moſaicum, ius ciuile Iuſtiniani, ius canonicum, ius Saxonicum &c.

IX. Medicina eſt facultas bene medendi. Eius partes ſunt phyſiologica, diætetica, ſemeiotica, pharmaceutica, hygieina, prophylactica, therapeutica.

X. Habitudo quatuor facultatum eſt ipſarum affectio, iuxta has regulas.

1. *Omnis facultas habet ſuas metas, quas non licet tranſilire.* Quia vtagrorum, ita quoque facultatum & artium terminos manere diſtinctos intereſt omnium.

2. *Omnis facultas habet finem proprium, poßibilem, & præſtãtem, traditq; media ad illum conſequendũ ſufficientia & facilia.*

3. *Omnis facultas habet ſubiectum proprium*: in quo ſcilicet explicando eſt occupata.

4. *Omnis facultas habet præcepta vera, perſpicua, facilia, vtilia, neceſſaria, homogenea, & ſufficientia.*

5. *Omnis facultas poteſt comprehendi certâ methodo.*

6. *Facultates in vſu ſunt coniunctæ.*

7. *Omnis facultas habet theoriã & praxin.* Sic theologia eſt theo-

theoretica & practica. Quod vetustissimi Patres putant expressum fuisse in nominibus Iohannis & Petri, ita vt Iohannes fuerit symbolum contemplationis, Petrus actionis. Hoc enim sensu *Theophylactus in cap. 25. Luca*, Petrum & Iohannem vocat πρᾶξιν καὶ θεωρίαν, *actionem & contemplationem.* Et *Origenes* ait: *Petrus in formâ actionis ac fidei ponitur. Iohannes autem contemplationis atque scientiæ typum imitatur.* Hinc Iohannes dictus est *filius tonitrui*, & Chrysostomo dicitur βροντᾶν θεολογίαν, *scientiam de Christi deitate instar tonitrutradere:* Petrus autem à petrâ nomen accepit, quæ significat vitam variis periculis & casibus obnoxiam. Porrò quod dixi de theologiâ, idem de reliquis tribus facultatibus, & de omnibus in vniuersum disciplinis est iudicium. Sic *v.g.* logica habet suam theoriam & praxin: similiter physica, geometria, &c. Hoc autem sensu latè accipiuntur vocabula theoria & praxis. Aliâs strictè loquendo quædam disciplinæ sunt tantùm theoreticæ, & quædam tantùm practicæ.

8. *Facultatibus accidit multiplex abusus.* Hic verò nihil pertinet ad essentiam, ideoque non tollit vsum. De abusu philosophiæ vide 1. *Cor.* 1. & 2. & *Coloss.* 2. *vers.* 8.

9. *Facultatibus & artibus accidit multiplex mixtio.* Sic v. g. magia, Cabbala, Critica, Paradoxologia, &c. sunt plurium facultatum & artium farrago. Eodem pacto historia & chronologia se habent.

10. *Singulæ facultates & disciplinæ habent peculiares partes, quæ videri possint integræ artes.* Sic ars precandi & bene moriendi est pars theologiæ, dæmonologia est pars Pneumaticæ.

XI. Artes mechanicæ sunt propago quædam & praxis artium mathematicarum, itemq; philosophiæ practicæ. Harum numerus est longè maximus. Præcipuæ numerantur septem hoc versu:

Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates. Id est, Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgia,

Tex-

Textoria, Nautica. Hæ artes vulgo dicuntur illiberales, in ſenſu comparato. Neq; enim per ſe ſunt indignæ liberali ingenio: cum Chriſtus fuerit faber lignarius, & quidam ex apoſtolis piſcatores, & Paulus artis textoriæ peritus. *Marc.* 6. *Matt.* 4. *Act.* 18. De Bezaleele vide *Exod.* 31. *verſic.* 2.

XII. Res homine indignæ ſunt curioſitatis vel impietatis nomine infames. Eiuſmodi ſunt magia necromantica ſeu cacomagia, hydromantia, geomantia, &c. de quibus *Peucerus libro de diuinationum generibus.* Inſignis hâc de re eſt locus *Act.* 19. *verſ.* 19. *Multi verò ex iis, qui curioſa iſta exercuerant, comportatos libros exuſſerunt in omnium conſpectu: quorum ſupputatis pretijs, repererunt denariorum quinquaginta millia.* Quæ ſumma excreſcit ad 32000. thalerorum Philippicorum. Huc etiam refer falsò nominatam ſcientiam, de quâ apoſtolus, 1. *Tim.* 6. *verſ.* 20.

V.

DIDACTICA SACRA.

I. Didactica ſacrà eſt quarta pars præcognitorum explicans methodum docendi & diſcendi ex præſcripto ſ. literarum. Ex *Tertulliano lib. de animâ* licet appellare *Diſcentiam.* Eius finis eſt, vt in hominis intellectu efficiatur facilior apprehenſio, & firmior impreſſio.

II. Didacticæ partes duæ ſunt: vna de deuotione, altera de intentione docentis & diſcentis.

III. Deuotio eſt animi & corporis ad Deum eleuatio, conſiſtens in precatione & ſanctimoniâ. Speculum huius deuotionis lucidiſſimum eſt Salomon 1. *Reg.* 3. *à verſ.* 4. *ad* 16. *& Sap.* 9. *Precatio* debet eſſe partim ſolennis & ſtata, partim varians. *Precatio ſolennis* ordinarie concipi debet horis verè canonicis, manè, meridie

ridie & vesperi, exemplo Dauidis & Danielis. *Psalm. 55. verſ. 16.17. Dan. 6. verſ. 10.* Huiuſmodi preces fiunt ardentiores, ſi accedat γονυκλισία, *genuflexio. Precatio varians* eſt iaculum ſiue gemitus cordis ad Deum, quo fit, vt ante tractationem, in tractatione, & poſt tractationem ſtudiorum noſtrorum demus Deo gloriam, humiliter ab ipſo petentes gratiam Spiritus ſancti, & ardenter gratias ipſi agentes pro lumine intelligentiæ nobis conceſſo. *Iacob. 1. verſ. 5.* Ad hanc precationem pertinet cantio ſacra *Coloſſ. 3. verſ. 16.17. Sanctimonia* conſiſtit in quotidianâ praxi & inſtauratione pœnitentiæ, quâ fit, vt peccatum habeamus pro turpitudine omnium turpiſſimâ 1. *Ioh. 3. verſ. 8.* & Ieſum Chriſtum pro pulchritudine omnium pulcherrimâ *Pſalm. 45. verſ. 3. 8. 9.* cui noſtras actiones & cupimus & conamur conformare *Pſal. 45. verſ. 10. 12. 14.* ſanctoſque angelos hoc pacto nobis conciliamus doctores, ductores, & amicos *Matth. 18. verſ. 10. Luc. 15. verſ. 10.*

IV. Intentio docentis & diſcentis eſt accurata diligentia, quæ reſpicit perſonas, res, & actiones didacticas.

V. Perſonæ didacticæ ſunt præceptor & diſcipulus. *Præceptor* quærendus eſt talis, qui poſſit & velit docere, quique adeo nobis ſit charus inſtar parentis. Manet enim illud πολυθρύλλητον: *Non habueris præceptorem, niſi eundem & amicum.* Talis fuit Eliaspræceptor Eliſæi 2. *Reg. 2. verſ. 12.* Talis quoque fuit Chriſtus, qui toto miniſterij ſui tempore, doctoris munus egregiè ſuſtinuit. Vnde paſſim in euangeliis vocatur ῥαββὶ, ῥαββουνὶ, διδάσκαλος, & καθηγητὴς, *magiſter & præceptor*, frequentius multò quàm κύριος, *dominus.* Et qui Chriſtum ſequebantur, μαθηταὶ, *diſcipuli*, in euangeliis vocantur: eamque appellationem fideles, etiam poſt Chriſti aſſumtionem, initio naſcentis eccleſiæ, retinuerunt, dicebanturque & viri *diſcipuli*, & fœminæ μαθήτριαι, *diſcipulæ. Act. 9. verſ. 36.* Porrò apoſtolus Paulus in hunc bonorum præceptorum

nume-

numerum est etiam referendus 1. *Tim.* 1. *vers.* 2. *Discipulus* requiritur talis, qui & possit, & velit discere. Quam ad rem tria ista requiruntur: ingenium aptum, amor, & admiratio. *Ingenium aptum* est vel moderatum, vel heroicum. *Ingenium moderatum* est, quod non est nimis mobile, vel nimis stabile: *heroicum*, quod peculiari numinis afflatu & priuilegio extra ordinem gubernatur, vt in Salomone 1. *Reg.* 3. *&* 4. item in Bezaleele & Aholiabo videre est *Exod.* 35. *vers.* 30. *& seqq. & c.* 36. *vers.* 1. Hinc colligere est, quænam ingenia sint inepta, videl. nimis mobilia, vel nimis stabilia. Atq; hæc sunt capita ad quæ quidquid est ingeniorum referri potest: putà ingenia magna, parua & mediocria; felicia & infelicia; apta & inepta; viuida, & torpida; acuta & obtusa; ignea, terrea, & temperata; ordinaria, & extraordinaria; præcocia, serotina, & matura. Quæ diuersitas non tam à qualitatibus corporum, quàm à prouidentiâ Dei dependet, itemque à culturâ sedulâ. Ita enim est, vt *Hippocrates* dixit: Quæ seminis ad tellurem est proportio, eadem est scientiæ ad humanum ingenium: quæ neque vniuersa eadem est, ac quamuis aliqua sit pinguis & fœcunda, excolenda tamen est, ac dispiciendum, cuinam semini sit aptior. At ne hoc quidem satis. Tempus enim sationi idoneum expectandum est: mox enatum semen expurgandum, multumque in id impendendum laboris & temporis, vt matureſcat. Hinc *Clemens Alexandrinus in pædagogo* cum animos nostros vocasset agros animatos, eisdem diuersitatibus, quibus sunt agri, subiectos esse homines ostendit. Oportet itaque in examine & culturâ ingeniorum accuratè perpendere inclinationem naturæ, quò nempe quisque feratur: & prudenter atque humiliter dona sua cognoscere: deniq; nulli inuidere dotes ingenii, quas à Deo accepit, sed illas potiùs exosculari & imitari. Cum enim Deus liberè dispensset cuique suum talentum *Matth.* 25. *v.* 14. *& seqq.* si omnibus non det omnia, non est dicendum, Cur me fecisti sic: sed cuique proprius est colendus ager, ex quo non plus

quàm deceat, tributi est exigendũ. Cæterùm sub ingenio complectimur εὐμάθειαν, *docilitatem*; & ἀγχίνοιαν, *subtilitatem*. Secundum requisitum discipuli est *amor*, quo ille complecti debet præceptorem, totoque impetu, & velut contactu magnetico ferri in rem discendam. Amorem excipere debet *admiratio*, quâ discipulus præceptorem & rem discendam sic æstimat, vt supra vulgus & illum & istam ponat. Ex his efficitur, in discipulo qualificato requiri, vt primò eligat præceptorem doctum & fidelem: deinde illum charitate complectatur: tertiò, assiduò audiat: quartò, sæpius interroget: quintò, fidem eius dictis adhibeat: & denique in his, quæ laudabilia sunt, imitetur. Neque verò est, quòd nobis obijcias ingenia αὐτοδίδακτα: cùm illa sint rara. Cæteroqui sub ingenio, amore, & admiratione complectimur omnia requisita discipuli frugi, qualia sunt *propensio in rem discendam, docilitas, subtilitas, ignorantiæ conscientia, φιλοσοφία, abstinentia à voluptatibus, perturbationum carentia, curarum & solicitudinum vacuitas*, &c. de quibus accuratè *Bonnæus tractatu de ratione discendi*.

VI. Res didacticæ sunt primariæ, vel secundariæ. *Res primariæ* sunt illa ipsa, quæ doceri & discì debent: vbi teneantur istæ regulæ:

1. *Non nisi vnum vno tempore.* Proinde nonnisi vna materia vno die, & nonnisi vnus author in vnâ re.
2. *Omnia discuntor per notiora siue priora.*
3. *Omnis superfluitas vitanda.* Itaque Nihil dediscendum discitor: & Nihil, quod caret vsu, discitor.
4. *Biblia sacra sunto centrum omnis doctrinæ.* Itaque Nihil admittitor, quod cum hoc canone pugnat.
5. *Omnia docentor harmonicè.*
6. *Vniuersalia docentor priùs quàm singularia.*
7. *Vniuersalia docentor in singularibus, adeoque totum in partibus.*

8. *Noti-*

8. *Notitia confusa præcedat distinctam.*
9. *Magis necessaria, & faciliora prius docentor.*

Res subsidiariæ sunt variæ circumstantiæ, quæ seruiunt rebus palmariis. Huc pertinent museum, bibliotheca, diæta, libri, & similia, de quibus sunt hæc axiomata:

1. *Museum amœnum & mundum esto.*
2. *Bibliotheca complectatur libros rares & selectos.*
3. *In libris comparetur memoria localis.*
4. *Charta sit munda, & typus elegans in libris excusis, itemq; in manuscriptis.*
5. *Situs rei discendæ ornatè in libro dispositus esto.*
6. *Aer corrigatur per suffitum, flores, & ambram griseam: balsamus mnemonicus naribus applicetur: aloë & cubebæ in vsu sint frequenti.*

VII. Actiones didacticæ sunt commoratio & peregrinatio literata. *Commorationis literatæ* axiomata hæc sunt:

1. *Omne tædium in docendo & discendo quàm diligentissimè vitator.* Itaque

Quotidiè nonnisi octo horæ studiis impenduntor; & ne illæ quidem vel integræ, vel continuæ, sed certis recreationibus distinctæ, ita vt vltra quadrantem horæ nō detineas mentem in lectione, scriptione, aut meditatione, sed interponas aliquod veluti sabbatum, & postea redeas ad studium. Quòd si etiam accidat, vt hâc horâ sentias te non satis dispositum, differ negotium in aliud tempus. Nam vt dies, sic etiam hora, quandoque parens, quandoque nouerca est.

2. *In discipulo nullum sit præiudicium.*
3. *Experientiæ nulla authoritas præiudicet, neque consuetudo aut præconcepta opinio præualeat.*
4. *Omnia fiant absq; violentiâ.*
5. *Non omnia, quæ discenda sunt, simul obijciantur intellectui.*
6. *Prima repræsentatio, quæ fit intellectui, sit accurata.*
7. *Repetitio sit crebra & continua*: ita nempe, vt fiat cum eleua-

eleuatione mentis ad Deum, cum imaginatione obiecti, cum ordine inuariabili, cum instantiâ laboris, ita vt singulis propè horis repetamus ea quæ didicimus. Porrò repetitio ista erit socia vel solitaria; summaria vel plena; cursoria vel fixa; horaria, diurna, hebdomadaria, menstrua, semestris; explicatiua vel applicatiua; nuda vel extensa, & hæc analytica, epistolica, dialogistica, &c.

8. *Discendum est visu & auditu simul.*

9. *Nihil est dimittendum prius, quàm solidè sit perceptum.*

10. *Studium cuiusque artis in certa interualla siue partes distribuitor.*

11. *Id, quod præ manibus habes, ita vt velis firmiter tibi imprimere, id, inquam,*

Primò describe eleganter:

Deinde, ita descriptum clarâ voce lege:

Tertiò, aliquoties relege:

Quartò, per partes edisce:

Quintò, memoriter recita:

Sextò, epistolam, dialogum, disputationem, declamationem, aut simile quippiam de illâ materia compone:

Septimò, quotidiè repete.

Hi sunt septem gradus scalæ didacticæ, per quos oportet quotidie ascendere & descendere quàm solicitissimè.

12. *Auditio sit attenta, benenola & repetita: illamque excipiat analysis, crisis, & ecloge.*

13. *Lectio sit certa, ordinata, attenta, repetita, sonora, & moderata: illamque excipiat analysis, crisis, & ecloge.* Cæterùm tria sint interualla lectionis. Primum esto lectionis incipientis à compendio: secundum, progredientis ad locos communes: tertium, variæ, peruoluentis multos authores.

14. *Collatio sit publica, priuata, epistolaris, sympositaca, &c. & instituatur cum præceptore, æqualibus, & peritioribus.*

15. *Meditatio sit logica.*

16. *Scriptio fiat vel ediscendi gratiâ, vel styli causâ, vel conseruationis ergò, quò pertinent loci communes, de quibus hæc tenenda est*

da eſt regula: Loci communes parentur in eâ diſciplinâ, in quâ cupimus excellere: & ita parentur, vt ſequamur ductum alicuius ſyſtematis methodici: denique non ſemel & ſimul impleantur, ſed per interualla, adnotatis ſolùm iis, quæ ſunt rariora.

Peregrinationis literatæ axiomata hæc ſunt.

1. *De fine peregrinationis diu multumq; cogitato, & prudentium quoque amicorum conſilio hâc in parte vtere.*
2. *In peregrinando diligens & intelligens eſto.*
3. *Tum demum ad peregrinandum appelle animum, quando ieciſti fundamenta ſolidæ doctrinæ; & tam diu emaneto, donec fructum & ſcopum peregrinationis tuæ ſis aſſecutus.*
4. *In diario notato quæ inter peregrinandum occurrunt inſigniora.*
5. *Doctum & pium peregrinationis ſocium delige.*
6. *Accuratè diſpice, quænam tibi adeunda ſint loca: & partim ex doctis viris atq; amicis, partim ex libris geographicis cognoſce, quid in hoc vel illo loco ſit inprimis obſeruandum.*
7. *Illorum amicitiam & beneuolentiam tibi concilia, qui à rarâ eruditione commendantur.*
8. *Peregrinatio literata, ſit vel grammatica, ſiue philologica,* h.e. linguarum exoticarum causâ ſuſcipiatur: *vel topica,* h.e. cognoſcendorum locorum causâ inſtituatur: *vel ethica,* i.e. morum causâ perficiatur: *vel pragmatica,* h.e. ſuſcipiatur rerum ipſarum causâ, quæ in ſingulis locis raræ viſu auditue reperiuntur. Peregrinatio valetudinaria, militaris, & religioſa non conuenit literarum ſtudioſo, quâ tali.

Et hactenus quidem vidimus ea, quæ quatuor facultatibus ſunt communia: deinceps ſingulas perſequemur, quatenus quidem in ſacris literis ipſarum veſtigia occurrunt.

VI.

PHILOSOPHIA IN GENERE

I. PHiloſophia eſt vera, vel falſa. Hæc diſtinctio fundata eſt *Rom.* 1. *v.* 19. 20. 21. *& c.* 2. *v.* 14. 15.

II. Philoſophia vera eſt theoretica, vel practica. Hæc diuiſio lucem accipit ex celebri iſto *Vrim & Thummim Exod.* 28. *verſ.* 30. Nam *Vrim*, id eſt, lucus, ſignificat lumen intellectus: *Thummim*, id eſt, perfectiones ſiue integritates, ſignificat rectitudinem voluntatis. Verus itaq; philoſophus eſt, qui coniungit *Vrim & Thummim*. Idē iudicium eſt de theologo, medico & iuriſconſulto: qui omnes ita debent inſtituere actiones ſuas, vt congruant ad *Vrim & Thummim*.

III. Philoſophia theoretica docet rectam contemplationem operum, ſiue magnaliū, Dei. Ita nimirum, vt ex operibus iſtis colligat, Deum eſſe, & eſſe potentem, æternum &c. *Rom.* 1. *verſ.* 19. 20. Hoc eſt, quod Plato docuit, gratiſſimam de Deo famam in artibus eſſe ſparſam.

IV. Philoſophia practica docet rectum vſum legis naturæ, *Rom.* 2. *verſ.* 14. 15. Ita nimirum, vt hominem contineat in officio iuſtitiæ vniuerſalis, cuius dictamen impreſſum eſt cordibus noſtris.

V. Philoſophia falſa eſt, quæ vel obſcurat legem ſiue lumen naturæ, vel ſe opponit lumini gratiæ ſiue euangelio. De priori abuſu vide *Rom.* 1. *v.* 21. *& ſeqq.* de poſteriori 1. *Cor.* 1. *verſ.* 20. 26. *&c.* 2. *v.* 1. 4. 6. 13. *Act.* 17. *verſ.* 18. Vbi fit mentio philoſophorum Epicureorum & Stoicorum, qui Paulo bellum indixerunt. Confer *Coloſ.* 2, *v.* 8. vbi apoſtolus ait: *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* Hunc apoſtoli locum explanans *Tertullianus lib. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos cap.* 7. dicit, apoſtolum fuiſſe Athenis, & iſtam ſapientiam humanam, affectatricem, & interpolatricem veritatis, de congreſſibus nouiſſe, ipſam quoque in ſuas hæreſes multipartitam varietate ſectarum inuicem repugnantium. *Idem de animâ cap.* 3.

cap. 3. ait: Athenis expertus linguaram ciuitatem, cum omnes illic sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit prænonitorium illud dictum. His verbis damnat Tertullianus artem illam παιγνιὴν (quam alibi vocat struendi & destruendi versipellem artificem) quæ probabilia tantùm cõsectans nusquam pedem figit. Hanc philosophiam *lib. de animâ* appellat concussionem veritatis; & *lib. aduersus Hermogenem cap.* 8. huius philosophiæ professores philosophos appellat Patriarchas hæreticorum. At doctrinam rectè disserendi ipsemet Tertullianus accuratè est persecutus. Ita Moses vniuersam sapientiam Ægyptiorum didicit & excoluit. *Act.* 7. 22. Et apostolus Paulus educatus ad pedes Gamalielis sapientiæ & eloquentiæ studia coniunxit. *Act.* 22. *vers.* 3. *cap.* 17. *vers.* 22. *ad vers.* 30. Verè itaque dictum est à *Nazianzeno orat. ad* 150. *episcopos*, veritatem logicis disputationibus tritam in lucẽ proferri: & à *Basilio in* 5. *cap. Esaiæ*, dialecticæ virtutem esse, naturas rerum distinctè diuidere, quæ sunt affinia dignoscere, & discernere contraria. Cum his consentit illud *Augustini lib.* 3. *contra Academicos*: Si dialectica est scientia veritatis, sic illam nouit sapiens, vt sophistarum calúnias contemnendo enecet. Placet hoc loco insignem locum adscribere ex *Nicephoro*, *lib.* 8. *hist. eccles. cap.* 39. *Veluti arcana, & diuina quædam res cœlitus ad homines delapsa est Christiana philosophia: quippe quæ & disciplinarum artes, & disputationum nugas, vt quæ supervacaneæ sint, otiumq;, quod in studiis melioribus ponique at, sibi vendicent, impedimentoque adeò ad puritatem vitæ sint, prorsus negligat: solâque natiuâ vtens virtute, ea, quæ ad illam perficiendam, & ad vitia tollenda faciunt, doceat & excolat: quæ verò inter hæc habentur media, eorum nullam ducat rationem: prorsus autem circa res versetur honestas: atque eos, qui à vitiis longè absint, virtutem autem minùs consectentur, prauos atque improbos censeat. Non enim ostentationem, sed actionem virtutis admittit: nihil prorsus eam, quæ ab hominibus prouenit, gloriam faciens. Et cùm generosè fortiterque animæ perturbationes expugnat, tum necessarias naturæ res non supra modũ curat,*

curat, vilipendens etiam quaſcunque corporis imbecillitates. Viribus autem à diuinâ mente acceptis, ad immortalem illam mentem ſublimis tollitur, nocte dieque illam cogitans atque intuens: mirificis etiam modis colens, continuiſque precibus concilians. Puritate verò animi, bonorumque operum factis, ad ſinceritatem religionis graſſans, externas expiationes, & quæcunque eius generis ſunt luſtrationes deſpuit, & vnum piaculum eſſe peccatum ipſum putat. Atque ita rebus externis ſuperior facta, imperiumque, vt ita dicam, in eas obtinens, neque ab inordinatâ vitâ, neque ab vllâ neceſſitate, ab honeſto debitoque propoſito ſuo transuerſa agitur, neque contumeliis affecta perturbatur. Sed neq; indignum quidquam patiens, vindictam meditatur. Tantum etiam abeſt, vt vel morbus, vel rerum neceſſariarum inopia eam adurgens, de ſtatu ſuo deturbet, vt talibus quoque ærumnis magis lætetur, generoſitatem & manſuetudinem ſuam declarans. Per vitam itidem omnem illud ſtudet, vt quàm minimo indigeat, atque quantum naturæ humanæ captus permittit, proximè ad Deum accedere nititur. Tranſitum autem ſiue diuerticulum præſentem exiſtimans eſſe vitam, neque occupationibus negotiorum irretitur, neque prouidentiâ rerum præſentium tenetur. Et habitum hominis ſuccinctum expeditumque, qui nullis ſit ſuperfluis rebus oneratus, laudans, ad futuram reſpicit beatitudinem, felicemque illam quietem expectat: omni quoque erga Deum pietate, in animo ſuo, veluti in domicilio, exceptâ, verborum fœditatem, vt rem ingratam, repudiat. Quas enim illa actiones à moribus ſuis longè proſcripſit, earum neq; mentionem verbis facere ſuſtinet. Natura verò neceſſitates paulatim conſtringens, vt carnem moderatione domans, laſciuiam caſtitate comprimit, iniuſtitiam æquitatis amuſſi propellit, mendacium exigit veritate, compoſito viuendi more omnem accîdit inæqualitatem. Familiariùs etiam pro ſocietate humanâ ſe hominum moribus accommodando, & proximorum animis conformando, bene viuendi inſtitutum confirmat: extraneorum ſimul & amicorum, vt eis prouideat, curam habet: egentium res ſuas & opes ducit eſſe cõmunes, &, cuicunque debentur, tribuit. Gaudet illa cum gaudentibus, mœrentibus nihil non adhibet conſolationis. In ſummâ, ad id, quod reuerâ ſummum bonum eſt, ſtudium omne conuertens,

ſermo-

ſermonibus caſtis, & cogitationibus ſpiritualibus, ſeipſam erudit, cultum formæ ſuperfluum prorſus negligit, maledicta magnopere auerſatur: colloquia cum veneratione & honoris præfatione ingreditur, auditorem prius veluti medicamento curans. Longè ab eâ abeſt iracundia, conuicium, iurgium. Quòd enim verâ ratione prædita eſt, irrationalem omnem declinat motum: &, vt ſemel dicam, perturbationũ, quæ vel in animâ, vel in corpore ſunt, omniũ domina exiſtit. Hæc Nicephor. de ſanâ & Chriſtianâ philoſophiâ. De profanæ & vanæ philoſophiæ cum ſanâ collatione accipe illud *Iohannis Moſci in prato ſpirituali cap. 156. Duo*, inquit, *philoſophi accedentes ad ſenem quendam, eum orabant, vt eis verbum ædificationis diceret. Senex verò ſilebat. Tum philoſophi, Nihil reſpondes nobis, pater? At ſenex, Quod ſitis, inquit, eloquentiæ ſtudioſi, non ignoro, quòd autem non veri ſitis philoſophi affirmo. Quamdiu enim loqui diſcitis, quaſi loqui neſciatis? Sit ergo philoſophia veſtræ opus, ſemper meditari mortem: ſilentioque & quieti vos aſſuefacite.*

VI. Philoſophia vera duos habet gradus. Aut enim ex veris gentilium dogmatis colligitur, aut ex ſacris literis extruitur. Illa vulgaris, hæc adepta dicitur. De *vulgari* pronuntiat Clemens Alexandrinus, illam eſſe βαθμὸν καὶ ὑποβάθραν τῆς κρείττονος φιλοσοφίας, *gradum & ſcalam Chriſtianæ philoſophiæ*: rectè & verè, ſi appellatione philoſophiæ illud intelligit, quod Paulus nominat τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *Rom. 1. verſ. 19.* opera nempe Dei, quæ mortales ad creatoris aliquam notitiam poſſunt perducere, & amplioris cognitionis deſiderium, ſi mens ipſis non læua, in eorum animis ingenerare. Verùm Clemens philoſophiæ nomine eiuſmodi notitiam intelligit, per quam ad iuſtificationem & vitam æternam poſſet peruenirì. Affirmat hoc diſertè lib. 1. Στρωματέων, h.e. *Centonum ſeu Stragulorum*: καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας, *philoſophia quondam per ſe Græcos iuſtificabat.* Atqui operum Dei notitia ſine cognitione Chriſti non eſt ſatis ad ſalutem. *Act. 4. verſ. 12.* Nimium itaque Clemens

tribuit philoſophiæ gentilium, puræ ſcil. & incontaminatæ. Nihil enim deferendum eſt philoſophiæ ipſorum impuræ & contaminatæ, ſiue falſæ, quæ eſt κακοσύνθετος σοφία. Videamus nunc *philoſophiam adeptam*. Ea ſic dicitur, quia adipiſcitur centrum veritatis ductu ſacrarum literarum, in quibus nerui ſapientiæ, prudentiæ, & eloquentiæ hinc inde ſeſe offerunt. Appellatur etiam philoſophia ſacra & Chriſtiana. Quanquam hoc nomine interdum etiam venit ipſa theologia.

VII. Vera philoſophia eſt facultas, ambitu ſuo complexa eas diſciplinas, quarum vſus eſt in tribus ſuperioribus facultatibus. *Facultas* eſt vis agendi expedita: vt eſt facultas intelligendi & volendi. Hinc artes & ſcientiæ appellantur facultates: quia reddunt hominem expeditum ad agendum ea, quæ homine ingenuo ſunt digna. Nominatim philoſophia & theologia, iuriſprudentia & medicina, hoc nomine inſigniuntur per excellentiam. Et philoſophia quidem eſt veluti metropolis, ex quâ deducuntur coloniæ & propagines principiorum & concluſionum, quibus vtuntur tres ſuperiores facultates. Certè prophetæ & apoſtoli interdum ex intimâ philoſophiâ petunt documenta inſignia, vt ex ſequentibus patebit. Vnum hoc loco adduxiſſe ſufficiat. Chriſtus *Iohan. 12. verſ. 24.* egregium adhibet φιλοσόφημα ſeu philoſophicum acroama: *Amen, Amen dico vobis, niſi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi verò mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Hinc patet, veram philoſophiam non pugnare cum theologiâ, ſed ipſi ancillari. Vnde Patres theologiam comparatunt Saræ, veram philoſophiam Hagari obſequioſæ, falſam Hagari elatæ & refractariæ. Vera philoſophia eſt dogmatica, h. eſt, dogmata & decreta ſcientifica ponit: falſa, eſt vel apatetica, quæ ſeducit; vel academica, quæ plerasque, vel ſceptica, quæ omnia facit incerta.

VII. Pri-

VII.

PRIMA PHILOSOPHIA SEV METAphyſica Sacra.

I. PHiloſophiam vidimus in genere: philoſophia in ſpecie eſt prima, vel orta.

II. Prima philoſophia vulgo appellatur metaphyſica, quæ eſt ſcientia entis quâ ens, hoc eſt, entis vniuersè, ſiue notionum primarum generaliſſimarum: id eſt, iſtorum terminorum, qui de omnibus in vniuerſum rebus enuntiantur, quibuſque vtuntur omnes facultates & ſcientiæ, vt ſunt *ens, vnum, verum, bonum, actus, potentia, &c.* Per res intellige entia poſitiua, non verò defectus rerum. Trademus autem *metaphyſicam ſacram, quæ eſt ſcientia entis vniuersè, ſumta ex ſ. literis.*

III. Notiones primæ generaliſſimæ ſunt ſigna conuenientiæ & differentiæ omnium rerum.

IV. Suntque vel tranſcendentia, vel prædicamenta. Vnde prima philoſophia diſtribuitur in partem communem de tranſcendentibus, & propriam de prædicamentis.

V. Tranſcendentia ſunt notiones ſiue vocabula omnibus prædicamentis communia. Hinc ita dicuntur, quòd tranſcendant ſeriem prædicamentalem. Sic *Gen. 1. v. vlt.* dicitur, omnia Dei opera fuiſſe valde *bona*: quod de ſubſtantiis & accidentibus verum eſt.

VI. Tranſcendentia ſunt numero tria: ens, & entis momenta atque modi.

VII. Ens eſt, quod non eſt nihil. Vulgo definitur ens, quod habet eſſentiam. Sed accuratè loquendo

Deus

Deus non habet essentiam, sed est ipsa sua essentia. Proinde generaliter definiendum, vel potius vtcunque describendum, fuit *ens*, *quod non est nihil*: & quidem ita, vt vel sit ipsa sua essentia, vel differat à suâ essentiâ. Priori modo solus Deus est ens: posteriori modo ens est, quidquid præter Deum est. Ita homo est ens, in quo ens & essentia differunt vt concretum & abstractum, siue vt formatum & forma. Porrò *entis* vocabulum tam est nobile, vt Deus nomen suum proprium, & quidem proprium in quarto modo, inde formauerit. Nam יהוה *Iehouah* ducitur ab הוה quod est *esse*. Similiter אהיה *Eheieh Exod.* 3. v. 14. Quod attinet ad nomen *Iehouah*, illud à LXX. vertitur ὁ ὢν: à Iohanne *Apoc.* 1. *versic.* 4. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος & *cap.* 16. *vers.* 5. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος: ab alijs, ὁ ὢν καὶ ὁ στῶν, i.e. ens & essentiam dans, ita vt Iehoua sit nomen actus eius, quo Deus summè est, siue, vt Gregorius scitè loquitur, *pereſt*, & esse dat aliis suo modo. Vnde clarè perspicitur excellentia nominis *ens*: cui opponitur *non-ens*, τὸ μὴ ὄν, siue nihil. Solum ens est scientificum. Hinc omnes artes & scientiæ occupantur circa ens. Quò pertinent istæ locutiones, *ens physicum*, *ens grammaticum*, *ens logicum*, *ens arithmeticum*, &c. Rectè itaque dicitur, *Non-entis non est scientia*. Item, *Non-entis nulla est causa, nullum effectum, subiectum, adiunctum, definitio, distributio.*

VIII. Momenta entis sunt, per quæ illud est momento sum: hoc est, certis proprietatibus & viribus agendi præditum. Omne siquidem ens ita est momentosum, siue alicuius momenti & pretij.

IX. Momenta entis duo sunt, essentia & existentia.

X. Essentia est natura communis, seu primũ entis momentum, quod efficit conuenientiam rei cum re. Hæc itaque est fundamentum & radix eorum, quæ se habent vt genus & species. Sic in Deo essentia est communis tribus personis: vnde etiam proprietates &

tes & actiones essentiales sunt communes Patri, Filio, & Spiritui sancto. Similiter in Platone essentia est per quam Plato est homo. *Essentiæ proprium* est, non variare, sed semper & vbique sui esse similem. Vnde præceptaartium scribuntur de essentiâ siue de ideâ rerum *v.g.* rosæ, equi. Porrò essentia est archetypa vel ectypa. *Essentia archetypa* rursus est *absoluta*, vt est essentia Dei: vel *relatiua*, vt est essentia ideæ diuinæ, quam Deus ab æterno concepit intra se, vt esset exemplar rerum extra Deum in tempore producendarum: quo sensu *Eph.* 1. *ver.* 4. apostolus dicit, Deum nos *elegisse in Christo ante iactum mundi fundamentum.* Essentia *ectypa* est, quæ respondet suæ ideæ: quomodo Deus *Eph.* 1. *vers.* 5. dicitur *nos adoptasse in filios per Iesum Christum in sese pro beneuolo affectu voluntatis suæ.* Confer *Psal.* 115. *ver.* 3. *Act.* 2. *vers.* 23. *Eph.* 1. *vers.* 11. *cap.* 3. *vers.* 11. Inter homines quoque vsu venit, vt essentia sit archetypa vel ectypa: vt quando Moses iussus fuit facere tabernaculum iuxta exemplar ipsi ostensum in monte *Exod.* 25. *vers.* 9. 40. *Heb.* 8. *vers.* 5.

XI. Existentia est natura singularis, seu secundum entis momẽtum, quod efficit vltimam rei differentiam. Hæc itaque est fundamentum & radix eorum, quæ se habent vt indiuiduum. Sic in Deo existentia est personalitas, à quâ proficiscuntur proprietates & actiones singulares, hoc est, singulis personis competentes: in Platone existentia est id, per quod Plato est talis homo, præditus peculiari ingenio, temperamento, staturâ &c. Hinc *existentiæ proprium* est, admittere varietatem. Porrò existentia in substantijs dicitur *subsistentia:* in accidentibus, *inexistentia*: in substantiis intelligentibus, *personalitas.* Subsistentia est inseparabilis à substantia: quia vt accidentis esse est inesse, id est, inhærere: sic substantiæ esse est per se subsistere. Alia est ratio personalitatis. Hæc siquidem potest separari à re, vt docet mysterium incarnationis Christi: vbi humana Christi natura est quidem

sub-

ſubſtantia, ſed non eſt perſona. Porrò exiſtentiam immediatè ſequitur *duratio*, quæ eſt perſeueratio exiſtentiæ, & in Deo eſt æternitas, in ſpiritibus æuum, in corporibus tempus.

XII. Modi entis ſunt attributa gradum rei deſignantia. Si malis, ita defini: Modi ſunt determinationes rei, tum quatenus eſt, vel fit, tum quatenus cognoſcitur, vel cognoſcenda datur. Hinc modi rerum neque ſunt res ipſæ, neque componunt aut deſtruunt res, ſed ſunt affectiones rerum, quibus illæ ornantur, diſtinguuntur, & illuſtrantur. Sunt autem *varij modi*, hoc modo. 1. *Modi eſſendi* ſunt, qui ſequuntur eſſentiam, id eſt, naturam communem: vt ſunt vnitas, veritas, neceſſitas, cõtingentia. 2. *Modi exiſtendi* ſunt, qui ſequuntur naturam ſingularem: vt ſunt circumſtantiæ cuiuslibet rei. 3. *Modi ſubſiſtendi*, in naturis intelligẽtibus ſunt characteres perſonales, quibus perſona diſtinguitur à perſonâ vt Plato à Socrate: in naturis non intelligentibus ſunt characteres indiuiduales, vt in Bucephalo. 4. *Modi ineſſendi* ſunt, quibus vnum eſt in altero, vt cauſa in effecto, effectum in cauſâ, adiunctum in ſubiecto, genus in ſpecie, pars in toto, &c. Sic omnes creaturæ ſunt in Deo, tanquam in cauſâ omnipotente *Act.* 17. *verſ.* 28. *Rom.* 11. *verſ. vlt.* 5. *Modi poſſendi* ſunt, quibus aliquid poteſt eſſe, agere, vel pati. 6. *Modi agendi, ſeu operandi*, ſunt, quibus aliquid exerit vires ſuas. 7. *Modi patiendi* ſunt, quibus aliquid recipit vires ab alio. 8. *Modi habendi* ſunt, quibus aliquid habet ſubſtãtiam, quantitatem, qualitatem, &c. Ita quoque cauſa habet effectum, effectum cauſam, ſubiectum adiunctũ, adiunctũ ſubiectum, genus ſpeciem, &c. 9. *Modi ſe habendi* ſunt, quibus aliquid ſe habet vel aliter, vel ad aliud. Ita homo ſe habet aliter in creatione, aliter in regeneratione: ſed Deus creans & redimens non habet ſe aliter ac aliter, ſed ita ſe habet ad aliud, vt non fiat alius. 10. *Modi recipiendi* ſunt, quibus aliquid recipit rem ſibi ſimilem vel diſſimilem: vt cùm terra recipit influxum cœli. 11. *Modi conſide-*

randi

randi sunt, quibus aliquid in hâc vel illâ disciplinâ expenditur: vt cum homo alio modo consideratur in medicinâ, alio in theologiâ. 12. *Modi intelligendi*, seu *apprehendēdi*, sunt, quibus aliquis aliquid intelligit pro naturæ suæ conditione: vt cùm homo pro modulo suo intelligit Dei essentiam, & attributa. 13. *Modi significandi*, seu *accipiendi*, sunt, quibus aliquid accipitur in hâc vel illâ significatione. 14. *Modi loquēdi* sunt, quibus aliquis peculiariter vtitur. Suntque populares, vel exquisiti. 15. *Modi prædicandi*, seu *enuntiandi*, sunt, qui certo artificio exprimunt mōdum essendi: vt, cùm Christus in eucharistiæ institutione de pane dicit, *Hoc est corpus meum*, est prædicatio sacramentalis. Ex his quindecim generibus modorum, *decem priora* pertinent ad primam philosophiam: *vndecimum*, *duodecimum & decimumquartum*, ad singulas facultates & disciplinas: *decimum tertium*, ad lexicam, grammaticam & rhetoricam: *decimum quintum*, ad logicam & reliquas facultates atque disciplinas.

XIII. Modi entis sunt vniti, vel diuisi. Illi dicuntur attributa entis simplicia & communissima, hi, primæ entis differentiæ, & attributa composita.

XIV. Attributa entis communissima sunt, quæ conuertuntur cum ente: suntque numero septem, hoc ordine: vnitas, veritas, bonitas, numerus, ordo, perfectio, & pulchritudo. Ista enim septem prædicantur de ente sine disiunctione per oppositionem, ita vt rectè dicamus, omne ens esse vnum, verum, bonum, numerabile, &c. Hinc attributa entis simplicia dicuntur nullum habere contrarium in ente: quia nullum est ens, quod non sit vnum, verum, &c. quâ ens, in suo genere. *Proprium horum modorum* est, conuerti inter sese. Nam omne vnum est verum, bonum, numerabile, ordinatum, perfectum & pulchrum: rursus omne verum est vnum, bonum, &c. & omne bonum est vnum, verum, &c. Quæ quidem obseruatio est momenti longè maximi.

maximi. Quia sic oportet de rebus disserere, vt nihil statuatur his communissimis principiis contrarium. Oportet itaque in omni re attendere, quomodo sit vna, & quomodo illa vnitas sit vera, & veritas bona, &c. Sic *e.g.* Deus est prima, siue suprema, vnitas, veritas, bonitas, perfectio, pulchritudo: & nostri officii est, in omnibus actionibus ita nos gerere, vt vnitatem, veritatem, bonitatem, & reliqua exprimamus, possideamus, respiciamus. Quâ de re piè & eruditè disputat *Iohannes Picus Mirandula lib. de ente & vno cap.* 10.

XV. Vnitas est, per quam ens habet essentiam in se indiuisam, & ab alio quocunque diuisam. *Vnum* itaque est, quod in seipso est indiuisum, & ab alio quocunque diuisum, hoc est, ita comparatum, vt habeat essentiam certæ speciei, à seipsâ non discrepantem. Sic Deus est vnus *Deut. 6. vers.* 4. hoc est, indiuisus in se, & diuisus siue distinctus ab aliis naturis. *Proprium vnitatis* est conseruare rem, & ipsius perfectionem augere. Quamdiu enim res est vna, integra est, sana, & valida. Ita quò quid magis est vnum in physicis, politicis, ecclesiasticis & similibus, eò magis est perfectum, & aptum conseruari. *Psal.* 133. *Luc.* 11. *vers.* 17. 18. Dixi, quò quid magis est vnum. Dantur enim *gradus vnitatis*. Nam *aliquid ita est vnũ*, vt sit indiuisum & indiuisibile, vt Deus: vel ita, vt sit quidem indiuisum, sed diuisibile, vti est creatura quælibet. Rursus *aliquid ita est vnũ*, vt sit vel vnicum & solũ, vt Deus, sol, luna: vel non-vnicum, vt homo. Denique *aliquid est vnum* absolutè vel comparatè, putà numero, genere, specie, analogiâ, causâ, effecto, subiecto, adiuncto, definitione, &c. Quò pertinet, quòd aliquid est vnum essentiâ, personâ, voluntate, vel actu: item vnum substantiâ, quãtitate, qualitate, actione, &c. Vnitati transcendentali opponitur *multitudo*, vel potiùs multiplicitas, quæ reciprocatur cum non-ente. Nam non-ens est multiplex ac inexplicabile: vt purgatorium, Chimæra.

XVI. Veri-

XVI. Veritas est conformitas siue congruentia entis cum suo archetypo. Nihil enim est verum, nisi consentiat cum exemplari isto, cui essentia ipsius debet esse conformis. Ita Deus sibi ipsi est conformis: res naturales, morales, & supernaturales sunt conformes intellectui Dei: res artificiales sunt conformes intellectui artificis. Intellectus itaque Dei & creaturæ est archetypũ siue exemplar, cui congruere debent res. *Proprium* veritatis est, magnetico contactu ad se rapere intellectum, & harmonico concentu consentire secum ipsâ & cum aliâ veritate. Proinde veritas naturâ suâ est facilis, seu facilè intelligibilis: & quod in vnâ arte est verum, non potest in alterâ esse falsum. Pertinent huc ista vsitata axiomata: *Verum vero consonat: Verum vero non opponitur, sed subordinatur.* Porrò inter proprietates veritatis etiam commemoratur, quòd sit antiqua & inuicta. Et primò quidem veritas est *antiqua* iuxta illud Tertulliani, *Verissimum antiquissimũ.* Intellige eam veritatem, quam Deus in naturâ & scripturâ expressit. Alia enim est ratio veritatis in rebus artificialibus, vbi multa de nouo inueniuntur. Deinde veritas est *inuicta:* quia etsi interdum latitat, & minùs aliquando in oculos aliud agentium mortalium incurrit, semper tamẽ victrix ad hæc secula durauit, duratura sine dubio ad seculorum vsque finem, & de omnibus suis inimicis pleniſſimum tandem & glorioſiſſimum triumphum reportatura. Vnde veritas dicitur παντοδαμάτωρ, *omnia domans*, quę, φέλλος ὡς ἀβάπτιστος, *vt suber immersabilis vndis*, omnes aduersarum tempestatum fluctus decumanos eluctetur. Inprimis hæc duo attributa veritatis conspicua sunt in eâ veritate, quam Deus in verbo suo patefecit. Huic enim *veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegia regionum*, vt sunt verba *Tertulliani de velandis virginibus.* Et vt idem ait de præscriptionibus: *Principalitas* (ea est vera antiquitas) *veritati, posteritas mendacitati deputanda.* Ideo apostolus 1. *Cor.* 11. *v.* 23. ait, *Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis.* Ideo Iudas *v.* 3.

hortatur pios ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις, *vt fortiter decertent pro fide quæ semel tradita fuit sanctis.* Ideo denique Christus *Matth.* 19. *vers.* 8. ait, *A principio non fuit ita.* Itaque si volumus scire, quæ sit vera fides, rotemus tres illos gladios, Pauli, Iudæ & Christi, atque ita statuamus, illam demum esse veram fidei regulam, *quæ semel fuit tradita: quæque,* vt ait Tertullianus, *vna omninò est, sola immobilis & irreformabilis.* Quare verò hoc? Quia vnde res habet vt sit, inde quoq; habet vt vera sit. Iam verò fides catholica à solo Deo suam habet essentiam. Ergò etiã ab illo solo habet veritatem. Itaq; nihil hodiè post semel à Christo traditam fidei regulam licet alicui παρεισφέρειν, *de nouo inducere,* vt Chrysostomus eleganter loquitur. Idcircò & Gregorius Nazianzenus orthodoxam fidem ἐγγεγραμμένον εὐσέβειαν, *pietatem scripturis comprehensam,* hæresin verò Arianam, ἄγγραφον καινοτομίαν, *nouitatem extra scripturas inductam,* nominat.

XVII. **Bonitas est congruentia rei cum appetitu.** Sicut veritas facit vt ens sit intelligibile, ita bonitas facit vt idem sit volibile, appetibile, amabile. Hinc bonum & appetibile inter se conuertuntur: & bonum definitur, quod omnia appetunt. *Proprietas* boni est, esse communicatiuum siue diffusiuum sui, & dissipatiuum mali: sicut mali ea est indoles, vt sit destructiuum tum sui tum boni sibi oppositi. *Matth.* 5. *v.* 45. *Psal.* 5. *v.* 5. 6. 7. Cæterùm quod dictum est de appetitu, accipi debet de ordinato appetitu, à quo res habet esse approbationis: non verò de inordinato, quo fit, vt bonum apparens habeatur pro vero bono. Vnde non obscurè licet colligere, fines bonorum & malorum arcessendos esse à voluntate Dei & diaboli, ita nempe vt illud censeatur bonum, quod conforme est voluntati Dei, & malum, quod conforme est volũtati diaboli. Nam voluntas Dei est appetitus ordinatissimus, sicut è contrario voluntas diaboli est appetitus inordinatissimus. Vnde porrò illud consequitur, Deum esse summum bonum: vtpote qui est

maximè

maximè volibilis, appetibilis, amabilis, & prima regula omnis boni. Non itaque sine causâ Christus pronuntiat, *neminem esse bonum nisi vnum Deum Marc.* 10. *vers.* 18. Intelligè summum bonum, siue bonum à se. Aliâs etiam opera Dei sunt bona. *Gen.* 1. bonitate scil. participatâ, quatenus sunt à Deo, & ad ipsum ordinantur atq; referuntur. Hinc tres gradus bonorum statuuntur: videl. *bonum summum extra hominem*, quod est Deus: *bonum summum in homine*, q̃ est fruitio Dei, seu vnio & communio cum Deo: *& bonũ sub summo*, quod subseruit summo bono, & ad illud perducit atque conducit. Nihil itaque censeri debet bonum, quod à summo bono abducit. Ex his facile est iudicium ferre de comparatione bonorum. Nam quò quid est propius summo bono, & quò magis conducit ad summum bonum, eò debet censeri melius. Sic bonum honestum præferendum est vtili, permanens caduco, spirituale corporali. Breuiter: Bonum, quod est supra hominem, est præstantissimum: huic proximum, quod est iuxta hominem: vltimas tenet, quod est infra hominem.

XVIII. Numerus est, per quem res est expers turpis infinitudinis. Turpem dico infinitudinẽ, de quâ loquitur vsitatum dictum, *Natura abhorret ab infinito*, item, *à progressu in infinitum.* Videmus enim omnes res certo numero contineri, de quo poëta ex *Sap.* 11. *v.* 21. *Pondere, mensurâ, numero Deus omnia fecit.* Etsi enim multæ res nobis sunt innumerabiles, qualia sunt beneficia Dei, itemque stellæ: reuerâ tamen, in seipsis constant numero, quem Deus nouit. *Psal.* 147. *vers.* 4. Hic est ille numerus, qui harmoniam efficit in omni ente: vnde aliquis non malè definiuerit hunc numerum, affectionem entis, quâ fit vt essentia sit harmonica.

XIX. Ordo est affectio, per quam res habet essentiam confusionis expertem. Eius tanta est vis, vt nihil sine ipso possit consistere. Tametsi enim multa sunt confusa in comparatione aliorum, & respectu intel-

lectus noſtri, qui pro imbecillitate ſuâ non ſemper aſſequi poteſt ordinem in rebus: nihil tamen in naturâ abſolutè in ſe, vel etiam in ordine ad Deum eſt confuſum. Hinc ordo eſt in Deo & operibus Dei: in homine, & rectis operibus hominis: in vniuerſitate rerum, & diſciplinis: in intellectu bene ſe habente, & in re intelligibili. Quod attinet ad ἀταξίαν peccati, illa non ſequitur eſſentiam rei, ſed carentiam eſſentiæ bonæ. De ordine, illiuſque dignitate vide *Pſal.* 148. *verſ.* 6. *Ier.* 31. *ver.* 36. 1. *Cor.* 14. *verſ.* 33. 40. *Coloſſ.* 2. *verſ.* 5. Exempla vide *Gen.* 1. *Num.* 1. 2. 3. & alibi.

XX. Perfectio eſt, per quam res habet eſſentiam defectus expertem in ſuo genere: ita nempe, vt habeat eſſentiam, exiſtentiam, operationem, & finẽ ſuum; quæ quatuor cohærent in omni ente. Hinc *perfectum* ſcitè definitur, cui nihil deeſt, in ſuo ſcil. genere: itẽ, extra quod non eſt vllam partem accipere. Vſitatè appellatur perfectio eſſentiæ: cui opponitur perfectio gradus, quæ non competit omni enti. Vtraque eſt in Deo. *Matt.* 5. *verſ.* 48. perfectio eſſentiæ eſt in regenitis *Gen.* 6. *verſ.* 9. *c.* 17. *v.* 3. *Matt.* 5. *v.* 48. perfectio gradus ſecundùm plus & minus eſt in operibus Dei. *Gen.* 2. *v.* 1. *Deut.* 32. *verſ.* 4.

XXI. Pulchritudo eſt affectio, per quam res habet eſſentiam deformitatis expertem. Ita nempe vt eleganti proportione conſtet, atque etiam delectare poſſit. *Pſal.* 92. *verſ.* 5. & 111. *verſ.* 3. Intellige proportionem, non mathematicam illam, ſed entitatiuam, quæ cõſiſtit in correſponſu eſſentiæ, exiſtentiæ, & modorum, putà vnitatis, veritatis, bonitatis, &c. Nam pulchritudo eſt affectio entis colophonia, reſultans ex præcedentibus affectionibus, vnitate videl. veritate, bonitate, numero, ordine, & perfectione. Ideo enim aliquid eſt pulchrum, quia habẽt proportionem vnitatis, veritatis, bonitatis, &c. Sic Chriſtus ἀνθρωπος, μεσίτης καὶ ἱκέτης ἡμῶν, eſt pulchritudo pulcherrima, vt conſtat ex Cantico

Can-

Canticorum: quia est vnus ille, & verus, & bonus, & perfectus mediator inter Deum & homines. E cõtrario peccatum est turpitudo omnium turpissima: quia habet disproportionem meram multiplicitatis, falsitatis, malitiæ, confusionis, & imperfectionis. De pulchritudine Christi & Ecclesiæ vide *Psal.* 45. quem confer cum Cantico Canticorum. Intellige hîc pulchritudinem partim increatam, partim creatam, & hanc spiritualem, non corporalem.

XXII. Primæ entis differentiæ sunt modi, per quos ens primò diuiditur. Hinc appellantur generalissimæ diuisiones, item distinctiones, quæ dicuntur de omnibus rebus. Nam quidquid in mundo est, id est per se vel per accidens, simpliciter vel secundùm quid, à se vel ab alio, independens vel dependens, &c. hoc modo.

XXIII. Omne ens est per se, vel per accidens. *Ens per se est*, quod suâ naturâ est tale: & quia per se est, etiam per se agit, & per se prædicatur. Nam modus agendi & prædicandi sequitur modum essendi. Sic vinum per se est bonum; & per se agit benè, id est, exhilarat; & hoc de ipso prædicatur per se, denominatione internâ & essentiali. *Ens per accidens* est, quod aliunde habet, vt sit tale: & quia per accidens est tale, etiam per accidens agit & prædicatur: vt, vinum est malum, quatenus immoderatè sumitur; & malè afficit hominem, hoc est, ipsum inebriat; & hoc de ipso prædicatur per accidens, denominatione externâ. Ita Christus per se & suâ naturâ est lapis angularis, & lapis defensionis, & petra salutis. *Psal.* 118. *ver.* 22. *Matt.* 16. *v.* 18. per accidens, & nostro vitio est signum cui contradicitur, positum εἰς πτῶσιν, *in ruinam*, & lapis offensionis, & petra scandali. *Luc.* 2. *vers.* 34. *Rom.* 9. *vers.* 32. 33. 1. *Cor.* 1. *vers.* 23. 24. Similiter euangelium per se est odor vitæ ad vitam, per accidens odor mortis ad mortem. 2. *Cor.* 2. *vers.* 14. 15. 16.

XXIV. Omne ens est tale simpliciter, vel se-

cundùm quid. *Ens tale ſimpliciter* eſt, quod nullam admittit limitationem: vt, Deus eſt immutabilis. *Ens tale ſecundùm quid* eſt, quod admittit limitationem: vt, Chriſtus θεάνθρωπος eſt ſubiectum limitandum, quatenus de illo prædicantur attributa & apoteleſmata vel diuina, vel humana, vel θεανδρικά. Confer *Iohan.3.v.13. Act.20.v.28.*

XXV. Ens aut eſt à ſe, aut ab alio. *Ens à ſe* eſt, quod ſuæ eſt originis. *Ens ab alio* eſt, quod alteri ſuam debet originem. Intellige originem eſſentiæ, ſubſtantiæ, vel potẽtiæ. Sic Filius Dei non habet originem eſſentiæ aut potẽtiæ, ſed ſubſiſtentiæ. *Hebr.1.v.3.* at res creatæ ſunt à Deo quantum ad eſſentiam & potentiam *Iohan.1.v.3. Rom.11.v. vlt.* Anima rationalis originẽ eſſẽtiæ habet à Deo *Heb.12. v.9.* originem ſubſiſtentiæ habet à parentibus. *Gen.5.v.3.*

XXVI. Ens eſt independens, vel dependens. *Independens* eſt, quod à ſe habet aliquid: eſtq; tale vel ſimpliciter, vt ſolus Deus, qui eſt Alpha & Omega *Apoc.1.v.8.* vel ſecundùm quid, vt magiſtratus *Pſal.82. Rom.13.v.1. Dependens* eſt, quod ab alio habet eſſentiam, ſubſiſtentiam, potentiam & notitiam ſui: vt effectum dependet à cauſâ, adiunctum à ſubiecto, & correlatum à relato. *Act.17.v.28.29.*

XXVII. Ens eſt permanens, vel ſucceſſiuum. *Ens permanens* eſt, quod eſſe ſuum habet ſimul: vt eſt æternitas, quæ dicitur eſſe Nunc ſemper ſtans, ſiue ſtatus immobilis. Vide *Pſ.102.v.27.28. Ens ſucceſſiuum* eſt, quod partes ſui eſſe habet in fluxu quodam: vt motus & tempus. In motu ſiquidem & tempore eſt prius & poſterius; præteritum, præſens, & futurum, fuiſſe, eſſe, & fore. Succeſſioni iſti obnoxia ſunt omnia corpora, etiam cœleſtia. Quod attinet ad actiones Dei, quæ fiunt in tempore, illæ quoq; admittunt ſucceſſionem, non ex parte Dei agentis, ſed ex parte creaturarum.

XXVIII. Ens eſt ſimplex, vel compoſitũ. *Simplex* eſt, q̃ partium eſt expers: idq; vel ſimpliciter & abſolutè, vel modo quodam. Priori modo ſolus Deus eſt ſimplex;

quia

quia in eo omnes perfectiones rediguntur ad ſimpliciſſimam vnitatẽ: poſteriori modo quædã creaturæ ſunt ſimplices, tametſi nulla creatura tam ſit ſimplex, quin ſimul ſit compoſita. Simplicitas Dei inde apparet, ꝙ ſit ſpiritus, habitãs lucẽ inacceſſam, quem nemo hominũ vidit, neq; videre poteſt, & cuius nomẽ eſt Eheieh & Iehouah. *Ioh.* 4. *v.* 24. 1. *Tim.* 6. *v.* 16. *Exod.* 3. *v.* 14. Simplicitas creaturarũ certos admittit gradus. In primo gradu ſunt angeli & anima hominis *Pſ.* 104. *v.* 4. *Heb.* 1. *v.* 14. *Gen.* 2. *v.* 7. In ſecũdo gradu eſt lux *Gen.* 1. *v.* 3. In tertio gradu ſunt cœlũ & ſtellæ; in quarto elementa lucida. *Compoſitũ* eſt, in quo eſt interna partium diuerſitas, ſeu, in quo eſt natura alterius. Compoſitio iſta eſt generalis, vel ſpecialis. *Cõpoſitio generalis* eſt, quæ in omnib. in vniuerſum rebus creatis reperitur. Eius quinq; ſunt genera. 1. ex eſſe & eſſentiâ, h. e. ex cõcreto & abſtracto, ſeu formato & formâ. 2. ex eſſentiâ & exiſtentiâ, ſeu, ex naturâ & ſuppoſito, i. e. ex naturâ communi & ſingulari. 3. ex potentiâ (paſſiuâ) & actu. 4. ex genere & differentiâ. 5. ex ſubiecto & accidente. *Compoſitio ſpecialis* eſt, quæ in corporibus reperitur: eſtque 1. ex materiâ (ſenſili) & formâ. 2. ex partibus quantis.

XXIX. Omne ens eſt infinitum, vel finitũ. *Infinitum* eſt, ꝙ habet eſſentiam interminatã: eſtq; vel interminatæ perfectionis, eſſentiæ, virtutis, & durationis, vt Deus *Eſa.* 66. *v.* 1. *Pſ.* 48. *v.* 15. vel interminatæ imperfectionis, quo ſenſu numerus, magnitudo, materia prima, & ſimilia dicũtur infinita. Quò pertinet illud Platonicorũ, aſſerentiũ, omnia componi ex infinito & termino, h. e. ex potentiâ & actu. Nam potentia paſſiua in rebus creatis eſt indeterminata atq; indefinita. Caue tamẽ hìc intelligas iſtã infinitatem, quæ reciprocatur cũ non-ente, de quâ ſuprà theoremate 18. *Finitum* eſt, ꝙ certis terminis circumſcribitur, vt mundus & res in eo contentæ. *Eſa.* 40. *v.* 12. *Dan.* 4. *v.* 35.

XXX. Omne ens eſt actu vel potentiâ. *Ens actu* eſt vel actus, vel compoſitum ex actu & potentiâ. *Actus* eſt perfectio potentiæ: eſtq; purus, vel impurus. *Actus purus* habet

rationem efficientis immobilis: quo pacto ſolus Deus eſt actus. *Pſal.* 121. *verſ.* 4. Noſtrum itaque eſt vnicè in id incumbere, vt Deo aſſimilemur per actus bonos: quia hâc in re vertitur omnis noſtra perfectio in hâc & futurâ vitâ. *Actus impurus* habet rationem efficientis mobilis, formæ, proprietatis, vel operationis. Primo modo angelus & anima dicitur actus: ſecundo & tertio forma & proprietas dicitur actus primus ſiue ſignatus: quarto denique modo actio quælibet dicitur actus ſecundus ſiue exercitus. Actus primus eſt inſeparabilis à re, ſecundus poteſt inhiberi vel ſeparari. Sic ab aquâ maris rubri, cùm tranſierunt Iſraelitæ, non ſeparata eſt mobilitas ſiue fluiditas, ſed motus ſiue fluxus inhibitus. Idem iudicium eſt de ſole, qui ſtitit curſum ſuum tempore Ioſuæ: de ferro, quod natauit tempore Eliſæi: de igni, qui non læſit ſocios Danielis in fornace Babylonicâ. *Exod.* 14. *Ioſ.* 10. 2. *Reg.* 6. *Dan.* 3. *Ens compoſitum ex actu & potentiâ* eſt, quod ita eſt, vt vel non eſſe, vel aliter eſſe aliudue fieri poſſit: vti omnes creaturæ ſe habent. Solus quippe Deus eſt immobilis ſeu immutabilis. *Pſal.* 102. *verſ.* 26. *Heb.* 1. *verſ.* 10. 11. 12. *Potentia* eſt diſpoſitio rei ad actum: ſeu, eſt vis & facultas eius, quod potens, ad id, quod poſſibile; ſicut actus eſt id, quo aliquid agit. Potentia eſt actiua, paſſiua, vel obiectiua. *Potentia actiua* eſt, quâ res poteſt agere bonum. Ea in Deo eſt omnipotentia, *Gen.* 17. *verſ.* 1. *Ier.* 32. *v.* 17. 18. 19. *Luc.* 1. *verſ.* 37. in creaturis vis & facultas agendi id, quod debet ex lege creationis vel redemtionis. *Gen.* 1. *verſ.* 11. 20. 24. 27. *Matth.* 5. *verſ.* 16. *Potentia paßiua* eſt, quâ res poteſt pati bonum & malum, vel agere malum. Nam agere malum arguit paſſionem & imperfectionem. Potentia iſta paſſiua non cadit in Deum. *Iacob.* 1. *v.* 17. *Potentia obiectiua* eſt, quâ res obiicitur ſuo agenti tanquam poſſibilis: quo ſenſu nos fuimus electi in Chriſto ante iacta mundi fundamenta. *Eph.* 1. *v.* 4. Deinde potentia eſt *præceptiua, vel obedientialis.* Illa eſt, quâ Deus præcipit, vt hoc vel illud fiat. *Gen.* 1. vbi per verbum FIAT vel ESTO natura rerum eſt

produ-

producta: hæc eſt, quâ creatura obedit Deo præcipienti: Quam in ſententiam apud Iobum dicitur Deus præcipere ſoli & pluuiis. *Iob. 9. verſ. 7. cap. 37. verſ. 15.* Nam Deus eſt velut imperator, quo dicente, eſt, quidquid eſt, & quo præcipiente exiſtit. *Pſal. 33. verſ. 9. & 148. verſ. 5.* Hinc appellatur Ichoua Zebaoth, i. e. Deus exercituum. Huic obedientiali potentiæ opponitur naturalis, quâ fit, vt aliquid fiat vi principij interni, quod appellamus naturam. Sic ex vite poteſt naſci vinum potentiâ naturali; ex aquâ poteſt fieri vinum potentiâ obedientali, virtute Dei *Iohan. 2.* Porrò *potentia Dei eſt abſoluta, vel ordinata ſiue actualis.* Illa fit ſupra leges à diuinâ voluntate poſitas, vt cùm Deus inhibuit motum ſolis & lunæ: hæc ſequitur iſtas leges, vt cùm Deus finit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. *Matth. 5. verſ. 45.* Priori illâ potentiâ Deus plura poteſt quàm vult. *Matth. 3. verſ. 9. cap. 26. v. 53.*

XXXI. Ens eſt vniuerſale, vel ſingulare. *Vniuerſale* eſt, quod communiter & variè ad multa pertinet. Eſtque tale *in eſſendo*, vt ſunt genera & ſpecies, id eſt, naturæ communes, quæ in inferioribus rebus exiſtunt & multiplicantur: vel *in cauſando*, vt Deus, qui eſt cauſa cauſarum in bonis *Eſa. 50. v. 2. Ier. 32. v. 17. 18. 19.* vel *in ſignificando & repræſentando*, vt voces quibus indicantur multa in ſingularibus multiplicata: vel denique *in prædicando*, vt ſunt ea, quæ de multis enuntiantur. *e. g.* de omnibus credentibus aſſeuerat Chriſtus, illos conſecuturos præmiũ vitæ æternæ *Iohan. 3.* *Singulare* eſt individuum ſuâ proprietate determinatum: vt eſt Deus *Deut. 4. v. 35. Eſa. 44. v. 1.* Singulare eſt *primò* variabile, vt hic homo; vel inuariabile, vt ſol. Illius ſcientia non datur: huius, datur. *Deinde* eſt primum, vel vltimum. *Singulare primum*, ſiue antecedens, eſt, quod reſpicit primum entis momentum. Sic eſſentia Dei eſt res ſingularis. *Singulare vltimum*, ſiue conſequens eſt, quod reſpicit ſecundum entis momentum. Sic tres perſonæ in eſſentiâ Dei ſunt ſingulares. Vnde patet eſſentiam Dei ita eſſe ſingularem, vt nihilominus ſit

communis tribus personis, non tamen vt genus vel species, sed vt indiuiduum .1. *Ioh.* 5. *v.* 7. Etsi enim essentia Dei ad multas, id est, tres, personas pertinet: non tamen pertinet ad illas variè, sed per modum ταυτότητος, ideoque non debet appellari vniuersale.

XXXII. Ens est increatum, vel creatum. *Increatum* est, quod ab æuo est in æuum: vt solus Deus. *Esa.* 45. *v.* 21. 22. *Creatum* est, quod ab increato productum est, idque vel ex nihilo *Gen.* 1. *vers.* 1. 2. *Cor.* 4. *vers.* 6. vel ex aliquâ materiâ creatâ *Gen.* 2. *v.* 7. 19.

XXXIII. Ens est à se, vel ab alio. *Ens à se* est, quod à se habet aliquid. *Ens ab alio* est, quod alij fert aliquid acceptum: idque vel ratione essentiæ & potentiæ, vti creaturæ sunt à Deo *Rom.* 11. *v. vlt.* vel ratione personæ seu modi subsistendi, vt Filius Dei est à Patre *Heb.* 1. *v.* 3.

XXXIV. Ens est absolutum, vel respectiuum. *Absolutum* est, cuius natura est non referri ad aliud: vt essentia Dei est res absoluta. *Respectiuum* est, cuius natura est referri ad aliud: vt persona in essentiâ Dei est res respectiua. Nam Pater ad Filium, & vterque ad Spiritum sanctum refertur. *Psal.* 2. *v.* 7. 1. *Ioh.* 2. *v.* 23. *Ioh.* 15. *vers.* 26. Refertur autem vna res ad aliam relatione transcendentali vel prædicamentali, generali vel speciali. *Relatio transcendentalis* est, quę immediatè fundatur in substantiâ, sine interuentu accidentis. Ita se habent relationes, quæ Deo tribuuntur. *Relatio prædicamentalis* est, quæ fundatur in re, mediante quantitate vel qualitate aliquâ. Sic Adam dicitur pater Caini, quia illũ genuit vi naturali, quę in ipso fuit qualitas. *Gen.* 4. *v.* 1. *Relatio generalis* est, quæ extra essentiam rei est posita, & competit omnibus rebus absolutis secũdùm varia loca inuentionis logicæ. Sic cœlum refertur ad terram, solem, hominem, Deum. *Relatio specialis* est illarum rerum, quarum esse positum est in respectu. Dicitur eleganter relatio interna, sicut generalis, externa. Relationis internæ exempla sunt pater & filius, dare & accipere, &

re', & similia, quæ non possunt exuere naturam relationis.

XXXV. Ens est incorruptibile, vel corruptibile. *Incorruptibile* est, cuius essentia semper manet sibi similis. Estque tale simpliciter, vel ex hypothesi. *Incorruptibile simpliciter* est, quod naturæ necessitate, seu immutabilitate, est tale: vt est solus Deus, qui vt non transiit à non esse ad esse, ita quoque transire non potest ab esse ad non esse. *Psal.* 102. *ver.* 27. 28. *Rom.* 1. *v.* 23. *Incorruptibile ex hypothesi* est, quod tale est ex voluntate Dei. Nam Deus vult aliquid esse incorruptibile, vel vt creator, vel vt redemtor, vel vt iudex seuerus. Primi modi exemplum sunt angelus & anima rationalis; secundi, corpora electorum in cœlis; tertij, corpora damnatorum in gehennâ. *Corruptibile* est, cuius essentia tendit ad non esse. 2. *Pet.* 3. *ver.* 12. 13. Est autem corruptio totalis, vel partialis, bona, vel mala; naturalis, vel violenta: vbi diligenter tenenda est regula, *Corruptio naturalis est mater generationis, violenta, destructionis. Iohan.* 12. *v.* 24. 1. *Cor.* 15. *v.* 42. 43.

XXXVI. Ens est naturale, vel non-naturale. *Naturale* est, quod habet principium actionis & passionis sibi insitum lege ordinariâ creationis. *Gen.* 1. *ver.* 11. *Non-naturale* est, quod mouetur à principio externo; estque vel supra, vel præter, vel contra naturam. *Supra naturam* est, quod naturam euehit ex regno potentiæ in regnum gratiæ vel gloriæ, non tollendo naturam, sed defectum naturæ. Sic regeneratio non tollit, sed extollit naturam hominis *Iohan.* 3. *Præter naturam* est, quod fit vi artis, & ideò dicitur artificiale. *Contra naturam* est, quod destruit naturam: scil. particularem, seu huius & illius indiuidui. Fieri enim non potest, vt natura vniuersalis destruatur quamdiu hic mundus durat. *Gen.* 8. *v. vlt.*

XXXVII. Ens est completum, vel incompletum. *Completum* est, quod per se subsistit: vt homo, arbor, & omnia illa, quæ Deus creauit *Gen.* 1. *Incomple-*

tum

tum est, quod est pars alterius: vt est manus hominis.

XXXVIII. Ens est totum vel pars. *Totum* est, quod non est mutilum. Estque indiuisibile, vel diuisibile. *Totum indiuisibile* est, quod nullas habet partes: vt Deus, qui est ὅλως ὅλον, *totaliter totum*, i.e. habens totam perfectionem in se toto. *Eph.* 4. *vers.* 6. *Totum diuisibile* est, quod partes habet: vt est causa, effectum, subiectum, adiunctum, genus, species, indiuiduum compositum. *Pars* est, quæ continetur à tote. Estque essentialis, vel integralis: & hæc est principalis, vel minùs principalis. Illa æquè potest atque pars essentialis. *v. g.* cor in animali est pars integralis principalis, quæ æquè facit ad esse animalis atque pars essentialis.

XXXIX. Ens est prius, connexum, vel posterius. *Prius* est, ꝙ antecedit: *connexum*, ꝙ est simul: *posterius*, quod sequitur. Sunt autem varii modi prioris, cõnexi, & posterioris; qui omnes reuocantur ad quatuor capita, videl. ad naturam siue essentiam, personam siue modum subsistẽdi, circumstantiam, & cognitionem. Nam aliquid est prius, simul, vel posterius naturâ; modo subsistendi; circumstantiâ loci, temporis, dignitatis, virtutis, obiecti; vel denique cognitione. Sic Christus vt Deus est prior naturâ siue origine essentiæ omnibus creaturis *Prouerb.* 8. Pater est prior Christo Filio, non origine essentiæ, sed personæ *Iohan.* 1. cœlum est prius terrâ loco, dignitate, virtute.

XL. Omne ens est idem, vel diuersum. *Idem* est, quod non distinguitur, quâ tale. Estque tale genere, specie, numero, causâ, effecto, subiecto, adiuncto, definitione, & analogiâ seu similitudine: ad quos modos reliqui referri possunt, putà idem naturâ siue essentiâ, voluntate, consensu, instituto &c. Sic idem numero Christus resurrexit ex morte *Psal.* 16. *v.* 10. *Luc.* 24. *vers.* 42. 46. eadem numero caro resurget in vltimo die *Iob.* 19. *ver.* 27. 1. *Cor.* 15. *vers.* 42. 43. tres personæ ſs. trinitatis sunt idem essentiâ 1. *Ioh.* 5. *v.* 7. maritus & vxor sunt idem, seu vna ca-

ro,

ro, partim φύσει creationis, partim θέσει relationis, quatenus vxor est pars viri, & Dei instituto in matrimonium ipsi tradita. *Gen. 2. vers. 24. Diuersum* est, quod ab alio distinguitur. Distinguitur autem distinctione rei, vel rationis. *Distinctio rei* est, quâ res à re distinguitur citra operationem mentis nostræ. Estque essentialis, inter rem & rem essentiâ peculiari prędităm: vel personalis, inter rem & rem essentiâ eandem, sed charactere essentiæ diuersam: vel modalis, inter diuersos vnius rei modos atq; gradus. Primo modo distinguuntur illa, quæ habent separatas essentias, vt homo & arbor, Plato & Socrates: secundo, personæ sacrosanctæ Trinitatis, quæ sunt homousiæ 1. *Ioh. 5. v. 7.* tertio, lux matutina à meridianâ, vetus testamentum à nouo, vt constat ex epistolâ ad Hebræos. *Distinctio rationis* est, quæ pendet à collatione, quam mens nostra instituit inter rem & rem: vt, cùm dextrum & sinistrum in columnâ distinguit pro diuerso corporis positu; & cùm proprietates Dei distinguit pro varietate obiectorum & effectorum, proque modulo captus humani, ad quem Deus se accommodauit in scripturis συγκαταβάσει planè paternâ *Exod. 34. vers. 6. 7.*

XLI. Omne ens est illocale, vel locale. *Illocale* est, quod supra & extra omnem locum existit: vt solus Deus. Hic enim vt est supra tempus suâ æternitate, ita quoque est supra locum suâ immensitate 1. *Reg. 8. v. 27. Esa. 66. 1.* Quòd autem vulgo dicitur Deus esse in loco repletiuè, id accipiendum est de ipsius omnipræsentiâ, quâ est in omni loco *Act. 17. v. 27. 28.* Quò pertinet istud elegans:

Enter, præsenter, Deus hîc & vbique potenter. Nonitaque Deus est in loco vt locatum, sed vt causâ omnis loci: vnde Cabbalistis Deus appellatur מָקוֹם i. e. locus. *Locale* est, quod locatur in suo loco: vt est omne ens præter Deum. Nam & spiritus creati sunt in loco, & corpora. Illi definitiuè, hæc circumscriptiuè: illi designando sibi locum, sed

non

non occupando siue implendo; hæc occupando seu implendo. *Marc.5.v.9. Luc.8.v.30.*

XLII. Omne ens est mensura, vel mensuratum. *Mensura est*, per quam deducimur in alicuius rei cognitionem: siue, est norma metiendi, quâ cognoscimus, quantum sit aliquid. Estque mensurans, vel mensurata. *Mensura mensurans* est, quæ in aliquo genere prima est: vt est canon frumentarius & nummarius, vel exemplar authenticum. Sic Deus est mensura primò prima in latitudine seu vniuersitate entium: quia ex eo, per eum, & ad eũ sunt omnia. *Rom.11.v. vlt. Mensura mensurata* est, quæ aliquo respectu est norma metiendi: vt effectum est mensura causę ratione melioris cognitionis, quatenus ἔργον ϖϱὸς χειϱὸς ἐλέγχει. Sic ex operibus Dei cognoscitur ipsius æterna deitas & potentia. *Rom.1.v.20. Mensuratum* est, quod à mensurâ suâ pendet: vt ecclesia mensuratur per scripturam sacram tanquam canonem fidei, vitæ, & vocationis nostræ. *Eph.2.v.20.*

XLIII. Omne ens est possibile, vel impossibile. *Possibile* est, quod esse vel fieri potest: quod nempe ita est comparatum, vt eo non euertatur natura eius, quod possibile dicitur: vt possibile fuit, Nebucadnezarem degenerare in sortem brutorum. *Dan.4. Impossibile* est, quod esse vel fieri non potest: estque tale vel naturâ, vel naturæ. *Impossibile naturâ* est, quod propter sui imperfectionẽ, & agentis perfectionem fieri non potest: vt Deus non potest mentiri *Heb.6.v.18. Impossibile naturæ* est, quod propter imperfectionem agentis fieri non potest: vt impossibile fuit Abrahamo subducere numerum stellarum. *Gen.16. v.5.* Sic multa nobis sunt impossibilia, quæ Deo sunt possibilia. *Matth.16.v.26. Marc.10.v.27. Luc.18.v.27.* Insignis est locus apud *Ambrosium lib.4. de fide*, hanc in sententiam: *Multæ sunt impossibilitatum differentiæ. Est aliquid naturâ impossibile. Et est aliquid, quod est possibile per naturam, impossibile per infirmitatem. Est etiam tertium, quod sit possibile per corporis & animi*

animi firmitatem, impoßibile per imperitiam aut impotentiam. Eſt etiam, quod per definitionem immutabilis propoſiti & conſtãtis perſeuerantiam voluntatis atque amicitiæ fidem ſit impoßibile mutari. Sic non erat poſſibile, vt à Chriſto abiret poculum crucis *Matth. 26. v. 39.*

XLIV. Ens eſt archetypum, vel ectypum. *Archetypum* eſt primigenium exemplar, ex quo aliquid exprimitur: aliâs prototypum. *Ectypum* eſt, quod ex archetypo exprimitur. Sic eſſentia Dei eſt idea ſeu archetypum omnis boni in naturâ & ſupra naturam. Hinc veritas, bonitas, iuſtitia, lex, & res ſimiles diuiduntur in archetypas & ectypas. Similiter in rebus artificialibus datur archetypum & ectypum: quomodo apoſtolus *Hebr. 8. v. 5.* pronuntiat, Moſen juſſum eſſe omnia facere ad exemplar ipſi oſtenſum in monte. Teneatur hîc regula: *Non debet eſſe plus in ectypo, quàm in archetypo.*

XLV. Ens eſt reale, vel intentionale. *Ens reale* eſt, quod in rerum naturâ exiſtit: vt ſol. Ens intentionale eſt, quod obijcitur menti; ſeu, quod habet eſſe intentionale. Eſtque rationis, vt notiones ſecundæ: vel fidei, vt caro Chriſti Abrahamo fuit præſens obiectiuè, ſeu intentionaliter, quatenus Abraham verâ fide præditus vidit diem Domini. *Iohan. 8. v. 56.*

XLVI. Omne ens eſt abſtractum, vel concretum. *Abſtractum* eſt, quod ab alio ſecretam habet naturam. Eius autem modi ſunt quatuor. *Primus* eſt eſſentiæ ſpiritualis in Deo, angelis, & animâ rationali: *ſecundus* eſt duarum naturarum in Chriſto: *tertius* eſt formarum, vt ſapientiæ, iuſtitiæ, aureitatis: *quartus* eſt conceptuum, vbi mens noſtra dicitur abſtrahere vnum ab alio, quando conſiderat vnum non conſiderato alio, cuiuſmodi abſtractio datur in metaphyſicis, logicis, phyſicis, & mathematicis. *Concretum* eſt, quod habet naturam cum alio vnitam ſiue coniunctam: vt aurum, homo, & omne compoſitum ex materiâ & formâ. Sic perſona Chriſti eſt aliquid

con

concretum, iuxta illud theologorum: *Communicatio idiomatum valet in concreto, e.g.* Filius hominis descendit è cœlo *Iohan. 3. vers.* 13. Dominum gloriæ crucifixerunt 1. *Cor.* 2. *vers.* 8.

XLVII. Ens est principium, vel principiatum. *Principium* est, quod in suo genere primum est: in genere, inquam, causæ, loci, temporis, motus, essentiæ, personæ, notitiæ seu cognitionis. Vsitatè ita diuiditur principium, vt statuatur aliud esse essentiæ seu essendi, aliud cognitionis seu cognoscendi. Vtrumque est incomplexum, vel complexum. Illud est res, vt Deus, natura, Scriptura sacra: hoc est sententia, vt, Deus est, Natura est ordo Dei creatoris, Scriptura sacra est verbum Dei. *Principiatum* est, quod à principio pendet. Sic Christus est principium, à quo pendent omnes creaturæ *Coloss.* 1. *v.* 18. & inprimis electi, quorum ipse est caput & ἀρχηγὸς. De principio primo temporis vide *Gen.* 1. *v.* 1.

XLVIII. Ens est causa, vel causatum. *Causa est, quæ aliquid influit in causatum:* idque ratione essentiæ, permissionis, vel directionis seu regiminis. Sic Deus essentiam & regimen influit rebus bonis *Gen.* 1. *v.* 31. *Psal.* 104. *Act.* 17. *v.* 25. 26. malis culpæ influit permissionem & directionem, sed non essentiam. *Psal.* 5. *v.* 5. 6. 1. *Reg.* 22. *v.* 21. 22. Cæterùm causa consideratur in genere, vel in specie. *Causa in genere* est per se, vel per accidens; prima, vel secunda; potentiâ, vel actu; sufficiens, vel insufficiens; totalis, vel partialis; vniuoca, vel æquiuoca, vniuersalis, vel particularis; remota, vel propinqua. Quæ diuisiones omnibus & singulis causis applicari debent. *Causa in specie* est efficiens, finis, materia, & forma: qui ordo est secundùm naturam, vt constat ex historiâ creationis *Gen.* 1. vbi Deus tanquam prima causa efficiens & finalis antecessit omnẽ materiam & formam. Causalitas *efficientis* est, producere effectum procreando, conseruando, corrumpendo, permittendo, vel dirigendo. Causalitas *finis* est, perficere

suum

ſuum finitum. Cauſalitas *materiæ* eſt, concurrere cum formâ, vt exiſtat materiatum. Cauſalitas denique *formæ* eſt, concurrere cum materiâ, vt exiſtat formatum. *Cauſatum* eſt, quod à cauſâ accipit influxum. Speculum quatuor cauſarum longè pulcherrimum vide *Gen.* 1. & 2.

XLIX. Omne ens eſt neceſſarium, vel contingens. *Neceſſarium* eſt, quod aliter eſſe non poteſt. Eſt autem *neceſſitas* incomplexa, vel complexa. Illa dicitur neceſſitas rei, ſecundùm varia loca inuentionis logicæ: hæc eſt, vel conſequentis, in axiomate, vel cõſequentiæ, in ſyllogiſmo. *Neceſſitas rei* eſt independens, vel dependens. *Neceſſitas independens & illimitata* eſt vehementia eſſendi illius, quod per ſe & primò neceſſe eſt eſſe: quo ſenſu ſolus Deus eſt ens neceſſarium, vtpote cui ſoli repugnat non-eſſe. Hinc ipſi ſoli competit nomen Iehouah. *Apoc.* 16. *v.* 5. *Neceſſitas dependens & limitata* eſt, quâ aliquid eſt neceſſarium ex hypotheſi alicuius cauſæ, purà efficientis, finis, materiæ, vel formæ. Huc pertinent iſti modi: neceſſitas naturalis ſiue naturæ; neceſſitas fatalis ſeu infallibilitatis & præſcientiæ diuinæ, neceſſitas violentiæ & coactionis, neceſſitas prædictionis, determinationis, expedientiæ, indigentiæ, præcepti, iuris, obedientiæ, medij, meriti, &c. Sic *v.g.* neceſſe fuit Chriſtum pati & reſurgere *Luc.* 24. *v.* 26. quia Deus ita decreuerat, & per prophetas prædixerat, & ſalus noſtra ita exigebat. Mutato ſacerdotio leuitico, neceſſariò facta eſt legis mutatio *Heb.* 7. *v.* 12. quia Deus ita ordinauerat, vt ſacerdotiũ Leuiticum cum nouo ſacerdotio Chriſti commutaretur. Neceſſitas coactionis opponitur libertati 1. *Cor.* 7. *v.* 37. *Philem. v.* 14. & 1. *Petr.* 5. *v.* 2. Sed reliqui modi neceſſitatis eleganter conſentiunt cum libertate: vt, Adam peccauit neceſſariò, reſpectu decreti Dei, liberè, reſpectu voluntatis ſuæ: Deus neceſſariò odit peccatum, neceſſitate naturæ, & liberè, quia non coactè. Ex his patet, libertatem ſubordinari neceſſitati, neque rectè referri ad contingen-

tiam. Vide infra in Ethicis. *Necessitas consequentis* est, cùm immutabiliter duo vel plura cohærent in oratione: vnde dicitur *necessitas immutabilitatis*, quâ aliquid alicui attribuitur, conuenienter immutabili naturæ, vt vel necessariò antecedens, vel comitans, vel consequens. Appellatur etiam *necessitas propositionis, axiomatis, & sententiæ*. Sic necessarium est, Deum esse bonum, hominem esse animal. *Necessitas consequentiæ* est, cùm vna propositio ex aliâ sic deducitur, vt inter se immutabiliter cohæreant: vt *Heb.* 8. *v.* 3. *Omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur: vnde necesse fuit hunc quoq;* (Christum) *habere quod offerret.* Appellare possis *necessitatem syllogisticæ illationis. Contingens* est, quod aliter esse potest: idque ratione rei, prædicationis, vel illationis. εὔδηλον ex modò dictis.

L. Omne ens est subiectum, vel adiunctum. *Subiectum* est, quod alicui subijcitur: seu, cui aliquid adiungitur. Sic materia est subiectum formæ, substantia accidentis, obiectum, adiuncti occupati, & pars antecedens in axiomate est subiectum partis consequentis. *Adiunctum* est, quod alicui adiungitur: seu, cui aliquid subiicitur: vt forma est adiunctum materiæ, accidens substantiæ, &c. Adiunctum est essentiale, vel circumstantiale; proprium, vel commune; separabile, vel inseparabile. Sic deuotio est adiunctum precationis essentiale siue internum, locus & tempus sunt adiuncta circumstantialia seu externa. *Matt.* 6. *Luc.* 18.

L I. Omne ens est signum, vel signatum. *Signum* est, quod alicui aliquid signat. Vnde perspicitur, omne signum duas relationes includere. *e. g.* vnam ad id, quod significatur, alteram ad id, cui significatur. Quod dixi de significatione, idem de obsignatione, & reliquis modis signandi est iudicium. Est autem signum aliud speculatiuum, aliud practicum. Illud in nudâ significatione consistit: hoc significationi addit obsignationem & applicationem. Ideo in definitione signi non diximus, *significat*, sed *signat*: quia *signare* est significare, declarare, exprimere

mere euidenter, obſignare conferendo, claudere ſigno appoſito. Cæterùm ſignum eſt vel γνώρισμα, *indicium*, ein Kennvnd Merckzeichen / vel μνημόσυνον, *memoriale*, ein Denckzeichen; vel σφραγὶς, *Sigillum*. Rurſus ſignum eſt vel σημεῖον, rei præſentis; vel μνημόσυνον, rei præteritæ; vel προγνωστικὸν, rei futuræ. Exempla plurima occurrunt in ſacris. Iris eſt ſignum gratiæ Dei *Gen.* 9. Circumciſio eſt ſignum & ſigillum fœderis gratiæ *Gen.* 17. *verſ.* 11. *Rom.* 4. *verſ.* 11. Paſcha eſt memoriale ſeu monumentum tranſitus *Exod.* 12. *v.* 13. Præcepta Dei alligata manibus Iſraelitarum erant ſignum & typus accuratæ & perpetuæ obſeruationis. *Deut.* 6. *v.* 8. Ionas in ventre ceti fuit ſignũ filij hominis commoraturi in ventre terræ. *Matth.* 16. *v.* 4. rubedo cœli eſt prognoſticum tempeſtatis. *ibid. v.* 2. ceremoniæ V. T. erant typi Chriſti. *epiſt. ad Hebr. paſſim.* ſacramenta ſunt ſigna docentia, ſiue pingentia & ſignificantia; obſignantia, ſiue certificantia; denique applicantia, ſiue præbentia & exhibentia ipſum ſignatum in legitimo vſu. 1. *Cor.* 11. *verſ.* 24. 25. *Signatum* eſt, quod à ſigno repræſentatur, nempe ſignificando, obſignando, vel exhibendo.

LII. Explicatis tranſcendentibus reſtant prædicamenta, quæ ſunt ſumma entis genera, numero decem. Quintilianus ſcitè ait: *Ariſtoteles decẽ elementa conſtituit, circa quæ verſari videatur omnis quæſtio.* Et Melanchthon prædicamenta eleganter vocat *claſſes* ſeu *ſeries rerum omnium*. Eſt enim prædicamentum locus, quò omne ens, ſiue omnis conceptus ſimplex realis, referri poteſt, hoc ordine: *ſubſtantia, quantitas, qualitas, actio, paſſio, relatio, quando, vbi, ſitus, habitus.*

LIII. Prædicamentum aliud eſt ſubſtantiæ, aliud accidentis. Nam ſpecies entis ſunt duæ, *ſubſtantia & accidens. Subſtantia* eſt ens per ſe ſubſiſtens, hoc eſt, non indigens ſubiecto inhæſionis, ſeu, non inhærens alij: vt Deus, Spiritus creatus, & corpus. *Gen.* 1. & 2. *Heb.* 1.

v. 14. *Accidens* est ens substantiæ inhærens. Eius genera sunt nouem, hoc ordine. 1. *Quantitas* est accidens, quod habet partem extra partem. 2. *Qualitas* est accidens, quod creaturam reddit aptam ad agendum & patiendum. 3. *Actio* est accidens, quo agens occupatur circa patiens. 4. *Passio* est accidens, quo patiens recipit vim agentis. 5. *Relatio* est accidens, quo relatum respicit correlatum propter quantitatem vel qualitatem aliquam. 6. *Quando* est accidens, quo res est in tempore. 7. *Vbi* est accidens, quo res est in loco. 8. *Situs* est accidens, quo res certo modo ponitur in loco. 9. *Habitus* est accidens, quo rei adiacet ornatus: putà vestitus, vel quasi-vestitus. Nouem ista accidentia cùm in toto mundo *Gen.* 1. tum in singulis creaturis corporeis sunt manifesta, ideoque in illarum examine non oscitanter debent obseruari, atque adeò transcendentibus adiungi. *e g.* si dissertatio sit instituenda de solo, Platone, Bucephalo, rosâ, &c. ex transcendentium & prædicamentorum doctrinâ peti possunt innumera, quæ suppeditant materiam vberrimi & felicissimi discursus. De hâc materiâ vide infrà *Prædicamenta sacra.*

VIII.

PNEVMATICA SACRA.

I. PHilosophiam primam vidimus: sequitur iam philosophia orta, in quâ primò se offert Pneumatica, & ea quidem sacra, quæ est scientia Spiritus, quatenus est spiritus, sumta ex s. literis. Posteaquam enim de ente, quâ ens est, i. e. de ente vniuersè, tractauimus, ordo postulat, vt consideremus tale ens, vbi primò se nobis offert ens spirituale.

II. Spiritus est substantia corporis expers. Vulgo dicimus, *Melius potest dici, quid non sit spiritus, quàm quid sit.* Etideò Spiritus definitur substantia incorporea, seu

seu corporaturæ expers. Quam definitionem Christus expressit *Luc.* 24. *v.* 39.

III. Spiritus consideratur in genere, & in specie. Hinc Pneumatica diuiditur in generalem, & specialem.

IV. Spiritus in genere consideratur quantum ad proprietates suas, siue communes affectiones, hoc ordine. 1. *Spiritus est liber ab omni, tum crassâ, tum subtili corporaturâ.* Hinc Spiritus opponitur corpori. Quæ etiam causa est, quòd pars regenita in electis appellatur spiritus, pars non-regenita, caro. *Rom.* 8. *vers.* 6. 9. 10. *Gal.* 5. *v.* 17. Facit huc vsitatus canon: *Contradistinctum includit contradistincti negationem.* 2. *Spiritus est magnitudinis propriè dictæ expers*, hoc est, non habet partem extra partem. Hæc proprietas est consectarium primæ. 3. *Spiritus per se est insensilis*: quia τὸ αἰσθητὸν est affectio corporis. Dico *per se*: quia per accidens, ratione nempe variorum effectuum, spiritus afficit sensum: vt quando Deus locutus est, quando tonat, & alia opera sensum afficientia edit. Sic angeli locuti sunt hominibus, & iis apparuerunt in assumtis corporibus. Anima quoque rationalis se prodit per varias actiones sensibiles. 4. *Spiritus vbi vbi est, ibi totus est.* Nam quia non habet partes, non potest alicubi esse diuisibiliter. Hinc eleganter dicunt, Spiritum se habere instar puncti, quod est ἄτομον seu ἀμέριστον. De hoc modo inessendi vide *Psal.* 139. & *Marc.* 5. *v.* 9. Rectè itaque pronuntiatur à cordatis philosophis, animam rationalem esse totam in toto corpore, & totam in singulis partibus. 5. *Spiritus est immortalis.* Mors siquidem est separatio animę à corpore, & proinde non habet locum in iis, quæ habent naturam merè spiritualem. 6. *Spiritus præditus est intellectu & voluntate.* Nam vita spiritualis est posita in intelligendo & volendo. 7. *Spiritus est præditus potentiâ agendi promtâ.* Nam si corpora, quò subtiliora, eò sunt virtutis penetrantioris, quid amabo de spiritibus erit statuen-

dum, qui ſubtilitatem corporum longo interuallo anteeunt? Efficaciæ iſtius exemplum inſigne ſuppeditat hiſtoria Senhacheribi 2. *Reg.* 19. Pertinet huc regula: *Quod poteſt virtus inferior, poteſt & ſuperior*, modo ſcil. excellentiore.

V. Spiritus in ſpecie eſt infinitus, vel finitus.

VI. Spiritus infinitus eſt Deus. Deum eſſe ſpiritum docet Chriſtus *Iohan.* 4. *v.* 24. Eum eſſe ſpiritum infinitum docet apoſtolus *Eph.* 4. *v.* 6. his verbis: *Vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.* Confer cum 1. *Reg.* 8. *v.* 27. *An reuera habitaret Deus in terrâ? Ecce cœli ipſi, & cœli cœlorum non capiunt te: quantò minùs domus hæc, quam ædificaui?*

VII. Deus eſt ſpiritus eſſentiâ vnus, perſonis & operibus trinus. Hoc theorema eſt fundamentum omnis ſolidæ ſapientiæ: quia omnis ſapientia extra & citra hoc dogma eſt pura puta ſtultitia. Quod quàm ſit verum, non nôrunt niſi illi, qui veſtigium vnitatis & trinitatis in totâ naturâ oculis mentis ſe ingerere animaduerrunt. Percurre omnes & ſingulas creaturas, videbis vnitatem non eſſe ſine trinitate, neque trinitatem ſine vnitate. Placet intueri corporeas naturas? Vides ibi corpus, ſpiritum & animam. In homine id eſt euidens. 1. *Theſſ.* 5. *v.* 23. In reliquis creaturis corporeis id euincit ratio, quam comitatur experientia. Nihil iam dico de tribus principiis, quæ diſtinctè conſtituunt vnum corpus. Aſſurgamus ad animam rationalem & angelos, & diſpiciamus, quomodo ibi ſit vnum & trinum. Tria ibi ſunt intimè vnita, videl. intellectus, voluntas, & potentia agendi ſpiritualis. Prætereo alia, quæ multa ſunt. Neque verò eſt, quòd aliquis criminetur hanc ſimilitudinem, quòd maxima ibi ſit diſſimilitudo. Nam paulò antè dixi, veſtigium duntaxat huius arcani cerni in naturâ, non expreſſam ſimilitudinem. Sed euoluamus theorema noſtrum. Principiò *vnitas eſſentiæ* in Deo adeo eſt magna,

gna, vt omnes ipsius proprietates sint vnum in essentiâ: putà simplicitas, immutabilitas, immensitas, æternitas, sapientia, veracitas, bonitas, iustitia, potentia & beatitudo. Nam Deus ita est simplex, vt simplicitas eius sit essentia eius, & immutabilitas eius, & immensitas eius &c. Hinc Deus est simplex, bonus, verus, sapiens, potens &c. non per qualitatem, sed per essentiam. Atque hæc est causa, quòd Deus dicit, nomen suum esse *Eheieh aſcher Eheieh*, *ero qui ero*, seu, *ſum qui ſum. Exod. 3. verſ. 14. 15.* Deinde *trinitas perſonarum* ita se habet in Deo, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint vnum essentiâ, & omnibus proprietatibus essentiæ, solis proprietatibus personalibus distincti. *1. Ioh. 5. verſ. 7. Matt. 28. verſ. 19.* Hinc licet Pater sit omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus sanctus omnipotens, non tamen sunt tres omnipotentes, sed hi tres sunt vnus omnipotens Deus, seu vna essentia omnipotens. De reliquis proprietatibus essentialibus idem est iudicium. Alia est ratio proprietatum personalium, siue hypostaticarum, quas Græci eleganter vocant characteres essentiæ. Hæ liquidem realiter, id est, reuerâ, citra mentis nostræ operationem, sunt distinctæ. Nam *Pater* est prima persona deitatis, quæ non subsistit aliunde, & genuit Filium (vnde Pater dicitur) & producit Spiritum sanctum: *Filius* est secunda persona deitatis, quæ genita est à Patre, vnde Filius dicitur; & cum Patre producit Spiritum sanctum: *Spiritus ſanctus* est tertia persona deitatis, quæ à Patre & Filio, vt vnà spirantibus, procedit: vnde Spiritus sanctus appellatur. *Iohan. 1. Matth. 3. Iohan. 15. verſ. 26.* Denique *opera Dei*, quæ ab ipsius essentiâ feruntur extra ipsum, sunt creatio in regno potentiæ, redemtio in regno gratiæ, & glorificatio in regno gloriæ. *Creatio* est, quâ Deus ex nihilo produxit cœlum & terram, & omnia quæ in iis sunt. Cum hâc cohæret gubernatio. *Gen. 1. & 2. Hebr. 11. v. 3. Redemtio* est, quâ Deus per Filium suum Iesum Christum liberauit electos ex potestate diaboli. *Gal. 3. v. 13*

Cum hâc immediatè cohæret *sanctificatio*, quâ Deus nos regenerat Spiritu suo sancto ad nouam vitam *Rom.* 8. *v.* 1. *& seqq.* Hic non est prætereundum silentio, quomodo tria ista opera certo quodam respectu tribuantur, singula singulis, personis sacrosanctæ Trinitatis. Pater nempe est principium Trinitatis. Huic itaque peculiari quodam respectu tribuitur creatio, per quam creaturæ incipiunt esse. Filius est media persona inter Patrem & Filium. Huic itaque peculiari quodam respectu tribuitur redemtio, per quam homines vniuntur Deo. Spiritus sanctus est tertia persona deitatis, quæ spiratur à Patre & Filio. Huic itaque peculiari quodam respectu tribuitur sanctificatio, per quam magis magisque spirituales efficimur. *Glorificatio* est, quâ Deus electos suos in cœlo perfundit gaudio, & coronat gloriâ, ineffabilibus. *Rom.* 8. *v.* 29. Atque hæc summatim tenenda sunt de Deo, *de quo dixerimus multa, nec tamen assecuti erimus: cæterùm summa dictorum est, ipsum esse omnia. Ad laudandum eum quæ nostra est facultas? ipse enim maior est omnibus suis operibus. Terribilis est Dominus, & perquàm magnus: potentiaque eius mirabilis. Quantum potestis, extollite Dominum laudando: adhuc enim omni laude maior erit. Sirach.* 43. *v.* 29. 30. 31. 32.

VIII. Spiritus finitus est angelus, & anima rationalis. Ibi est angelographia, hîc psychologia. Communiter angelo & animæ rationali conuenit, esse ex nihilo, suâ naturâ ordinari ad Deum, posse redigi in nihilum à Deo, proprietatibus & viribus esse supra corpora sed infra Deum.

IX. Angelus est spiritus finitus, à contubernio corporis seiunctus. Differentia specifica inter angelum & animam rationalem est, quòd ille sit spiritus liber & separatus à communione & commercio corporis, hæc spiritus naturâ suâ coniunctus corpori, eiusque commercio & vnione gaudens. *Colos.* 1. *vers.* 16. *Gen.* 2. *v.* 7.

X. Angelus cõsideratur in genere, & in specie.

XI. An-

XI. Angelus in genere consideratur quantum ad principium & attributa. *Principium* angeli est, quo ille à Deo productus est primo creationis die. *Iob.* 38. *vers.* 4. 5. 6. 7. Nam si angeli hymnos cecinerunt Deo, cùm ille terram crearet, vt testatur locus ex Iobo allegatus, & verò terra creata est primo die, vt constat ex *Gen.* 1. *ver.* 1. angeli vtique producti sunt antequam terra fuit fundata. *Attributa* angelorum sunt ista. 1. *Integritas intellectus & voluntatis ex creatione longè maxima: sed vtraq; mutabilis.* Nam si omnia Dei opera fuerunt valde bona, oportet vt angeli, creaturæ nobilissimæ, primum bonitatis gradum inter opera Dei sint sortiti. Quantumuis autem magna fuit ista bonitas, fuit tamen mutabilis: quia πᾶν κλίσον τρεπτόν, *omne creatum mutabile. Psal.* 102. *vers.* 27. 28. 2. *Numerus longè maximus, sed tamen finitus.* Ratio prioris est; quia Scriptura commemorat myriades & legiones angelorum *Dan.* 7. *Matth* 26. *& Marc.* 5. Ratio posterioris est; quia numerus ille nobis infinitus, & in se, & ratione Dei, est finitus. 3. *Ordo ex creatione longè pulcherrimus.* Si enim omne ens est ordinatum, necesse est ens quò est pulchrius, eò quoque esse ordinatius. Hic ordo remansit inter angelos bonos, mutatus est inter malos. Confer *Col.* 1. *v.* 16. cum *Eph.* 6. *v.* 12. 4. *Nullam facere in loco distantiam.* Angelus enim ita est in loco, vt non repleat illum. Vnde fit, vt plures angeli possint esse vno in loco: *Marc.* 5. *v.* 9. 5. *Moueri è loco in locum quasi in instanti.* Angelos mutare locum docet Scriptura, quando testatur ipsos è cœlo descēdere & mitti, ad nos venire & redire in cœlum, diabolū circuire hinc inde in mundo. *Gen.* 19. *Matt.* 2. *Luc.* 1. *Hebr.* 1. *Iob.* 1. 1. *Petr.* 5. Est autē iste motus pnicissimus: quia si fulgur celerrimè è cœlo in terram illabitur, quid putas de motu angeli est dicendum? Non tamen est simpliciter instantaneus ille motus: quia in eo est prius & posterius. *v. g.* cùm angelus è cœlo in terram descendit. Hinc diximus esse quasi instantaneum. 6. *Cognoscere res modo essentiæ ipsorum conueniente.* Itaque angeli non cognoscunt res cogni-

tione ſenſitiuâ; nõ cognitione infinitâ; nõ deniq; cognitione intimâ. Ratio primi eſt; quia nõ habent organa ſenſuum: vnde eleganter appellantur *intelligentiæ*. Ratio ſecũdi eſt; quia infinitas eſſentiæ, & ſcientię, & potentiæ, ſoli Deo cõpetit. Ratio tertij eſt; quia ſolus Deus intimè, hoc eſt, immediatè penetrando, cognoſcit eſſentiam cuiuſq; rei. *Hebr.* 4. *v.* 13. Quæ cùm ita ſint, angeli non intelligunt omnia per ſuam eſſentiam, ſed pleraque per imagines ſibi concreatas, vel à Deo reuelatas, vel per experientiam à rebus acceptas: item non intelligunt cogitationes cordis humani: neque omnia norunt ſine diſcurſu. 7. *Habere affectus immediatè fundatos in voluntate*: ita nempe, vt non ſint in quodam θυμικῷ vel ἐπιθυμητικῷ, ſed in merè λογικῷ. Hinc affectus gaudij, triſtitiæ, & ſimiles, non ſunt ſenſitiui in angelis, ſed intellectiui, ſeu merè ſpirituales, 8. *Apparere poſſe in formâ viſibili*: quâ ſcil. homines exhilarentur, vel perturbentur. Exempla paſſim ſunt obuia in ſacris, nominatim *Gen.* 19. *Num.* 22. 9. *Efficere poſſe mira, ſed non miracula*. Ratio prioris eſt; quia ſi homines poſſunt efficere multa mirabilia, vtiq; angeli poſſunt efficere multò mirabiliora. Ratio poſterioris eſt; quia requiritur virtus infinita & omnipotens ad edendum miracula.

XII. Angelus in ſpecie eſt bonus, vel malus. Ille Eudæmon, hic Cacodæmon dicitur.

XIII. Angelus bonus eſt, qui in primæuâ ſuâ integritate, ſingulari gratiâ creatoris perſtitit. In eo perpendenda ſunt tria: videl. cauſa efficiens bonitatis, propria attributa & effecta, & deniq; ordo. *Cauſa efficiens bonitatis primaria*, eſt gratuita Dei beneuolentia: *ſecundaria*, voluntas & aſſenſus permanendi in ſanctitate. *Eph.* 1. *v.* 11. *Matth.* 18. *v.* 10. *Propria attributa* boni angeli ſunt in intellectu claritas notitiæ, quanta in nudam creaturam cadere poteſt, ſumma; in voluntate puritas affectuum ſpiritualium; in potentiâ agendi alacritas & vis promtiſſima; denique in totâ ſubſtantiâ ipſorum, acquieſcentia perfe-

perfecta in Deo, eaque in cœlo tertio ordinariè. *Matt.* 18. *v.* 10. *c.* 6. *v.* 10. 2. *Reg.* 19. *Matt.* 22. *v.* 30. *Propria effecta* boni angeli sunt, respectu Dei, angelorum bonorum & malorum, totius mundi, & hominum electorum ac reproborum, hoc ordine. Angeli boni perpetuò celebrant *Deum*, eiusque iussa capessunt: *bonos angelos* amant & iuuant: *malis angelis* resistunt: *mundum* & res in eo fouent & tuentur contra Satanam eiusque molitiones: *piorum hominum* intellectum illustrant, voluntatem & affectus regũt, valetudinem tuentur, bona ipsorum sarta tecta præstant, &, si Deus iubeat, ipsos castigant: denique *impios* puniunt iuxta sententiam diuinitùs aduersus ipsos latam *Gen.* 19. *Psal.* 91. & 103. *Matth.* 4. 10. 25. *Act.* 12. *Hebr.* 1. *Apoc.* 6. 7. 8. 11. 12. 15. 16. 17. 20. 21. 22. *Ordo* inter bonos angelos est, quòd alij sunt superiores, alij inferiores. *Col.* 1. *v.* 16. & rursus, quòd præsunt regnis, ecclesiis, familijs, vel vni homini. *Dan.* 9. *v.* 21. *c.* 10. *Matth.* 4. *v.* 6. *Apoc.* 12.

XIV. Angelus malus est, qui à Deo defecit, & fecit deficere hominem. In eo, itidem vt in bono, videnda sunt tria: videl. causa efficiens malitiæ, propria attributa & effecta, denique ordo. *Causa efficiens malitiæ* est abusus liberi arbitrij, quo factum est, vt diabolus non perstiterit in veritate, factusque sit homicida. *Iohan.* 8. *v.* 44. *Propria adiuncta* sunt, perplexitas in intellectu inextricabilis; in voluntate odium erga omne bonum, & amor erga omne malũ; in potentiâ agendi, resistentia erga Deum, bonos angelos, & homines pios, in totâ denique substantiâ, incredibilis dolor & ignominia. *Iohan.* 8. *v.* 44. 2. *Eph.* 6. *v.* 12. *Petr.* 2. *v.* 4. *Iud. v.* 6. *Propria effecta* sunt respectu Dei, angelorum bonorum & malorum, totius mundi, & hominum tum in genere, tum in specie electorum & reproborum, hoc ordine. Angeli mali calumniantur *Deum*, eiusque nomen perpetuò detestantur: oderunt *bonos angelos*, & aduersus ipsos pugnant: flagrant odio aduersus *seipsos*, & interim tamen communi operâ regnũ suum amplificant: confundunt & lædunt res *in mundo*, quan-

quantum possunt per Dei prouidentiam: *hominum* corpora & mentes obsident, ipsorumque bona lædunt, & oculos sæpe fascinant: *homines pios* tentant & castigant; denique *homines impios* seducunt & puniunt. *Iob.* 1. 1. *Petr.* 5 v 8. *Gen.* 3. *v.* 4. 5. 15. 2. *Cor.* 12. *v.* 7. *Apoc.* 12. *Luc.* 8. *v.* 27. 30. 32. *Exod.* 8. *v.* 7. *Matth.* 12. *v.* 25. 26. *Ordo inter malos angelos* est, quòd diabolus tanquam princeps præest reliquis. *Matt.* 25. *v.* 41. 2. *Cor.* 12. *v.* 7.

XV. Anima rationalis est spiritus, ordinatus ad vnionem & communionem corporis.

XVI. Eius consideratio est generalis, & specialis. *In genere* consideretur anima rationalis quantum ad principium & propria adiuncta atque effecta. *Principiũ* animæ est solus Deus, qui ex nihilo creat animã hominis, non autẽ illam producit ex tradu ce. *Gen.* 2. *v.* 7. *Zach.* 12. *v.* 1. *Hebr.* 12. *v.* 9. *Propria* eius *adiuncta* sunt, immortalitas in corpore mortali, & extra illud *Matth.* 10. *v.* 28. *Apoc.* 6. *v.* 10. 11. intellectus, qui potest aliquid cognoscere immediatè, sine ope phantasmatum, vel mediatè per phantasmata, in corpore vel extra corpus *Luc.* 16. *Apoc.* 6. *v.* 9. 10. voluntas, quæ fertur in obiectum suum, vel immediatè, absque appetitu sensitiuo & affectibus corporeis, vel mediatè per appetitum sensitiuum, in corpore, vel extra corpus. *Matth.* 22. *v.* 30. *Marc.* 12. *v.* 25. *Luc.* 20. *v.* 36. denique potentia agendi, quâ illa in corpore quidem mouet corpus, & agit per corpus, separata autem à corpore agit immediatè. *Gen.* 2. *v.* 7. *Luc.* 16. *Propria effecta* animæ rationalis sunt proportionata adiunctis modò recitatis: videl. intelligere, meminisse, velle, mouere, agere, in corpore vel extra corpus, hoc est, in statu vnionis vel separationis. *In specie* anima rationalis consideratur in statu felicitatis & miseriæ. *Status felicitatis* est, quo anima vnionem & communionem habet cum Deo, in quo vno acquiescit & triumphat. Et hæc dicitur *monarchia animæ*, quâ fit vt ipsa incipiat à Deo, inque ipso desinat, tanquam primo intelligibi-

ligibili, & amabili, adeoque longo interuallo superet statum rerum caducarum, tum in hâc tum in futurâ vitâ. Hæc monarchia animæ ita est comparata, vt homo electus imperet affectibus suis, & despiciat ex alto res caducas, tanquam infra se positas, & tandem regnet cum Christo. *Rom.* 7. *v.* 17. *Apoc.* 5. *v.* 10. *c.* 20. *v.* 4. 6. *c.* 22. *ver.* 5. *Status miseriæ* est, quo anima à fruitione Dei est exclusissima, & experitur triste iugum polyarchiæ, ita nempe vt seruiat & multis & malis, putà varijs affectibus, opinionibus, hominibus nequam, & malis angelis, idque in hâc & futurâ vitâ. *Rom.* 6. *v.* 6. 13. 14. *c.* 7. *v.* 1. 2. *Matth.* 25. *v.* 41. Vterque ille status diuiditur in primum, intermedium, & extremum. *Primus animæ status* est in hâc vitâ: *intermedius*, cùm à corpore separatur: *extremus*, cum corpori reunitur. Atque hæc est Pneumatica, cuius finis est, assimilari Deo & bonis angelis, quantum fieri potest, & fugere malos angelos, illosque fugare per imitationem sanctorum spirituum.

IX.

PHYSICA SACRA.

I. PHysica sacra est corporis naturalis scientia ex s. literis sumta. Hoc est, considerat naturam corporis, prout illa est à Deo condita & cuilibet rei implantata, & simul in verbo ipsius ob oculos nobis posita. Cùm itaque sacræ literæ non vno in loco mentionem faciant rerum naturalium, rectè fecerunt, qui Physicam sacram & Christianam conscripserunt. Id quoque nos cum Deo præstare conabimur.

II. Physicæ sacræ occurrit fundamentum, & explicatio methodica.

III. Fundamentum Physicæ sacræ est primum caput Geneseos: vbi describitur προωτοκλισια siue

siue κοσμοποιία, hoc modo. Narratur hoc capite, quomodo Deus sex dierum spatio mundum & omnia illo cõprehensa creauerit. Distingui potest in sex partes, secundùm sex dies, quibus absolutum est opus creationis, quod inde vsitatè appellatur *Hexaëmeron*.

Opera primi diei.

Die primo creauit Deus cœlum, terram, aquam, & lucem, hoc modo.

Vers. 1. *In principio* (temporis) *creauit* (ex nihilo fecit) *Deus* (Pater, Filius, & Spiritus sanctus) *cœlum* (primum, secundum & tertium) *& terram.*

2. *Terra autem erat res informis & inanis, & tenebræ erant in superficie abyßi* (aquarum terram circumdantium) *& spiritus Dei incubabat superficiei aquarum.*

3. *Tum dixit Deus, Esto lux: & extitit lux:* (corpus globosum lucis, seu globus lucidus.)

4. *Viditque Deus lucem illam esse bonam: & distinctionem fecit Deus inter illam lucem & tenebras.*

5. *Lucemque illam Deus vocauit diem* (naturalem) *tenebras verò vocauit noctem: atque ita facta fuit vespera* (à quâ dies ciuilis incipit) *& factum fuit manè, dies primus:* (ciuilis.)

Opera secundi diei.

Secundo die Deus creauit aërem & nubes.

6. *Deinde dixit Deus, Esto expansum* (aer) *inter aquas: vt sit distinguens inter aquas vnas & alteras* (superiores & inferiores.)

7. *Fecit ergo Deus expansum; quod distingueret inter aquas, quæ sunt sub expanso, & aquas, quæ sunt super expanso: & factum est ita.*

8. *Expansum autem illud Deus vocauit cœlum:* (infimum) *atque ita facta fuit vespera, & factum fuit manè, dies secundus.*

Opera tertij diei.

Tertio die Deus segregauit aquam à terrâ, & aquas collegit

legit in certos alueos, atque ita fecit maria, fluuios, & fontes: terramque veſtiuit plantis, herbis ſcil. & arboribus, itemque impleuit illam metallis, & aliis mineralibus.

9. *Poſtea dixit Deus, Confluant aquæ iſtæ, quæ ſub cœlo ſunt, in vnum locum, & conſpicua ſit arida: & factum fuit ita.*

10. *Aridam autem vocauit Deus terram; ſingula verò aquarum conceptacula vocauit maria: & vidit Deus id eſſe bonum.*

11. *Iterum dixit Deus, Germinet terra teneram herbam, item herbas proferentes ſemen, arbores fructiferas proferentes fructum, ſecundùm ſpeciem ſuam, in quibus ſuum ſit ſemen ſuper terram: & factum fuit ita.*

12. *Nam produxit terra teneram herbam, item herbas proferentes ſemen ſecundùm ſpeciem ſuam, & arbores ferentes fructum, in quibus ſemen ipſarum ſecundùm ſpeciem ſuam: & vidit Deus id eſſe bonum.*

13. *Atque ita facta fuit veſpera, & factum fuit manè, dies tertius.*

Opera quarti diei.

Die quarto Deus lucem illam primigeniam diſpertiuit in ſolem, lunam, cæteraſque ſtellas: eaſque collocauit in cœlo mediano.

14. *Poſt dixit Deus, Fiant luminaria in expanſo cœli* (mediani ſiue ſecundi) *ad diſtinctionem faciendum inter diem* (naturalem) *& noctem, & ſint in ſigna, & ſtata tempora, & dies, & annos.*

15. *Sintque in luminaria in expanſo cœli, ad afferendum lucem ſuper terram:* & *factum fuit ita.*

16. *Fecit enim Deus duo illa luminaria magna: luminare maius ad præfecturam diei, & luminare minus ad præfecturam noctis, atque ſtellas.*

17. *Et collocauit ea Deus in expanſo cœli, ad afferendum lucem ſuper terram.*

18. *Et ad præſidendum diei ac nocti, & ad diſtinctionem faciendum inter lucem & tenebras: viditq; Deus id eſſe bonum.*

19. *Atque ita facta fuit vespera, & factum fuit manè, dies quartus.*

Opera quinti diei.

Die quinto Deus creauit pisces, seu animalia aquatilia, & aues seu volatilia.

20. *Postea dixit Deus, Abundè progignunto aquæ reptilia animantia: & volucres volanto super terram, in superficie expansi cœlorum.*

21. *Et creauit Deus cetos magnos: & animantia omnia repentia, quæ abundè progenuerunt aquæ secundùm species ipsorum, omnesque volucres alatos secundùm species ipsarum: viditque Deus id esse bonum.*

22. *Et benedixit eis Deus, dicendo: Fœtificate, ac multiplicamini, implete aquas in mari, & volucres multiplicantor in terrâ.*

23. *Atque ita facta fuit vespera, & factum fuit manè, dies quintus.*

Opera sexti diei.

Die sexto creauit Deus animalia terrestria, & hominem: & tum huic, tum illis suum designauit cibum.

24. *Deinde dixit Deus, Producat terra animantia secundùm species ipsorum, pecudes & reptilia, bestiasque terrestres, secundùm species ipsarum: & fuit ita.*

25. *Fecit enim Deus bestias terrestres secundùm species ipsarum, & pecudes secundùm species ipsarum, omniaque reptilia terræ secundùm species ipsorum: & vidit Deus id esse bonum.*

26. *Postea dixit Deus,* (Patet ad Filium & Spiritum sanctum.) *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram: qui dominentur in pisces maris, & in volucres cœli, & in pecudes, & in vniuersam terram, atque in omnia reptilia reptantia super terrâ.*

27. *Itaque creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit eum: marem & fœminam creauit eos.*

28. *Deinde benedixit eis Deus; & dixit eis, Fœtificate, & multiplicamini, & implete terram, eamque subijcite vobis: & dominamini in pisces maris, & in volucres cœli, & in omnes bestias reptantes super terrâ.*

29. Pra-

29. *Præterea dixit Deus, Ecce dedi vobis omnes herbas proferentes semen, quæ sunt in superficie totius terræ, omnesque arbores, in quibus est fructus arboreus; proferentes semen: vestræ ad comedendum erunt.*

30. *Omnibus autem bestiis terræ, & omnibus volucribus cœli, omnibusque reptantibus super terrâ, in quibus est anima viuens, dedi omnes herbas virides ad comedendum: & factum fuit ita.*

31. *Tum inspexit Deus, quidquid fecerat, ecce autem bonum erat valde. Atque ita facta fuit vespera, & factum fuit manè, dies sextus.*

Addamus ex capite secundo, quæ faciunt ad plenio-rem descriptionem creationis primæ.

1. *Atque ita perfecta sunt cœlum & terra, omnisque exercitus illorum,*

4. *Istæ igitur sunt generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt: quo die Iehoua Deus fecit cœlum & terram:*

5. *Et omnem fruticem agri, qui nondum fuerat in terrâ, omnemq; herbam agri, quæ nondum orta fuerat. Sed Iehoua Deus nondum demiserat pluuiam super terram, & nullus homo fuerat, qui coleret terram.*

6. *Sed vapor ascenderat è terrâ: qui irrigabat vniuersam superficiem terræ.*

7. *Finxit verò Iehoua Deus hominem ex puluere terræ, sufflauitque in nares ipsius halitum vitæ: sic factus est homo anima viuens.*

8. *Plantauerat autem Iehoua Deus hortum in Edene ab Oriente: vbi collocauit hominem, quem finxerat:*

9. *Fecerat que Iehoua Deus, vt germinaret ex humo illâ quæuis arbor desiderabilis ad aspectum, & bona ad cibum.*

18. *Dixerat autem Iehoua Deus, Non est bonum esse hominem solum: faciam ei auxilium, quod sit coram ipso.*

19. *Nam cùm formauisset Iehoua Deus è terrâ omnes bestias agri, omnesque volucres cœli, & adduxisset ad Adamum, vt videret quomodo vocaret singulas (etenim quocunque nomine vocauit illas Adam, animantem quamque, id nomen eius est.)*

20. *Vocauissetque Adam nominibus pecudem quamlibet, & volu-*

volucrem cœli, omnemque beſtiam agri: non aderat Adamo auxilium, quod eſſet coram ipſo.

21. *Quapropter iniecit Iehoua Deus ſoporem altum in Adamum, quo obdormiuit: & deſumtâ vnâ ex coſtis eius, incluſit carnem pro illâ.*

22. *Et ædificauit Iehoua Deus ex coſtâ illâ, quam ſumſerat de Adamo, mulierem: eamque adduxit ad Adamum.*

23. *Tum dixit Adam: Hâc demum vice adeſtos ex oſſibus meis, & caro ex carne meâ: hæc vocabitur vira, eò quòd hæc ex viro deſumta eſt.*

24. *Idcirco relicturus eſt vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, eruntque in carnem vnam.*

25. *Erant autem illi ambo nudi, Adam & vxor eius: ac non erubeſcebant.*

IV. Explicatio Phyſices methodica ſequitur in ipſius partibus, quas hoc modo recenſemus ex Gen. 1. & 2. *Corpus naturale* (de angelis vide Pneumaticam) conſideratur ſeorſim, vel collectiuè. *Seorſim* conſideratur, vt eſt pars mundi, ipſum integrans. Ita Deus produxit cœlum, terram, lucem, ſtellas, animalia &c. ex quibus mundus conſtat. *Gen.* 1. *& c.* 2. *v.* 1. vbi hæ partes eleganter appellantur exercitus cœli & terræ. Nam creaturis, quæ ſunt in cœlo & in terrâ, cohoneſtatur Deus, ſicut imperator ſuis numeris & exercitibus. *Pars mundi* aut eſt principium, aut principiatum. *Principium* mundi eſt cœlum & terra. *Gen.* 1. *v.* 1. *Principiatum* eſt inanimatum, vel animatum. *Inanimatum* eſt naturæ conſtantis, vel inconſtantis. *Corpus naturæ conſtantis* eſt naturæ cœleſtis, vel terreſtris. Ibi eſt *lux* & *ſtella. ibid. v.* 3. 14. hic eſt *planta. v.* 11. ſub quâ comprehenduntur *foſſilia* ſeu *mineralia. Corpus naturæ inconſtantis* eſt meteorum. *Gen.* 2. *v.* 6. *Animatum* eſt beſtia, vel homo. *Beſtia* eſt aquatilis, volatilis, vel terreſtris. *verſ.* 20. 24. Homo conſtat ex animâ rationali & corpore. *ibid. v.* 26. *& c.* 2. *v.* 7. Corpus naturale conſideratum *collectiuè* appellatur *mundus*, qui eſt ſyſtema conſtans

è cœ-

è cœlo & terrâ, omnique exercitu illorum. *Gen.* 2. *vers.* 1. Hæc methodus est desumta ex *Gen.* 1. & 2. Merito itaque illam sequimur in physicâ sacrâ, cuius sectiones sunt numero decem, hoc ordine. 1. *Physica generalis*, de principiis mundi. 2. *Physica specialis* de luce & stellis. 3. *Botanica*, de plantis. 4. *Oryctologia*, de fossilibus seu mineralibus. 5. *Meteorologia*, de corporibus imperfectè mixtis. 6. *Ichthyologia*, de piscibus. 7. *Ornithologia*, de auibus. 8. *Theriologia*, de bestiis terrestribus. 9. *Anthropologia*, de naturâ hominis. 10. *Cosmologia*, de mundo. Persequamur itaq; has decem partes, duce Scripturâ sacrâ, in quâ liber naturæ satis accuratè est propositus & expositus.

PHYSICA GENERALIS SACRA

De

Principiis mundi.

I. PRincipium mundi est, ex quo principiata naturalia, h. e. mundus & corpora in mundo sunt composita. Intelligitur enim hîc principium naturale & materiale, non supernaturale & efficiens, quod est Deus..

II. Estque partim cœlum, partim terra. Sic enim docet nos Moses, Oceanus ille sapientiæ. *Gen.* 1. *v.* 1. 2. Hinc *Lambertus Danæus lib.* 1. *Phys. Christ. cap.* 22. rectè fecit, q̃ hęc duo, cœlum & terram, statuit omnium rerum naturalium principia, his verbis: *Vt omnium rerum summa sunt duo genera, vnum cœleste, alterum terrenum: sic duplex materia à Deo constituta primùm omnium fuit; à Deo, inquam, qui cuius & quotuplicis naturæ futura erant sua opera, non ignorabat: sed iam tum præparabat. Cœlestium enim mundi partium cœlestis materies parata est, & perfecta quidem, cœlum: terrenarum autem terra, & ea etiam madida, humida, & vliginosa.* Eodem modo verba Mosis explicat Hieronymus *Zanchius lib.* 1. *de operib. creationis cap.* 2. *Ego*, inquit, *omissis aliorum opinionibus,*

nibus, meam dicam ſententiam. Cenſeo nomine הַשָּׁמַיִם *intelligendum eſſe quidquid poſtea tum in hoc capite, tum in alijs Scripturæ locis nomine cœli appellatur. Voce autem cœli venit primò aer, ſecundò orbes, tertiò ſedes beatorum. Terræ verò nomine interpretor terram cum oceano & omnibus aquis.* His ita præmiſſis tradamus quaſdam regulas de principiis rerum naturaliũ.

1. *Principia rerum naturalium catholica debent eſſe prima ſimpliciter.* Principia rerum naturalium ſunt vniuerſalia, vel particularia. *Principia vniuerſalia* ſunt, ex quibus omnia principiata conſtant: *particularia*, ex quibus hæc vel illa. Sic *v.g.* granum tritici eſt principium particulare. Similiter lux eſt principium particulare ſtellarum. Quò pertinent illud Peucerii in elementis Sphæricis: *Condidit initio Deus ſolo verbo ἐκ τῶν μὴ ὄντων, id eſt, ex nihilo, tria hæc; διαφανὲς ἐνεργείᾳ, id eſt, perſpicuum actu ſeu lucidum; διαφανὲς δυνάμει, id eſt, perſpicuum potentiâ, lucis per ſe & ſuâ naturâ expers, ſed tale, quod communicatione lucis ſplendeſcit; & opacum: hoc eſt, vt ſacræ literæ loquuntur, lucem, cœlum, & terram, tanquam futura principia reliquorum corporum. Reliqua verò ex his formauit, vt hiſtoria creationis teſtatur.* In quibus verbis tria principia recenſentur, lux, cœlum, & terra: ita nempe, vt lux ſit principium particulare, cœlum & terra, principia vniuerſalia, hoc eſt, ſimpliciter prima, ſeu primò prima: ita nempe, vt ex iis componantur reliqua corpora omnia, ipſa verò ex nullo ſint compoſita. Quam conditionem Ariſtoteles requirit in principiis rerum naturalium. 2. *Prima rerum principia ſunt hypoſtatica*, h. e. ita comparata, vt per ſe ſubſiſtant. Faceſſat itaque ſchola vulgarium phyſicorũ, qui neſcio quam materiam primam nobis obtrudunt. 3. *Prima rerum principia ſunt domicilia & principia ſimul.* Sunt domicilia & matrices, quatenus continent res corporeas. Videmus enim cœlum eſſe domicilium rerum ſuperiorum & cœleſtium, terram, inferiorum & terreſtrium. Atque hæc eſt cauſa, quòd in ſcripturis paſſim hæc duo, cœlum & terra, coniunguntur. *Gen.1.v.1.cap.2.v.1.24.c.14. v.19.22.c.24.v.3.7. Exod.20.v.11.c.31.v.17. Deut.3.v.24.c.4. v.26.*

*v.*26.2.*Reg.*19.*v.*15.2.*Chron.*2.*v.*12.*Nehem.*9.*v.*6.*Pſal.*69.*v.*35. *&* 89.*verſ.*12.*&* 114.*v.*15.*&* 121.*v.*2.*&* 124.*v.*8.*&* 134.*verſ.*3. *&* 135.*verſ.*6.*&* 146.*verſ.*6.*Eſa.*37.*v.*16.*Ier.*23.*v.*24.*c.*32.*v.*17. *Matth.*11.*v.*25.*c.*28.*v.*18.*Luc.*10.*v.*21.*Act.*4 *v* 24.*c.*14.*v.*15.*c.*17. *v.*24.*Apoc.*14.*v.*7.*c.*20.*v.*11. Rurſus hæc eadem ſunt principia, quatenus in ſe continent rerum omnium ſemina. Neque enim cœlum & terra conſtituunt res naturales, quatenus ipſorum ſubſtantia externa conſideratur, ſed quatenus vis interior in ipſis abſcondita ſpectatur. Quò facit illud Triſmegiſti, principia rerum omnium eſſe lucem & vmbram, hoc eſt, abdita rerum ſemina, quæ in cœlo & terrâ latent. Nam in cœlo lux, in terrâ vmbra cõſpicitur. Idem Triſmegiſtus author eſt, omnia conſtare ex ſole & lunâ: vbi per ſolem intelligit cœlum, per lunam, aquam, de quâ Moſes teſtatur, illam circumdediſſe terram. 4. *Prima corporum naturalium principia ſunt conſtantia, vel inconſtantia. Conſtans* eſt, quod viciſſitudini non eſt obnoxium, vt cœlum: vnde illud eſt quintæ cuiuſdam eſſentiæ. *Inconſtans* eſt, quod viciſſitudini eſt obnoxium, vt terra, quæ complectitur aquam & ignem. Et hæc tria elementa ſemper ſunt ſimul. Quod attinet ad aërem, ille ambit hæc tria elementa, vtpote qui eſt cœlum infimum, terræque adeò proximum. 5. *Cœlum ſolum & per ſe poteſt cõſtituere corpus naturale: terra nonniſi cum cœlo.* Sic videmus lucem ſolam eſſe materiam ſtellarum: ſed terra ſine cœlo eſt fœmina ſine viro. Hinc cœlum rectè appellatur pater, & terra mater omnium rerum naſcentium.

III. Cœlum eſt corpus ſpirituale, ſubtiliſſimè ſupra terram expanſum, omniaque permeans, replens, & ſuo complexu continens & fouens. Euoluamus ſingula. *Primò* cœlum eſt corpus: quia habet partem extra partem, eſtque molis vaſtiſſimæ, & proinde trinâ dimenſione conſtat vel maximè. *Deinde* cœlum eſt corpus ſpirituale, hoc eſt, ſimpliciſſimæ naturæ. Quæ cauſa eſt, quòd aër in ſcripturis non ſemel appella-

tur ſpiritus *Iohan. 3. v. 8. Act. 2. v. 2.* & alibi. Eodem ſenſu ſubtilis illa natura in corpore noſtro, quæ vitalis & animalis functionis miniſtra eſt, ſpiritus appellatur, vt vt corporeum quiddam ſit. Rectè itaque *philoſophi Ægyptij* docuerunt, cœlum eſſe ſpirituale quoddam corpus. Rectè quoque *Ariſtoteles* cœlum exiſtimat eſſe quintam quandã eſſentiam, ſiue quintum elementum. Et *Plinius lib. 2.* cœlum appellat omne id, quod inani ſimile vitalem hunc ſpiritum fundit. *Iohannes Pena in Opticam Euclidis*, cœlum ait eſſe animabilem quendam ſpiritum per omnia diffuſum. *Zanchius* quoque *lib. 1. de operibus Dei* ait, cœlum propter ſummam ſubtilitatem corpus eſſe tale, quod ſpirituale meritò appellari poteſt. *Iamblichus* denique cœleſte corpus incorporeis ait eſſe cognatiſſimum. Non igitur abs re cœlum appellauimus corpus ſpirituale, id eſt, ſpiritum corporeum omnia permeantem & fouentem, qui cum ſpiritu noſtro naturali, vitali, & animali magnam habet affinitatem & familiaritatem. Eſt autem hic cœli ſpiritus purior, vel impurior. Purior eſt in cœlo ſupremo & mediano: impurior in aëre. Nam quoniam aër pabulum corporibus viuentibus ſuppeditare debet, meritò ipſius ſpiritus eſt craſſiuſculus. *Tertiò* cœlum eſt ſubtiliſſimè expanſum ſupra terram. Hinc appellatur רָקִיעַ. Subtilitas illa eſt tanta, vt omnia corpora inoffenſo curſu motuque per hoc cœli corpus ire & redire, aſcendere & deſcendere poſſint. *Quartò* expanſum hoc omnia permeat, replet, continet atque fouet. Nam ſubtilitas ipſius eſt fluida: quo fit, vt omnia cœleſti hoc corpore compleantur, vacuumque prohibeatur, atque ita ſuperiora inferioribus vniantur, & hæc ab illis foueantur.

IV. Cœlum eſt ſupremum, medianum, vel infimum.

V. Cœlum ſupremum eſt extima expanſi pars, habitatio Dei, & ſedes beatorum. In Scripturis appellatur cœlum cœlorum, id eſt, excelſiſſimum & ex-

& excellentiſſimum cœlum. *Deut.*10. *ver.*14.1.*Reg* 8. *v.*27. 2. *Chron.*2.*v.*6.*c.*6.*v.*18. item cœlum tertium. 2. *Cor.*12.*v.*2. item ſimpliciter cœlum, vt in oratione Dominicâ *Matt.*6. *v.*9.10. Hoc cœlum eſt longè nobilioris naturæ quàm cœlum medianum & infimum. Videmus enim ita eſſe cõparatum, vt quò quid eſt ſuperiori loco in hoc mundo poſitum, eò ſit excellentius.

VI. Cœlum medianum eſt media expanſi pars inter cœlum ſupremum & infimum, in quo ſtellæ ſunt à Deo collocatæ. De hoc cœlo vide *Gen.*1. *v.*14.17.*c.*15.*v.*5. *Deut.*1.*v.*10. *Ioſ.*10.*v.*13. 2.*Reg.*17.*v.*16.*c.*21. *v.*3.5.*c.*23.*v.*4.5.*Pſal.*19.*v.*1. Hoc cœlum vt ſupremo eſt proximum loco, ſic & dignitate.

VII. Cœlum infimum eſt inferior expanſi pars, quæ terram attingit, & vſitatè appellatur aër. De hoc cœlo vide *Gen.* 1. *verſ.* 26.30.*c.*7.*v.*11.*c.*9.*v.*14. *Pſal.* 8. *v.* 8. *Matth.*6.*v.*26.*Ioban.*6.*v.*31. Hoc cœlum vt vltimum locum, ita quoque poſtremum dignitatis gradum obtinet. Etſi enim eſt ſimplicis qualitatis vt cœlum ſummum & medium: varias tamen qualitates admittere poteſt. Nam non ſolùm variis coloribus depingi atque illuſtrari, ſed etiam calorem & frigus, ſiccitatem & humiditatem, aliaſque qualitates elementares recipere poteſt. Hoc autem omne fit per accidens, quatenus videl. cœlum hoc infimum eſt deſtinatum generationi metheororum. Vtvt enim variè impreſſiones aërem imbuant variis qualitatibus: ipſe tamen retinet ſubtilem & fluidam ſuam ſubſtantiam, eâque fouet ac recreat corpora omnia terrena. Eſt enim tam gratum rerum omnium alimentum & fomentum, vt ſine eius præſidio corpora viuentia ſubitò emori & extingui ſit neceſſe. Aër quoque per varios terræ, arborum, frugum, & aliarum rerum poros atque meatus ſe inſinuans vigorem rebus omnibus impertit. Denique eſt vehiculum, quo lux, radij, & vires ſtellarum occultæ in hanc inferiorem naturam dimanant. Ex his

colligere est, quanta sit cœli vtilitas. Nimirum omnis spiritus vitalis inde ducit suam originem. Quod quàm probè sit obseruandum naturæ scrutatoribus, nonnisi experti norunt.

VIII. Terra est corpus opacum, igni & aquâ permixtum, sinu suo fouens semina omnium rerum sublunarium. Cœlum est principium actiuum, terra passiuum. Sicut enim cœlum est corpus spirituale, quod omnia permeat & circumplectitur: sic terra est corpus opacum, quod sinu suo fouet res omnes sublunares. Est autem hoc corpus ita comparatum, vt semper in se habeat ignem & aquam, vt è seqq. patebit.

IX. Terra est informis, vel formata. Hæc diuisio sumta est ex *Gen.* 1. *v.* 2. 9. 10. 11.

X. Terra informis est moles ex aquâ & terrâ inter se permixtis constans. Hoc est illud *Tohu* & *Bohu*, quod describitur *Gen.* 1. *v.* 2. Quæ duæ voces notant vastitatem & vacuitatem, ita vt sensus sit, terram ab initio fuisse aquis vndique coopertam, omnique cultu & ornatu destitutam, vt patet ex collatione huius loci cum *Esa.* 34. *v.* 11. *& Ier.* 4. *v.* 23. Atque hæc fuit interna conditio istius molis indigestæ. Sequuntur duæ aliæ conditiones externæ. Dicit enim Moses: *Et tenebræ erant in superficie abyssi, & Spiritus Dei incubabat superficiei aquarum.* Sed videamus paulò prolixiùs tres hasce conditiones. Nam clauis Physicæ practicæ in his rebus est quærenda. Et *primò* quidem aquarum vorago siue abyssus fuit commista cum terrâ, ita vt constituerint vnum corpus. Necessaria enim erat huiusmodi permixtio, vt terra esset rerum omnium sublunarium materia vnà cum aquâ. Nimirum semen & materiam rerum omnium formabilem esse oportuit, id est, ductilem & tractabilem: id quod sine humore esse non poterat in terrâ. Itaque terra admistum humorem habuit, vt inde omnia educi possent. Quæ omnia in primâ materiâ fuisse necessaria, ipsi etiam profani philosophi agnouerunt.

uerunt. Huc pertinent ipſorum diſſertationes de chao, quæ procul dubio ſuam originem ex hâc hiſtoriâ ſumſerunt. Et ſanè terra illa informis hactenus fuit chaos, quatenus deſtituta fuit εὐταξίᾳ & καταϛκευῇ. Quam ob cauſam terra cum aquâ confuſa appellatur à Moſe abyſſus. *Deinde* tota illa terræ & aquæ moles ſiue abyſſus denſis fuit inuoluta tenebris. Aberat enim lux, quæ in cœlo ſummo & mediano duntaxat fulgebat, vnde poſtea fuit ſparſa in ſuperficiem abyſſi. *Tertiò* Spiritus Domini hanc rudem maſſam, ſiue molem aquarum & terræ, fouebat & ſuſtentabat, eique vim igneam communicabat, per quam ad parturiendum & velut concipiendum incaleſceret, vt infinita animalium, mineralium, herbarum, & plantarum genera ex ſe in hanc mundanam ſcenam producere poſſet. Hæc, hæc eſt vera philoſophia de primâ materiâ, quam philoſophi maximam partem ſolent conſiderare tanquam tenuem & fugientem quandam vmbram, prorſus deſtitutam omni formâ, paruâque magnitudine præditam: cùm ex toto contextu Moſis pateat, primam omnium rerum ſublunarium materiam eſſe ingentem illã molem & globum, qui poſtea in ſuas partes ſeorſum deductus & diſſectus, terram hanc, quam calcamus, & mare immenſum, quod nauigamus, continebat. Confer 2. *Petr.* 3. *v.* 5. qui locus eſt quaſi clauis ſecretioris phyſicæ.

XI. Terra formata eſt corpus bonâ ſui parte ab aquis liberatum, ſiccatum, & vi fructificante præditum. Et *primò* quidem terra fuit ab aquis liberata duobus modis. Deus ſecundo die diſparauit aquas in ſuperiores & inferiores, atque ita terram leuauit magnâ mole aquarum, quæ ſupra expanſum, hoc eſt, inferiorem aëris regionem, fuerunt euectæ. Sed quia ingens adhuc aquæ portio ſub cœlo vndique terram tegebat, quibus ipſa quoque liberanda erat, quò conſpicua & habitabilis fieret, Deus tertio die aquas in certos alueos collegit. Hinc aquæ aliæ ſunt ſuperiores & cœleſtes, aliæ inferio-

res & ſubcœleſtes. *Deinde* Deus terram vliginoſam & humidam exſiccauit, vt fieret habitabilis, & tractabilis. Quoniam verò terra omni humore carere non poterat, idcircò aquas in certa receptacula collegit, vt inde per poros & meatus ad ipſam interiùs irrigandam deriuari poſſent. *Tertiò* Deus terræ indidit δυνάμιν πλαστικὴν, quâ germinauit herbas, frutices & arbores. Hic rurſus diligenter aduertant animum phyſici practici, & diſcant, quâ namratione tractanda ſit prima materia philoſophis adeptis. Diximus terram aquâ temperatam eſſe materiam mundi magni & parui. De mundo magno vide *Gen.*1.*v.*11. 20.24.6.2.*v.*9. de paruo *Gen.*2.*v.*7.6.3.*v.*19. Terra iſta fuit liberata aquis, verùm ita, vt ſupra illam & infra atque intra illam fuerint aquæ collectæ. Et quidem ſupra, vt ſubinde deſcenderent, terramque fœcundarent: infra verò & intra, vt illam irrigarent. Vnde Iſaac *Gen.* 27.*v.*30. precatur filio ſuo Eſauo, vt Deus ipſi det de rore cœli & pinguedine terræ q. d. terram vberrimo ſuo prouentu tum demum beare homines, ſi fœcundetur aquis ſuperioribus & inferioribus. Confer *Gen.* 2.*v.*6.10. *Pſal.* 65.*v.*12. Quòd ſi hæc diligenter perpendamus, videbimus in praxi phyſices requiri primò ſeparationem terræ & aquæ, & poſtea crebram imbibitionem terræ, ſiue aquæ iſtius affuſionem. Hoc ipſum in omni generatione & nutritione obſeruare licet. Sed quid ago? Non- intelligentium plena ſunt omnia.

PHYSICA SPECIALIS SACRA

De

Luce & Stellis.

I. PRincipiatum eſt corpus naturale ex cœlo & terrâ, primis illis principiis, conſtans.

II. Eſtque inanimatum, vel animatum. Etſi enim totus mundus ex cœlo & terrâ conſtans habet ſuam

animam & vitam, id est, spiritum efficaciæ plenum: non tamen vulgo dicitur animatus, vel viuens, etsi commodè possit: sed tantùm vehiculum animæ & vitæ, quæ in alijs est obscurior, vnde illa dicuntur inanima, in alijs euidentior, vnde illa nominantur animata. Vide infrà Cosmologiam.

III. Corpus inanimatum est, cuius vita in occulto est.

IV. Estque naturæ constantis, vel inconstantis.

V. Corpus naturæ constantis est, quod in suo statu naturali diutiùs perdurat: estque naturæ cœlestis, vel terrestris.

VI. Corpus naturæ cœlestis est partim lux, partim stella.

VII. Lux est corpus cœleste primo die à Deo conditum, vt diem efficeret, stellarumque materia foret. Principiò lux hæc dicitur corpus, hoc est, moles quædam lucida in cœlo aërio posita. Neque enim hæc lux fuit producta in cœlo tertio vel secundo: quia hæc duo corpora per se suâque naturâ sunt lucida. Sed alia est ratio aëris. Videmus enim illum suâ naturâ esse tenebrosum, & opus habere illuminatione à sole vel lunâ. Sic itaque statuendum est, Deum ex cœlo mediano suâ naturâ lucido eduxisse molem quandam lucidam, quę aërem & abyssum illuminaret, atque ita diem efficeret. *Deinde* hæc eadem lux fuit materia stellarum. Nam lux illa primigenia primo, secundo, & tertio die idem præstitit quod sol, quantum attinet ad præfecturam diei. Fuit itaque solis vicaria, in quâ latuit ipsius semen. Sicut enim eadem fuit operatio, ita quoque natura eadem lucis istius primigeniæ & solis. Huc accedit, quòd reliqua corpora omnia, quæ post primum diem producta fuerunt, ex præiacente aliquâ materiâ, primo die à Deo conditâ, prodie-

dierunt. Itaque de ſtellis hoc idem eſt ſtatuendum. Quare vt in mole tenebricosâ elementa & rerum omnium ſublunarium ſemina delituerunt, ſic in luce primi diei ſtellæ fuerunt δυνάμει. Addamus & iſtud. Si die quarto creationis ſtellæ ſubrogatæ ſunt in locum primæ illius lucis, oportet illam vel in nihilum eſſe redactam, vel in ſtellas collectam. At ſtatim eam in nihilum eſſe redactam, abſurdum eſt. Erat enim valde bona, & efficiebat diem æque atque ſol. Relinquitur itaque illam in ſolem, lunam, & reliquas ſtellas fuiſſe congregatam, ita vt ſtellæ à Baſilio rectè appellentur ὀχήματα, & à Damaſceno δοχεῖα τοῦ φωτὸς, i. e. vehicula & receptacula lucis.

VIII. Stella eſt corpus cœleſte in expanſo cœli mediani collocatum, ad afferendum lucem ſuper terram. Hæc definitio deſumta eſt ex *Gen.* 1. *verſ.* 15. 17.

IX. In ſtellis videnda eſt diuiſio & vſus ipſarum.

X. Diuiſio ſtellarum eſt, quòd aliæ ſunt luminaria, aliæ ſtellæ preſſiùs ita dictæ. Vide *Gen.* 1. *v.* 16. *& c.* 37. *v.* 9. *Pſal.* 8. *v.* 4. *&* 136. *v.* 9. *Eccleſ.* 12. *v.* 4. Luminaria ſtrictè dicta ſunt duo, ſol & luna. *Sol* eſt luminare maius, conditum ad præfecturam diei. *Gen.* 1. *v.* 16. *Pſal.* 104. *v.* 22. 23. *Luna* eſt luminare minus, conditum ad præfecturam noctis. *Gen.* 1. *v.* 16. Hæc duo luminaria dicuntur magna reſpectu quantitatis apparentis, & qualitatis prædominantis. Rurſus luna dicitur luminare paruum ratione ſolis. Eſt enim ſole inferior & mole corporis, & lumine, & viribus. *Stellæ preſſiùs ita dictæ* ſunt corpora cœleſtia de naturâ ſolis & lunæ participantia. Poſſunt etiam appellari luminaria ex *Gen.* 1. *v.* 14. 15. Vide infra Sphæricam. Stellæ ſtrictè ita dictæ ex *Iob.* 9. *&* 38. diuiduntur in euidenter conſpicuas, & à nobis remotiores, h. e. in ſeptentrionales & meridionales; item in extremas & intermedias, &

extre-

extremæ in ſeptentrionales& meridionales. Confer cum Sphæricis.

XI. Vſus ſtellarum eſt partim ſignificatio, partim influentia. Intellige vſum phyſicum ſiue naturalem. Vſus ipſarum hyperphyſicus ſiue ſupernaturalis eſt partim gloria Dei *Pſal.* 8. *&* 19. partim excitatio noſtri ad ſolis,& lunæ, reliquarumque ſtellarum curſum indefatigatâ diligentiâ in officijs pietatis & charitatis imitandum.

XII. Significatio ſtellarum eſt duplex. Nam *primò* ſtellæ deſignant ac deſcribunt tempora, id eſt, annos & dies: inprimis ſol & luna. *Deinde* ſunt indicia pluuiæ, ſerenitatis, tempeſtatis, tranquillitatis, frigoris, æſtatis, & ſimilium qualitatum, quibus aër afficitur. De priori vſu eſt manifeſtus textus *Gen.* 1. *v.* 14. De poſteriori vide *Iob.* 9. *&* 38. Quanquam ſunt qui vocem *tempora Gen.* 1. *v.* 14. malunt vertere *tempeſtates.*

XIII. Influentia ſtellarum eſt, quâ illæ variis modis agunt in hæc inferiora. Voluit nempe Deus vt hæc inferiora penderent à ſuperioribus,& inter omnia ipſius opera mutuus quidam eſſet conſenſus. Qui tam euidens eſt inter corpora cœleſtia & ſubcœleſtia, vt illum negare ſit hominis omnium ineptiſſimi. Videmus enim quotidiè corpora illa ſuperiora vi quâdam ſibi à Deo infuſâ in res haſce inferiores eiaculari temperamenta & varias qualitates, eaque mouere ac excitare, adeò quidem, vt nihil in hoc mundo inferiori poſſit produci & conſeruari ſine benigno ſtellarum influxu. Hinc cœlum eſt veluti theſaurus Dei, per quem terra fit fertilis. Et ſi cœlum maledictione Dei fiat ferreum, hoc eſt, immite, terra fit infœcunda. *Deut.* 26. *v.* 12. 23. Quò etiam pertinet inſignis illa rerum naturalium catena *Hoſ.* 2. *verſ.* 21. *Et erit in die illâ, exaudiam, dicit Iehoua, exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram: terra verò exaudiet triticum, & vinum, & oleum.* His teſtimoniis adde quotidianam experientiam, quæ in epilepti-

lepticis, valetudinariis, cancris, arboribus, herbis, mari, & aliis innumeris satis superque docet, hæc inferiora non vno modo affici à superioribus. Neque tamen hoc ita est accipiendum, quasi corpora cœlestia vim habeant in omnia inferiora, vel quòd sine discrimine & æqualiter agant in hunc mundum sublunarem. Non ita est. Nam primò stellæ in ea tantùm agunt & agere possunt, quæ ἀπροαιρέτῳ naturæ modo ac lege fiunt atque gubernantur: cuiusmodi sunt aër, mineralia, plantæ, & animalia quatenus animalia. Est enim earum rerum gubernatio omnis merè παθητικὴ, & naturæ ordinario vinculo & legi adstricta. Quæ verò pendent à merâ hominis προαιρέσει, vel à supernaturali gratiâ Dei, illa non subijciuntur astris. Deinde corpora cœlestia in res naturales non agũt eodem modo. Nam in quibusdam excitant duntaxat iacentes in ipsis vires, & semina actionum latentia corroborant, in quibusdam qualitates inditas conturbant, in quibusdam nouas vires gignunt & multiplicem temperiem vel intemperiem iis imprimunt.

BOTANICA SACRA.

I. BOtanica sacra est physica specialis de plantis, sumta ex sacris literis.

II. Planta est corpus animâ vegetante præditum: estque herba, vel arbor. Hæc distributio occurrit *Gen.* 1. *v.* 11. vbi herbæ diuiduntur in herbulas & herbas semen proferentes, h. e. in voluntarias seu insatiuas, quæ sponte suâ proueniunt, & satiuas, quæ culturam hominis requirunt. Sub arboribus continentur frutices siue arbusta, & suffrutices. Videamus quoque definitionem traditam. Illa etiam totidem fermè verbis apud Mosen occurrit. Deus siquidem dicitur herbis & arboribus indidisse duplicem potentiam, internam & externam.

nam. Interna potentia est, quòd semen fœcundum intra se conceperunt, ita vt simile ex se individuum ad perpetuam eiusdem speciei conseruationẽ producere possent. Externa facultas est, quòd omnis generis fructus ad alias naturas conseruandas essent producturæ, qui fructus vtiles essent vel ad alimentum, vel ad medicamentum, vel ad honestam oblectationem, vel ad institutionem, vel ad hæc omnia.

III. Herba est planta humilis, tenui caule, sed neque lignoso, neque per omnia perennis. Estque alimentaria, medicamentosa, vel coronaria. *Herba alimentaria* destinatur ad cibum: estque olus, fruges, vel gramen: *medicamentosa* habet vsum in medicinâ: *coronaria* facit ad ornatum.

IV. Arbor est planta lignea, crassa & procera, cum trunco simplici & perenni. Sub hâc in Scripturis continetur frutex & suffrutex. Frutex est planta multiplici caudice & perenni, vt sambucus, balsamus. *Suffrutex* est simplici caudice & perenni, minimæ inter stirpes lignosas altitudinis, vt ruta, lauendula.

V. In sacris literis multæ occurrunt herbæ & arbores, quarum natura vtcunq; exinde cognosci potest. Si nempe omnes circumstantiæ accuratè expendantur. Videris elegantem libellum Leuini Lemnij hâc inscriptione: *Similitudinum ac parabolarum, quæ in Bibliis ex herbis atq; arboribus desumuntur, dilucida explicatio.* Explicãtur autem in isto libello sequentes herbæ & arbores ex vulgatâ versione Lat. Mandragora. *Gen.* 30. Lactuca siluestris. *Exod.* 12. Olea, oleaster & oliua. *Gen.* 8. *Iob.* 15. & 17. *Ps.* 52 & 128. *Ier.* 11. *Hos.* 14. *Rom.* 11. Rhammus. *Ps.* 58. Colocynthis, seu agrestis cucurbita. 2. *Reg.* 4. Salix. *Esa.* 44. Saliũca, abies, paliurus, & myrtus. *Esa.* 55. Herba Borith. *Ier.* 2. *v.* 22. Frutex cui annascitur coccꝰ seu granũ tinctoriũ, e x quo coccinea vestis nomen obtinet. *Cant.* 2. 4. & 7. *Matt.* 27. *Apoc.* 5. 8. 17. Paliurus. *Mich.* 7. Gith siue nigella, seu melãthion, cuminũ, triti-

riticũ, hordeũ, miliũ, vicia, ſpelta ſiue Zea. *Eſa.* 28. Lentiſcus & ilex. *Adiect. Dan. in hiſtoriâ Suſannæ.* Hyacinthus, cuius colore veſtes imbuũtur. *Exod.* 28. *Ezech.* 16. Carix, ſcirpus, iuncus paluſtris, & papyrus. *Iob.* 9. *Eſa.* 18. & 35. Abſinthiũ. *Ier.* 9. & 23. *Amos.* 5. & 6. *Prou.* 5. & 7. *Apoc.* 8. Carduus, ſpina, vepris, tribulus, rubus, lappa, ſentis, *Gen.* 3. *Eſa.* 5. *c.* 34. *Sophon.* 2. Ficus. *Eſa.* 38. *Nahum.* 3. *Hos.* 9. *Matth.* 21. *Marc.* 11. Palma. *Pſal.* 52. *Iob.* 29. *Cant.* 5. *Apoc.* 7. *Ioel.* 1. Hebenus, ebur, ſtacte, calamus, balſamum, corallum. *Ezech.* 17. *Cant.* 5. *Pſal.* 45. Terebinthus. *Eſa.* 6. *Eccleſ.* 24. Myrica. *Ier.* 17. & 47. Reſina. *Ier.* 8. 46. 51. Vitis & vinea. *Gen.* 49. *Pſal.* 128. *Eccleſ.* 24. *Hos.* 14. *Ier.* 49. Hyſſopus. *Exod.* 12. *Leuit.* 14. *Num.* 19. *Pſal.* 51. 1. *Reg.* 4. Arundo ſiue calamus. *Eſa.* 36. & 42. & 61. 2. *Reg.* 18. *Ezech.* 29. *Pſal.* 68. *Luc.* 4. *Matth.* 27. Palea & ſtipula. *Pſal.* 1. *Eſa.* 17. 21. 25. *Ier.* 13. *Amos.* 8. *Matth.* 3. & 7. Cucumis ſiue cucumer. *Exod.* 11. *Eſa.* 1. Iuniperus. 1. *Reg.* 19. Labruſca. *Eſa.* 4. & 17. Mentha, ruta, anethum, cuminum. *Matth.* 23. *Luc.* 11. Sinapi. *Matt.* 13. *Marc.* 4. *Luc.* 13. & 17. Lilium. *Matth.* 6. Cucurbita. *Ion.* 4. Morus. *Pſal.* 78. 2. *Maccab.* 2. Sycomorus. *Luc.* 17. & 19. *Eſa.* 9. *Amos.* 7. Malum Punicum. *Cant.* 4. 6. & 7. *Exod.* 28. 1. *Reg.* 7. 2. *Reg.* 25. 2. *Chron.* 3. *Ier.* 25. *Hagg.* 2. *Ioel.* 1. Citrus, ex quâ lignum Sethim. *Exod.* 35. 37. & 38. Crocus. *Cant.* 4. *Pſal.* 41. *Eccleſ.* 45. *Thren.* 4. Myrtus. 3. *Eſdr.* 4. 2. *Eſdr.* 8. *Eſa.* 55. & 41. & 60. Pinus. *Eſa.* 44. Buxus. *Eſa.* 30. 41. 60. Nux. *Cant.* 6. Poma. *Amos.* 8. *Apoc.* 18. Quercus, populus, ilex, &c. *Eſa.* 1. 6. 44. *Pſal.* 104. *Hoſe.* 4. Roſa. 4. *Eſdr.* 2. *Sap.* 2. *Eccl.* 24. 39. Zizania. *Matt.* 13. Amygdalus. *Eccleſ.* 12. *Gen.* 43. *Num.* 12. Platanus. *Gen.* 30. *Ezech.* 31. Cedrus. *Num.* 24. *Pſal.* 29. Nardus, *Cant.* 1. *v.* 12. *c.* 4. *v.* 13. 14 *Marc.* 14. *ver.* 3. *Iohan.* 12. *v.* 3.

ORYCTOLOGIA SACRA.

I. ORyctologia ſacra eſt phyſica ſpecialis de foſſilibus ſiue mineralibus, ex S. literis petita.

II. Foſ-

II. Fossilia sunt corpora, quæ in terræ visceribus generantur à sulphure aquæ insito. Suntque impositionis primæ, secundæ, vel tertiæ. In primo ordine sunt metalla; in secundo media mineralia, cuiusmodi sunt succi & terræ metallares; in tertio, lapides. Quærat hoc loco aliquis, Cur fossilium nulla sit facta mentio in historiâ πρωτοκλισιας? Resp. Quoniam de iis tantùm operum Dei generibus Moses tractare instituit, quæ à nobis passim cernuntur. Deinde mineralia sub vegetabilibus videntur esse comprehensa, quandoquidem ipsorum generatio & natura proximior est vegetabilibus quàm animalibus.

III. Scriptura sæpe meminit metallorum. Sunt qui quatuor duntaxat species metallorum constituunt, videl. aurum, argentum, ferrum & plumbum. Sed si ea, quæ sunt *Ezech.* 22. *v.* 18. *&* 27. *v.* 12. cum *Num.* 31. *v.* 22. *& Dan.* 2. *v.* 31. conferantur, plura quàm quatuor metallorum genera esse facilè perspici poterit. Inter illa autem facilè primas tenet *aurum*, & inter gradus auri primũ obtinet locum, quod appellatur in Scripturis *aurũ Ophir.* Dicamus itaque primò de auro. Eius natura est, non posse destrui, nisi peculiari & raro quodam artificio, cuius non fuit ignarus Moses. *Num.* 32. *v.* 20. Ignis certè tantũ abest, vt aurum destruat, vt illud magis magisque perficiat & purget, multò magis quàm argentum, quod septima flamma recoxit, vt poëta ex *Psal.* 12. *v.* 7. loquitur. Hebræi constituunt septem genera siue gradus auri ex *Iob.* 28. *v.* 1. 2. *& seqq. Thren.* 4. *v.* 2. nempe Sagur, Ophir, Dahab, Barsir, Zahab, Paz, Cetem, Charab. Ex his gradibus in Scripturâ illud dicitur aurum Ophir, quod est commendatissimum. Nam in Ophir prouenit aurum optimum. Vide infrâ in Geographicis. Quæritur hîc quale sit aurum, quod *Apoc.* 21. *v.* 21. dicitur esse purum tanquam vitrum pellucidum? Resp. Est aũrum defæcatissimum. Adauri naturam quàm proximè accedit *argentum*, quod

ideò à quibuſdam appellatur aurum album. Sæpe fit mẽtio huius metalli in ſacris, quemadmodũ & auri, quo ſupra modum abundauit Salomo. Pondus quippe auri, quod ipſi quotannis obueniebat, erat 666. talentorum, id eſt, tricies centies mille, nongenties nonagies ſexies mille aureorum. Porrò Scriptura etiam meminit *Chalcolibani Apoc.* 1. *v.* 15. *&* 2. *v.* 18. quod alij putant eſſe orichalcum: alij è Libano monte effoſſum aliquem nouum lapidem; alij incognitum noſtris temporibus metallum: alij æs candidiſſimum ac lucidiſſimum, quale eſt *Dan.* 10. *v.* 6. Quid verò eſt *orichalcum*, cuius modò facta eſt mentio? Reſp. Quidam putant eſſe illud æs, quod in montibus effoditur, vnde Græco vocabulo putant ὀρείχαλκον appellatum. Alij dictum volunt ab auro, quod olim orum pronuntiabatur, quòd ſit metalli quædam ſpecies ex ære & auro vi naturæ ferruminata & concreta: quod genus metalli appellant electrum. Et hæc ſententia pleriſque probatur. Hinc orichalcum ipſo cupro longè præſtantius & pretioſius æſtimatur: quia nempe conflatum eſt ex ære & auro, naturali quâdam concretione, cui etiam aliquid argenti admixtum eſt.

IV. Mediorum mineralium multa ſunt genera, è quibus Scriptura tria quatuorue attingit. Meminit enim ſauonis & nitri *Ier.* 2. *v.* 22. ſulphuris *Gen.* 19. *Deut.* 29. & ſalis ſæpiſſimè. Vbi non eſt ſilentio prætereundum, ſal eſſe principium omnium corporum ſublunariũ. Sal enim nihil eſt aliud, quàm aqua ſicca, h. e. aqua terrea, & terra aquea. Quod vtinam ſophiſtæ animaduerterent! Maneat itaque immotum, quod adeptus quidam philoſophus ſcribit: Centrum vniuerſi eſt terra, centrum terræ eſt ſal. Poſſem hîc digredi in plenã diſſertationẽ de ſale, & ſcribere *ſacram* aliquam *haligraphiam*. Sed contentus ero tribus verbis indicaſſe ipſius methodum. *Haligraphia* eſt inſtitutio de naturâ & vſu ſalis. Natura ſalis, eſt omnes res ſublunares conſtituere radicaliter, & illas conſeruare à putredine. Vſus ipſius eſt naturalis, & ſupernatura-

turalis. Naturalis est partim in culinâ, partim in medicinâ: supernaturalis, in significando mysteria, vt quòd nullum sacrificium debuit offerri sine sale *Leuit.2.v.13.Marc.9. v.49.* quòd apostoli appellantur sal terræ. *Matth.5.vers.13.* quòd sermo noster debet esse conditus sale *Coloss.4.v.6.* quòd denique debemus in nobis ipsis habere salem, ita vt igne saliamur. *Marc.9.v.49.50.*

V. Lapidum vulgarium & pretiosorum mentio fit in sacris. Ex lapidibus vulgaribus frequenter fit mentio lapidum, quorum vsus est in ædificiis: item petræ, silicis, marmoris & arenæ. Ex lapidibus pretiosis celebrantur margaritæ, & XII. gemmæ *Exod.28.* de quibus infrà in Lithologiâ. Quia verò interpretes variant in reddendis nominibus Hebraicis istarum gemmarum, aliquot sententias breuiter commemorabo.

Vatablus.	Iunius.	Brugthonus.	Danæus.
Sardius.	*Pyropus.*	*Sardius.*	*Espinella.*
Topazius.	*Topazius.*	*Topazius.*	*Topazius.*
Carbunculus.	*Smaragdus.*	*Smaragdus.*	*Carbunculus.*
Smaragdus.	*Chrysopraſus.*	*Carbunculus.*	*Smaragdus.*
Sapphirus.	*Sapphirus.*	*Sapphirus.*	*Sapphirus.*
Iaſpis.	*Adamas.*	*Sardonyx.*	*Adamas.*
Lyncurius.	*Cyanus.*	*Hyacinthus.*	*Lyncurius.*
Achates.	*Achates.*	*Chrysopraſus.*	*Achates.*
Amethyſtus.	*Amethyſtus.*	*Amethyſtus.*	*Amethyſtus.*
Chryſolithus.	*Beryllus.*	*Chryſolithus.*	*Beryllus.*
Onychinus.	*Sardius.*	*Beryllus.*	*Onyx.*
Beryllus.	*Iaſpis.*	*Iaſpis.*	*Iaſpis.*

Hìc solent quærere, quid sit bdellium *Gen.2.vers.12.* Resp. Alij volunt esse iaspidem: alij carbunculum: alij album quendam lapidem: alij arborem, quæ Arabibus dicatur etiamnum hodiè Bdolchon: alij denique margaritam præstantissimam. Cui postremæ sententiæ vt astipuler facit collatio huius loci *Gen.2.* cum *Exod.16.v.14.15.& Num.11.v.7.* vbi color mannæ dicitur fuisse sicut color

bdellij & pruinæ: qualis nempe est color margaritarum. Neque valet, quod afferunt patroni eius sententiæ, quâ bdellium *Gen.* 2. dicitur esse arbor, apud Mosen *Num.* 11. intelligi colorem gummi arboris bdellij. Hæc siquidem expositio est coacta. Nam Scriptura dicit: *Et color eius sicut color bdellij.*

METEOROLOGIA SACRA.

I. METeorologia sacra est physica specialis de naturâ meteororum, petita ex sacris literis.

II. Meteora sunt corpora inconstantis naturæ. Nam quia elementa in iis non sunt redacta ad medium, hoc est, iustam atque exactam proportionem & temperiem, natura ipsorum facilè mutatur, vt in niue, grandine, rore, & similibus meteoris videre est.

III. Meteora diuiduntur bifariam. Et *primò* quidem ex loco alia sunt ascendentia, vt nebula, nubes: alia descendentia, vt pluuia, nix: alia hærentia vel in aëre, vt fulmen, cometa; vel in terrâ, vt terræmotus. *Deinde* meteora sunt hypostatica, vel emphatica. *Meteora hypostatica* sunt naturæ valde realis, & crassiorem habent materiam: suntque vel *ignea*, vt fax, ignis perpendicularis, bolis, capra saltans, scintillæ volantes, stella cadens, lancea ardens, draco volans, ignis lambens, ignis fatuus, sidus Helenæ, Castor & Pollux, Cometa, fulmen: vel *aërea*, vt ventus & terræmotus: vel *aquea*, vt nubes, pluuia, nix, ros, pruina, grando, nebula: vel *terrea*, vt lapides è nubibus decidentes. *Meteora emphatica* sunt naturæ coloris intentionalis: suntque numero septem, putà varii colores, chasma, halo, parelius, parasele ne, virgæ & iris.

IV. Scriptura meminit sequentium meteororum.

rorum. *Nubium* duo ſunt perpetui fontes, videl. tum mare & terra, è quibus in cœlum hoc noſtrum vapores aſcẽdunt *Ier.* 4. *v.* 13. 1. *Reg.* 18. *v.* 44. tum aquæ ſuperiores ſiue cœleſtes, quæ nunquam non manent in aëre. Nubium aliæ ſunt ſteriles, quæ pluuiâ carent, aliæ vberes & fœcundæ, quæ pluuiam effundunt. *Iob.* 36. *v.* 29. *Iudæ v* 12. *Prou.* 25. *v.* 14. Proprius enim nubium fœtus, & velut fructus, ſunt pluuiæ, ad quas vel geſtandas & cõtinendas, vel effundendas ſunt à Deo cõditæ & conſtitutæ, tanquã cœleſtes quidam vtres. *Iob.* 38. *v.* 27. Sed & eæ ipſæ ſurſum expanduntur à Deo, vt nos omniaq; hæc inferiora à nimio ſolis æſtu & ardore defendant, atque tanquam pulcherrimum & latiſſimum πέτασμα & velum tegant. *Iob.* 36. *v.* 30. 32. Porrò nubes à vento & ſole excitantur, & diſcutiuntur *Iob.* 37. *v.* 11. Nubes eſt mater, vas, & vter pluuiæ, vt modò diximus. De pluuiâ igitur ſecundo loco tractabimus. Eſt autem *pluuia* nubis diſſolutio in guttas aquæ. Nam eliquatur nubes in guttas calore ſolis moderato (nam ſummo exſiccatur 1. *Sam.* 12. *v.* 16.) & ſpargitur hinc inde viuenti, tanquam ſi quiſpiam inflatis buccis multam aquam contineat, & eam vi eiiciat. Multis autem de cauſis pluuia immittitur à Deo. *Iob.* 37. *verſ.* 13. Et plurimùm quidem ad hominum vſus & vtilitates maximas, veluti vt terram inebriet, atque emolliat, & fœcundam reddat, vt germina & arbores creſcant, & vt nimij ſolis ardores tẽperentur. *Pſal.* 65. *verſ.* 11. Sæpe etiam Deus demittit pluuias ad nos flagellandos. Nam interdum per eas omnia terræ ſata, & ſpem victus atque meſſis corrumpit. *Iob.* 36. *verſ.* 31. & 37. *v.* 8. Genera pluuiæ in Scripturis traduntur duo: vnum naturale & ordinarium, alterum miraculoſum & extraordinarium. *Pluuia naturalis* aut confertim cadit, eſtque copioſior & vehementior, & appellatur nimbus *Ezech.* 13. *v.* 11. aut eſt leuior & moderatior, quæ vocatur imber *Iob.* 37. *v.* 6. Rurſus pluuia naturalis eſt tempeſtiua vel ſerotina. *Pluuia tempeſtiua* eſt, quæ ſequitur culturam: *ſerotina*, quæ antecedit collectionem fructuum.

Deut. 11. *v.* 14. *Ier.* 5. *v.* 24. Sunt qui interpretantur pluuiam matutinam & serotinam. Sed inepta est ista sententia. Nam Deus pluuiam tempestiuam vocat eam, quæ decidit semente iam factâ germinationis causâ. Et hæc dicitur Hebræis יורה à docendo & erudiendo, quòd quasi doceat & erudiat terram, vt proferat fructus. Huiusmodi est pluuia, quæ decidit in autumno & vere, postquam agri culti sunt, & semen terræ mandatum. Serotina itaq; pluuia fuerit, quæ sub tempus messis antecedit collectionem frugum, vt spicas impleat & contineat. Vnde Hebræis dicitur מילקוש ex מלא *impleuit*, & קש *spica*, quòd descendat super spicas & culmos, ne nimia siccitate grana dispergantur, & culmi exarescant. Alij tamen hanc vocē deriuant à לקש tardauit: quòd hæc sit vltima pluuia, quam recipit seges ante messem. *Pluuia miraculosa* & prodigiosa fit certissimo Dei iudicio, ita vt decidant lapides, sulphur, ignis, & similia. *Gen.* 19. *Ios.* 10. *v.* 11. Quod diximus de vtilitate pluuię, illam facere ad fœcunditatem terræ: item aliam esse tempestiuam, aliam serotinam: hoc, inquam, in praxi physices oportet imitari. Si quis enim ibi velit facere pretium suæ operæ, oportet vt terram suā irriget pluuiâ, eâque tum tempestiuâ, tum serotinâ. Sed videamus de niue. *Nix* est nubis dissolutio in floccos. Vtilitas eius est longè maxima. Terram enim fœcundat, cui optimi sterquilinij, fimi & pinguedinis loco datur à Deo, penes quem sunt thesauri niuium. *Iob.* 38. *v.* 22. 23. *Ps.* 148. *v.* 8. *Prou.* 26. *v.* 1. *Grando* est nubis dissolutio in globulos, quibus Deus vtitur tanquam sclopis tormentarijs ad nos castigandos. *Psal.* 148. *v.* 8. & 105. *v.* 32. *Iob.* 38. *v.* 27. *Eccl.* 43. *v.* 16. Est autem alia grando naturalis, vt illa, de quâ modò diximus: alia miraculosa, de quâ *Exod.* 9. *v.* 24. *Apoc.* 16. *v.* 21. *Pruinæ* quoque fit mentio in Scripturâ: vt *Iob.* 38. *v.* 29. *Psal.* 147. *v.* 16. *Ros* est vapor subtilior & tenuior, qui leui & miti frigore compingitur, vt terram eiusque fructus foueat, & aërem, in quo versamur, refrigeret. *Iob.* 38. *v.* 28. *Gen.* 27. *v.* 30. Rori affine est *manna*: quod est naturale,

vel

vel miraculosum. *Manna naturale* est tenue & globosum corpus, quod ex rore cœlesti & sudore siue cremore earum rerum, quibus insidet, à Deo compactum, magnâ aëris temperie, decidit in terram, herbas, & arbores. Ideo non generatur in quâuis terræ regione, sed eâ tantùm, in quâ temperatior est aër propter æstus & frigoris successionem, vt in monte Libano, Calabriâ, & alibi. Optimum perhibetur manna, quod in Arabiâ crescit, & ab Arabibus vocatur Tereniabin. *Manna miraculosum* erat, quod per 40. annos pluebat diuinâ virtute, & populum Dei alebat instar panis. *Exod.* 16. *Num.* 11. *Tonitrua* est sonus ille, qui fit propter nubem effractam per antiperistasin caloris & frigoris. Fit autem sonus ille, vti si pannum abrumpas violentiùs, aut si aër aliquis in folle conclusus vi erumpat. Id quod obseruari potest in castaneis ad ignem positis. Nam fit sonus, cùm earum cortex frangitur. Sic dum vi dissilit ignis ex ruptâ & discissâ nube, fit fragor ingens & sonitus, id quod tonitru appellatur, ab Hebræis autem vox Dei ex *Psal.* 29. & vox superbiæ: quia Dominus per eam vocem homines, bestias, terram, & cœlum ipsum terrefacit, atque superbiam hominum domat. *Iob.* 26. *v.* 11. *Terræmotus* id est in terrâ, quod tonitru in nube. Est enim flatus intra cauernas terræ coarctatus, qui dum sibi viam hinc inde parat, terram concutit. Eius exemplum est *Amos.* 1. *v.* 1. *Matth.* 27. *v.* 54. *cap.* 28. *v.* 2. *Act.* 16. *ver.* 26. Sequitur *ventus*, qui est fluor aëris, vt ait Arnobius. Quam in sententiam Augustinus dicit, ventum esse aërem fluctuantẽ. Sed si velimus rem penitiùs inspicere, ventus est motus & dispersio exhalationis in sublime eductæ, & fit in aëre immobili. Natura siquidem expansi à Deo creati est non agitari vel dissipari, sed manere in statu quodam immobili. Ventus est alius vehementior, qui dicitur turbo: alius leuior, qui appellatur ventus nomine generis. Turbine Deus vtitur extraordinariè ad homines puniendos. Est enim tanquam manus quædam robustissima, quæ quidquid apprehendit, arctè constringit & eleuat; &

instar teli atque pili, quod omnia penetrat atque diruit. Vento ordinario Deus vtitur, vt aërem purget atque refrigeret, herbas item, arbores, bestias & homines excitet, fœcundet, foueat, ventilet; aquam denique & naues impellat. *Iob.* 38. *v.* 24. 1. *Reg.* 19. *v.* 11. 12. *Iob.* 37. *v.* 9. 22. *Prou.* 25. *v.* 23. *Eccles.* 43. *v.* 18. 19. 22. *& seqq. Act.* 27.

ICHTHYOLOGIA SACRA.

I. ICHthyologia sacra est physicà specialis de naturâ piscium, sumta ex codice scripturæ sacræ.

II. Pisces sunt animalia ex àquis producta, & in aquis natantia. Ex aquis productos esse pisces docet Moses *Gen.* 1. *v.* 20. Nimirum aqua iussu Dei sic est constricta, coagulata, & incrassata, vt inde corpus solidum & tenax prodierit, quod æquè est caro, atque caro quadrupedum. 1. *Cor.* 15. *v.* 39. etsi temperamento & gradu differt.

III. Piscium varia sunt genera. Sunt enim 1. *Pisces propriè dicti*, iique tum maiores, vt salmo: tum mediocres, vt halec: tum minores, vt fundulus. 2. *Pisces impropriè dicti*, vt belluæ marinæ, putà balæna, delphinus. 3. *Zoophyta siue plantanimantia aquatilia*: vt spongia marina. 4. *serpentes aquatiles*, vt hydrus. 5. *insecta aquatilia*, vt hirudo, pulex marinus. Ex his piscibus alij sunt mundi, alij immundi de lege Mosis. *Leuit.* 11. Frequenter fit mentio piscium, quos ceperunt apostoli, & quos Christus miraculosè benedixit. *Matt.* 14. *&* 15. *Marc.* 6. *Luc.* 5. 9. 24. *Iohan.* 6. *&* 21. sed de vnosolùm pisce Scriptura disertè agit, eumq; nobis tãquam operum Dei aquatilium miraculũ proponit *Iob.* 40. *&* 41. quem *Leuiathan* appellat. Vbi tenenda est regula, *In omnirerum corporearum genere esse quiddam minimum & maximum.* Sic pumiliones & pygmęi in vniuerso hominum genere sunt res minima, gigantes, res maxima: in terrestribus

bus animalibus elephas eſt maximus, minimus autem mus aut gurgulio: in auibus eſt maxima ſtruthiocamelus, minima, regulus. Sic in vniuerſo piſcium genere maximus eſt Leuiathan, minimus, apua, quam alij appellant millecantonem. Eſt autem Leuiathan balæna, cuius moles & robur ſunt planè ſtupenda: vnde figuratè intelligitur hâc voce ſublimitas omnis ſpiritualis vel corporalis, quæ vi vel fraude ſe aduerſus Deum effert. *Eſa.* 27. *v.* 1.

ORNITHOLOGIA SACRA.

I. ORnithologia ſacra eſt phyſica ſpecialis de naturâ auium, petita ex ſacris literis.

II. Aues ſunt animalia ex aquis producta, & in aëre volantia. Aues ex aquis productas eſſe docet Moſes *Gen.* 1. *verſ.* 20. Hinc vt rectè ſcripſit Ambroſius, aquam & piſces eiuſdem inter ſeſe generis eſſe & materię: ita Fulgentius & alij rectè docent, aues & piſces eiuſdem eſſe materiæ. Sed, inquis, ſuprà cœlum & terra ſtatuebantur omnium corporum principia? Reſp. Intellige terram aquâ coniunctam, ita vt vel terra prædominetur, vel aqua. In piſcibus & auibus dominium habet aqua, in quadrupedibus & omninò beſtiis terreſtribus ipſoque etiam homine quantum ad corpus prædominium habet terra.

III. Auium varia ſunt genera. Et primò quidem ſunt *aues propriè dictæ*: eæque tum maiores, vt aquila, ciconia: tum mediocres, vt columba, gallina: tum minores, vt luſcinia, hirundo. Deinde ſunt *inſecta alata:* vt apes, muſcæ. Tertiò ſunt *ſerpentes alati:* vt draco, baſiliſcus. De his tribus generibus varia occurrunt in Scripturis: quę nos breuiter perſequemur. Principio *Exod.* 14. & *Leuit.* 11. recenſentur aues mundæ & immundæ, vbi variant interpretes hoc modo.

Vatablus.	Iunius.	Vulgata versio.	Hutterus.
Aquila.	*Aquila.*	*Aquila.*	*Aquila.*
Gryphus.	*Ossifraga.*	*Gryphus.*	*Gryphus.*
Haliæetus.	*Haliæetus.*	*Haliæetus.*	*Haliæetus.*
Vultur.	*Miluus.*	*Miluus.*	*Vultur.*
Miluus.	*Pica.*	*Vultur.*	*Miluus.*
Coruus.	*Coruus.*	*Struthio.*	*Coruus.*
Struthio.	*Vlula.*	*Noctua.*	*Struthio.*
Noctua.	*Hirundo.*	*Larus.*	*Noctua.*
Larus.	*Aesalo.*	*Accipiter.*	*Larus.*
Accipiter.	*Accipiter.*	*Bubo.*	*Cuculus.*
Nycticorax.	*Bubo.*	*Mergulus.*	*Nisus.*
Mergulus.	*Mergus.*	*Ibis.*	*Accipiter.*
Ibis.	*Noctua.*	*Cygnus.*	*Nycticorax.*
Porphyrio.	*Monedula.*	*Onocrotalus.*	*Mergulus.*
Pelecanus.	*Platea.*	*Porphyrio.*	*Bubo.*
Cygnus.	*Merops.*	*Herodio.*	*Ibis.*
Ciconia.	*Ciconia.*	*Charadrius.*	*Porphyrio.*
Charadrius.	*Ardea.*	*Vpupa*	*Pelicanus.*
Vpupa.	*Attagen.*	*Vespertilio.*	*Onocrotalus.*
Vespertilio.	*Vespertilio.*	*Bruchus.*	*Cygnus.*
Locusta.	*Locusta.*	*Attacus.*	*Ardea.*
Attacus.	*Bombyx.*	*Ophiomachus.*	*Ciconia.*
Ophiomachus.	*Cantharus.*	*Locusta.*	*Choradrius.*
Bruchus.	*Cicada.*		*Icterus.*
			Galgulus.
			Vpupa.
			Vespertilio.

Ex his auibus *aquila* dicitur magna auis *Ezech.* 17. *vers.* 3. Quem enim inter quadrupedes gradum obtinet leo, eũdem inter aues aquila. Ea nidulatur altissimo loco *Iob.* 39. *v.* 30. 31. nempe in saxis & petris *Obad. v.* 4. videt acutissimè & longissimè *Iob.* 39. *vers.* 32. 33. est auis pernicissima. *Thren.* 4. *v.* 19. volat altissimè. *Esa.* 40. *v.* 30. in senectute renouatur *Psal.* 103. *v.* 5. quoniam non deficit senio aut ægritudine, vt aliæ aues, sed semper, etiam in extremâ senectâ,

nectâ, vegeta est. Tamen cùm superius rostrum ita accrescat, vt aduncitas aperiri non possit, fame tandem perit, quia etsi ad tempus solo potu viuit, tandem tamen ne bibere quidem potest. Porrò aquila delectatur cadaueribus *Matth.* 24. *v.* 28. Eundem in modum veri Christiani delectantur morte Christi. *Accipiter* plumas nouas sumturus it versus Austrum propter æstum, vt est *Iob.* 39. *v.* 29. *Bubo* est auis nocturna, inauspicata, & solitaria. *Psal.* 102. *v.* 7. *Esa.* 13. & 34. *Ciconia* & *Grus* nôrunt sua tempora *Ier.* 8. *v.* 7. *Columba* est auis simplex, gemens perpetuò, gemitu placidissimo, non autem obmurmurante: est timida, petit alta tecta, tutò deponit oua, & parit latens, est candida. *Matth.* 10. *v.* 16. *Esa.* 38. *v.* 14. *Psal.* 55. *v.* 7. *Cant.* 2. *v.* 14. *Ier.* 48. *v.* 28. *Coruus* est ferum animal, & crudele in natos. *Psal.* 147. *v.* 9. *Iob.* 39. *v.* 3. *Draco* est fera auis, ex serpentũ genere. *Ier.* 14. *v.* 6. *Pauo* alis exultat, & illâ coloris atque plumarum varietate, quæ in caudâ tanquam oculi quidã fictitij élucet, *Iob.* 39. *v.* 16. *Pelecanus*, vel vt vulgo scribunt, pelicanus, est auis in desertis viuens. *Psal.* 102. *v.* 7. Dicitur sanguine suo effuso mederi pullorum cœcitati, atque ita est insignis Christi pro nobis morientis, & morte suâ nos redimentis, typus. *Struthio* pennas & plumas habet plurimas, & tamen omnibus hisce adiumentis propter molem corporis vix se potest è terrâ subleuare. Habitat in desertis. Est crudelis in fœtum. Nam cùm multa oua pariat, eorum partem in terrâ deserit, & reliquis incubat, quæ sentit fœcunda: ex infœcundis autem pastum præbet pullis suis. Vide de hâc aue *Iob.* 39. *v.* 16. *Esa.* 43. *v.* 20. *Thren.* 4. *v.* 3. *Turtur* est columbinæ h. e. puræ & simplicis naturæ, vnde in sacrificijs habuit vsum, & est symbolum ecclesiæ. *Leuit.* 1. & 5. *Cant.* 1. *v.* 12. *Vultur* mortem & cadauera hominum sequitur, & eò congregatur, vbi acies sunt conflicturæ. *Esa.* 34. *v.* 15. *Vlulæ, scopes*, & similes aues, sunt deformes motu satyrico, tristes ob solitudinem loci, & horrificæ ob tempus nocturnum quo delectantur. *Esa.* 13. *v.* 21, 22. *c.* 14. *v.* 23. *c.* 34. *v.* 11, 12, 13, 14. *Ier.* 50. *v.* 39.

Apes

Apes putantur nasci sine coitu. Ex cadauere leonis ortum est examen illud, de quo *Iud.* 14. *v.* 8.15. Examen apum est hieroglyphicum hostium ecclesiæ. *Psal.* 118. *v.* 12. *Cicadæ & locustæ* quibusdam in locis sunt edules. *Leuit.* 11. *vers.* 22. *Matth.* 3. *v.* 4. vbi frustrà sunt, qui ἀκρίδες & ἀκρόδρυα confundunt, & existimant ἀκρίδες esse ἄκρα δένδρων, *summitates ramorum in arboribus.* Vide *Casaubonum exercit.* 13. *sect.* 7. 8. Per *muscas, locustas,* & similia animalcula Deus grauissima sua iudicia in homines, ac totas gentes, etiam potentissimas, sæpenumero exercet. *Exod.* 8. & 10. *Psal.* 105. *v.* 30. *Ioel.* 1. *v.* 4.

THERIOLOGIA SACRA.

I. THeriologia sacra est physica specialis de naturâ bestiarum terrestrium, ex Scripturis sumta.

II. Bestiæ terrestres sunt animalia ex terrâ condita, & in terrâ degentia. Ex terrâ, inquam, quæ in iis prædominatur reliquis elementis. *Genes.* 1. *vers.* 24.25.

III. Varia sunt genera bestiarum terrestriũ. Ac *primùm* quidem Moses partitur eas in iumenta, reptilia, & bestias agri: *Iumenta* sunt, quæ homini commoditatem adferunt. Itaque ab eo tractari possunt: velut boues, equi, oues, canes. *Bestiæ agri* sunt feræ, quæ procul ab hominum consortio fugiunt, vt leones, tigres, vrsi. *Reptilia* sunt serpentes terreni. *Deinde* bestiæ terrestres sunt ruminantes, vel non: item vnguifidæ, vel non *Leuit.* 11. *Deut.* 14. Cum hâc partitione coincidit illa *Aristotelis lib.* 2. *de hist. animal. cap.* 1. Animantium aliæ sunt πολυχηδεῖς, *pedibus multùm fissis*, vt canis: aliæ δισχιδεῖς, *pedibus bifidatis*, vt bos: aliæ ἀχηδεῖς, quas *solipedes* Plinius appellat, vt est equus. Quorum pedes sunt πολυχηδεῖς, aut sunt imperfectissimæ conditionis, aut rapacissimæ: quorum pedes sunt solidi, ea perfectiorem habent naturam:

quorum

quorum verò bifidati, ea quodammodò absunt à naturæ perfectione. *Tertiò* animalia terrestria sunt ζωοτόκα, *viuipara*, vt vacca: vel ὠοτόκα, *ouipara*, vt serpens, *Quartò* septem sunt classes siue ordines brutorum terrestrium. In primâ classe sunt *pecudes*, quæ sub imperio hominis pabulum capiunt: vt bos, asinus, ouis, capra, sus domestica. In secundâ classe sunt *belluæ*, quæ sunt naturæ ferę, & sine hominis imperio in siluis & campis vagantur: vt leo, tigris. In tertiâ classe sunt *bestiæ similes pecudibus*, vt canis, felis. In quartâ classe sunt *bestiæ similes belluis*, vt lepus, vulpes, cuniculus. In quintâ classe sunt *serpentes terrestres*, vt aspis, vipera. In sextâ classe sunt *insecta terrestria*, vt araneus, vermis. In septimâ classe sunt *Zoophyta terrestria*, vt arbor pudica, asthynomene herba. Nunc persequamur bestias terrestres, quarum Scriptura meminit. *Elephas* inter quadrupeda animalia est maximum. Itaque cum sit instar multorum animalium, *Behemoth* ab Hebræis appellatur terminatione plurali. *Iob.* 40. *v.* 10. Sunt qui crocodilum ibi putant intelligi. *Equus* est animal robustum, impauidum, militare, velox, docile, placidum, ac hominis, inprimis autem domini sui, manu & consuetudine gaudens, eiusque affectus penè intelligens. Eius natura pulcherrimè descripta est *Iob.* 39. *v.* 19. *& seqq.* *Leo* est animal superbum, ferox, clemens in supplices, generosum, forte. *Iob.* 39. *v.* 1. *Psal.* 104. *v.* 21. Est veluti rex terrestrium animalium. *Lupus* est animal vorax, maximè autem lupus vespertinus. *Hab.* 1. *vers.* 8. *Ier.* 5. *v.* 6. *Onager* in desertis habitat, & ferus admodum est. *Iob.* 24. *v.* 5. *c.* 39. *v.* 8. *Ier.* 2. *v.* 24. *Dan.* 5. *v.* 21. *Hos.* 8. *v.* 9. *Mulorum & mularum* vsus in Iudæâ fuit frequentissimus, vti & hodiè est in Syriâ. Hoc vecturæ & equitationis genere etiam reges ipsi vtebantur 2. *Reg.* 8. Mulas alibi gentium quàm in Iudæâ steriles esse scribunt: sed in Iudæâ admodum fœcundas. *Vulpes* vineas maximè lædit. *Cant.* 2. *v.* 15. est animal valde astutum & dolosum. *Luc.* 13. *v.* 32. *Aper* depopulatur vites *Psal.* 80. *v.* 14. *Canis* est animal fidele, industrium, & homini familiare: sed propter libidi-

bidinem in Scripturis est animal turpe, fœdum & minimi pretij. *Deut.* 23. *v.* 18. *Psal.* 22. *v.* 17. 21. *Matth.* 7. *v.* 6. 2. *Petr.* 2. *v.* 21. *Phil.* 3. *v.* 2. *Apoc.* 22. *vers.* 15. *Ceruus* est animal timidissimum, quod sitibundum aquas etiam cum clamore & barritu inuestigat diligentissimè & pertinacissimè. *Psal.* 29. *v.* 9. *&* 42. *v.* 1. *Cerua* parit fœtus suos difficillimè ac ægerrimè. *Iob.* 39. *vers.* 5. 6. *Sus* est animal fœdum. *Leuit.* 11. *Matth.* 7. *vers.* 6. 2. *Petr.* 2. *vers.* 21. *Apoc.* 22. *v.* 15. *Camelus* & Lepus *Leuit.* 11. numerantur in animalibus immundis. *Serpens* est animal à Deo maledictum, & pœnæ fugæque perpetuò addictum, ac etiam vniuerso hominum generi infestissimum & inimicissimum redditum. *Gen.* 3. *vers.* 14. *Psal.* 91. *vers.* 14. *Esa.* 19. *vers.* 5. Itaque perpetuò quærit latebras, fugitque ab homine. Est tamen hoc ipsum animal astutissimum, & sibi prospicientissimum. Ideo Christus iubet nos imitari prospicientiam & prudentiam serpentum *Matth.* 10.

ANTHROPOLOGIA SACRA.

I. ANthropologia sacra est physica specialis de naturâ hominis, ex S. literis collecta. Hæc vltimum obtinet locum inter partes physicæ nõ dignitate, sed ordine naturæ. Sicut enim homo creatus est postremo loco, tanquam finis & compendium omnium creaturarum: ita tractatio physica de homine merito colophonem addit reliquis physicæ partibus.

II. Homo est animal creatum ad imaginem Dei. Hæc est prærogatiua hominis præ reliquis creaturis visibilibus. *Gen.* 1. *v.* 27.

III. In homine considerantur partes & sexus.

IV. Partes hominis sunt duæ: corpus organicum, & anima intelligens. Vtraq; fuit condita ad imaginem Dei. Nam in animæ substantiâ fuit spiritualis sim-

simplicitas & immortalitas; in intellectu fuit eximia sapientia; in voluntate sanctitas, & libertas à coactione, seruitute, & miseriâ; in corpore pulcherrima temperies & relatio siue ἕξις ad animam; in toto deniq; composito, maiestas imperatoria. Sed videamus distinctè vtramque hominis partem. *Anima* hominis fuit à Deo inspirata *Gen. 2. v. 7.* Et hæc propriè est κτίσις. *Corpus* hominis primi fuit formatum ex rubrâ terrâ. *ibid.* secundi, ex costâ *ibid. v. 21.* Et hæc propriè est πλάσις, id est, figuratio siue figularis factura: quâ ratione commendatur opificij diuini in creando homine admirabilitas. Animæ itaque origo est cœlestis, corporis, terrestris. Sed, inquis, cur Moses non fecit mentionem spiritus: cùm homo constet ex corpore, animâ & spiritu 1. *Thess. 5. v. 22?* Resp. Spiritus continetur sub nomine animæ, cuius natura est spiritualis iure creationis & redemtionis, vitio autem nostro fit corporalis & bestialis, quando seruimus peccato, & simus canes atq; porci. Quomodo corpora nostra formentur ex sanguine, docet *Iob. c. 10. v. 10. 11.* Cæterùm anima est vna τῇ οὐσίᾳ, sed multiplex τῇ ἐξεσίᾳ: quod quidem est signum perfectionis. Nam quò quid magis est vnum, eò est perfectius in agẽdo, & quidem ita, vt plurima possit agere. Sic anima nostra intelligit, vult, regit corpus & singula ipsius membra, meminit, numerat, inuenit, dispo-nit, apprehendit, componit, diuidit, discurrit, mensurat, & alia innumera præstat. Corporis ratio est alia. Illud siquidem instructum est multis & diuersis organis, quæ ad certas operationes sunt destinata. Sic oculus ad videndum, auris ad audiendum &c. propendet suâ naturâ, vt meritò dixerit Aristoteles, *Oculus est qui facit operationes oculi.* Nõ possum quin hoc loco inferam elegantissimã illam allegoriam, quâ Salomon depingit membra corporis humani & quędã hominis accidentia. *Eccl. 12. v. 5. 6. 7. 8. Brachia* vocat custodes domus, i. e. corporis, in quo anima tanq̃ in domo habitat. Hanc domum custodiunt brachia. *Crura* nominat viros robustos: quia corpus gestant, & robo-

robore ſuo ſuſtinent. *Dentes* appellat molitrices, quia cibum quaſi molunt, id eſt, mandunt. *Oculos* vocat eos qui ſpectant per feneſtras, id eſt, per foramina, quibus inclusi ſunt. *Abſtinentiam à cibo duriore* vocat occluſionem valuarum in plateam vergentium, id eſt, *labiorum.* Nam ſunt etiam valuæ, quæ in corpore hominis latent, vt eſt operculum gulæ & veſiculæ fellis. *Exilis ſonus malæ* eſt impotētia mādendi. *Canitiem* vocat florentem amygdalum. *Curvitatem dorſi* vocat onerationem locuſtæ: quia dorſum refert ſpeciem locuſtæ. *Medullam* vocat funem argenteum: quia medulla in ſpinâ dorſi habet ſpeciem funis, & alba eſt vt argentum. *Meningem*, id eſt, membranulam ſeu pelliculam in quâ ſitum eſt cerebrum, vocat lenticulam vel phialam auream. *Venas meſaraicas* iuxta hepar ſitas vocat hydriam ad ſcatebram, quia ex hepate tanquam è ſcatebrâ hauriunt ſuccum ſanguineum, eumq; in ſanguinem perfectum commutant. *Pulmones* vocat rotam ad ciſternam; quia ſicut rota ad ciſternam vel puteum nunc demittit, nunc attrahit hydriam, ita pulmo continuo motu halitum nunc attrahit, nunc repellit. *Corpus hominis* appellat puluerem, quia ex puluere initio eſt formatum. *Spiritus rediens ad Deum, qui dedit illum*, eſt anima, quam Deus ad ſe recipit, cùm homo moritur. Sic autem Deus recipit animam hominis, vt receptam tradat vel angelis ſanctis, vt eam portent in cœlum, ſi homo fuerit pius: aut malis ſpiritibus, vt eam portent in gehennam, ſi homo fuerit impius.

V. Sexus hominis eſt maſculinus, vel fœminus. Vterque eſt factus ad imaginem Dei *Gen.* 1. *v.* 27. ſed ille eſt potior, hic ſequior. 1. *Cor.* 11. *v.* 7. & hic eſt ex illo, & propter illum. Vbi diligenter obſeruandum eſt phyſicis practicis, quomodo in ipſorum opere ex mare ſumatur fœmina. Sicut enim in primâ creatione hominis Deus Euam formauit ex Adamo, atque ita ex vno ſanguine omne hominum genus produxit *Act.* 17. *v.* 26. ita

neceſſe

neceſſe eſt, vt phyſicus practicus ex ſubiecto ſuo catholico faciat hæc duo, marem & fœminam, per debitam ſeparationem.

COSMOLOGIA SACRA.

I. COſmologia ſacra eſt pars phyſicæ de naturâ mundi, petita ex ſacris literis.

II. Mundus eſt ſyſtema ex cœlo & terrâ, & quæ his continentur, pulcherrimè conſtans. Hæc definitio ſumta eſt ex *Gen.* 2. *v.* 1. Et ita quidem vox mundi ſumitur *generaliter* pro totâ rerum creatarum vniuerſitate: quò pertinet illa appellatio mundi apud Ariſtotelem, τὸ πᾶν ἢ τὸ ὅλον. Specialiter etiam accipitur nunc pro terrâ 2. *Pet.* 3. *v.* 6. *Ioh.* 1. *v.* 9. nunc pro ἀταξίᾳ & deprauatione, quæ per peccatum introducta eſt in hunc mundum inferiorem 1. *Ioh.* 2. *v.* 16. nunc pro ipſis hominibus, iiſque vel omnibus *Rom.* 5. *v.* 12. vel fidelibus *Ioh.* 3. *v.* 16. *c.* 17. *v.* 23. 24. vel infidelibus *Ioh.* 1. *v.* 10. 1. *Ioh.* 5. *v.* 19. Prima, eaque generaliſſima ſignificatio, huius eſt loci.

III. In mundo ſpectantur principia & affectiones.

IV. Principia mundi ſunt externa, vel interna. *Principia externa* ſunt efficiens & finis, *interna*, materia & forma. *Efficiens mundi* eſt ſolus Deus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus. *Gen.* 1. *v.* 1. *Pſal.* 33. *v.* 6. & 104. *v.* 30. *Iob.* 9. *v.* 8. *Ioh.* 1. *v.* 3. 1. *Cor.* 8. *v.* 6. *Hebr.* 1. *v.* 2. Eſt, inquam, efficiens tum procreans, tum conſeruans. *Procreans*; quia omnia produxit, & quidem partim per κτίσιν, i. e. creationem ex nihilo; partim per ποίησιν, id eſt, facturam; partim per πλάσιν, id eſt, figurationem. Primo modo creauit angelos, cœlum, terram & animam hominis: ſecundo, herbas, ſtellas, aues, piſces & beſtias terreſtres: tertio, corpus Adami & Euæ. *Gen.* 1. & 2. Deinde Deus eſt

causa mundi efficiens *conseruans*; quia omnia à se condita sustinet ac veluti portat, viresque ipsis inditas stabilit atque fouet. *Psal.* 104. *Act.* 17. *Heb.* 1. Huc pertinet generatio rerum sublunarium, cuius fundamentum est vox illa Dei imperatoria *Gen.* 1. *Proferat terra herbas: Aquæ progignunto reptilia: Fœtificate, ac augescite, & implete aquas per maria, & volucres augescunto in terrâ: Producat terra animantia: Fœtificate, ac augescite, & implete terram, eamque subijcite.* Atque hæc est *Natura* omnibus rebus creatis implantata, ita vt illa nihil sit aliud, quàm vis ordinaria, quâ Deus instruxit singulas res à se conditas. 1. *Cor.* 11. *v.* 14. *Rom.* 2. *v.* 14. *Finis mundi* est principalis vel minùs principalis. Finis principalis & præcipuus est Deus ipse, hoc est, gloria, ipsius. *Prou.* 16. *v.* 4. *Rom.* 1. *v.* 20. *Iob.* 36. *v.* 24. Conditus ig. esthic mundus, vt sit typus visibilis Dei inuisibilis, speculum nempe sapientiæ, bonitatis & potentiæ ipsius, in quo maiestatem eius contemplemur, admiremur, & deprædicemus. Finis minùs principalis & non-præcipuus est homo, & is quidem vel quilibet, vel fidelis tantùm. Vnde hic finis est generalis vel specialis. Finis itaque generalis est, qui ad omnes in vniuersum homines pertinet: estque vsus omnium hominum, & is quidem partim immediatus, partim mediatus. Nam mundus & res in eo comprehensæ sunt homini vtiles vel immediatè, vel mediatè. Immediatè res omnes homini sunt vtiles, quantum ad corpus & animum. Quantum ad corpus, res naturales conducunt homini ad nutritionem, vel medicinam, vel defensionem, eaque vel singula, vel vniuersa. Et quamuis plurima sint, quorum vsus nos latet, siue id fiat originali, siue affectatâ ignorantiâ: tamen ex hâc nostrâ inscitiâ nõ tollitur rerum vtilitas, quam illæ habent vi creationis. Quantum ad animum attinet, mũdus est schola illustris, quæ 1. nos instituit de æternitate, sapientiâ, potentiâ, & bonitate opificis. *Psal.* 8. & 19. *Rom.* 1. 2. facit ad excitandum in nobis fiduciam in Deum, item amorem, & timorem eius *Psal.* 146. *v.* 5. 6. 3. facit ad oblectationem animi.

4. affe-

4. affert varias consolationes. Nam Deus, qui creauit hunc mundum, potest nobis opem ferre in omnibus nostris calamitatibus, publicis & priuatis, magnis & paruis. *Ier.* 10. *v.* 10. 12. *c.* 45. *v.* 2. 3. 4. 5. Atque hæc pædagogia naturalis nobis non est contemnenda, ne primum symboli articulum videamur velle ignorare. Mediatè res creatæ homini inseruiunt, quatenus vel sunt pœnæ, quibus corrigimur, castigamur & emendamur: vel rectè præparantur, vt nobis præstent vsum salutarem, quomodo videmus venena, & alia, quæ vulgo inutilia putantur, adhibitis præparationibus conuenientibus singularem adferre vtilitatem. Specialis finis mundi est peculiaris & proprius ecclesiæ seu cœtui fidelium. Est enim creatus mundus, vt sit domicilium & hospitium ecclesiæ, quæ in hâc domo ad tempus commoretur, eâque iure quodam proprio vtatur. *Materia mundi* est cœlum & terra, in quibus innumeræ creaturæ continentur, ex quibus mundus cõstat tanquam ex partibus integralibus: quomodo videmus corpus humanum constare ex variis membris. Quêadmodum autem ex membris corporis nostri deciditur semen: ita ex cœlo & terrâ oriuntur omnia omnium rerum naturalium *semina*, quę per debitam putrefactionem eò rediguntur, vt ex iis nascantur corpora glorificata: vnde putrefactio non sine causâ appellatur clauis naturæ & artis. Vide *Iohan.* 12. *v.* 24. *&* 1. *Cor.* 15. *v.* 36. 37. 38. 42. 43. 46. Quibus verbis continetur legitima præparatio materiæ physicæ. *Forma mundi* est inimitabilis illa dispositio partium, quæ Græcis dicitur διακόσμησις. Hæc est catena Homeri aurea, per quam fit, vt omnes res totius mundi fœdere quodam inter sese deuinciantur, & reciprocâ actione & passione nihil non efficiant, quod ad mundi decus pertinet. Hæc forma *Gen.* 1. comprehenditur sub nomine bonitatis, quâ omnia à Deo creata dicuntur fuisse prædita. Bonitas siquidem illa fuit in substantiâ, facultatibus & actionibus rerum creatarum, adeoque in ipsa-

rum formâ, vtpote sine quâ neque οὐσία, neque δύναμις, neque ἐνέργεια vlla esse potest in rebus creatis.

V. Affectiones mundi referuntur ad quantitatem, vel qualitatem ipsius.

VI. Affectiones mundi ratione quantitatis referuntur ad quantitatem discretam, vel continuam. Ibi est vnitas: hîc finitas.

VII. Vnitas mundi est, quâ non sunt plures mundi, sed vnicus tantùm. Ille nempe, cuius Scriptura passim meminit. *Ioh.* 1. & 3. *Iob.* 28. *vers.* 24. *Act.* 27. *vers.* 24. Valeant itaque somnia illorum, qui mundos infinitos fabricarunt.

VIII. Finitas mundi est, quâ ille finitur & circumscribitur terminis essentiæ suæ, ita vt sit in loco & tempore. Mundum esse finitum sic patet. Solus creator est infinitus, & omnis creatura est finita. Deinde plura infinita esse non possunt. Denique mundus constat ex partibus finitis. Ex quibus efficitur mundum reuerâ & in se esse finitum, vtvt nobis videatur infinitus. Quod si stupenda hæc moles cum Deo conferatur, vix aliquam notabilem habebit magnitudinẽ. Sic enim terra cum cœlo collata instar puncti est, sanè mundus cum Deo comparatus erit aliquid puncto minus. Vide *Esa.* 40. *v.* 12. Porrò finitas mundi cernitur in loco & tempore. *Locus* est, vbi aliquid consistit, siue in quo est locatum: estque vniuersalis, vel particularis. Locus vniuersalis est, in quo hic mundus est à Deo collocatus, cùm ante in eo nihil esset. Locus particularis est, in quo collocatæ sunt res in mundo comprehensæ. Sic stellæ, herbæ, homines, & res similes habent locum suum particularem. Proprietates loci sunt, rem locatam conseruare, illamque magneticâ vi ad se trahere, & in sinu suo suauiter continere, vt ibi quiescat. Hinc est, quòd terra in suo loco manet, quòd stellæ in cœlo mouentur, quòd pisces extra aquam degere non possunt.

possunt. Porrò locus rei est vel apparens, vel verus. De loco terræ apparente, accipiendus est locus *Psal.* 104. *v.* 5. *Fundauit terram super bases eius, ne dimoueatur in seculum & perpetuum.*. Quænam amabo sunt istæ bases? Respondet *Psalmus* 24. *v.* 2. *Namq; ipse super maria fundauit eam, & super flumina stabiliuit illam*, hoc est, Deus ita statuit terram, vt depulsis in suos alueos maribus & fluentis, suprà extet, ita vt aquæ sint veluti statumina, quibus latera eius circumquaque fulciuntur. Et *Exod.* 20. *vers.* 4. disertè dicuntur aquæ esse sub terrâ. Aquæ itaque sunt locus terræ apparens. Locus verus est spatium illud, in quo terra cum aquis est à Deo collocata; quod quidem spatium philosophi appellant imaginarium, non quòd non sit ens reale, sed quòd imaginatione tantùm à nobis comprehendatur. *Tempus* est duratio, notabili momentorum successione constans: vnde Scaligero eleganter dicitur *nunc fluens*, sicut locus eidem dicitur *vbi continuatum*. De successione temporis & immobili statu æternitatis loquitur *Psalmus* 102. *v.* 27. 28.

IX. Affectiones mundi [illegible]ione qualitatis concernunt qualitatem internam, vel externam. Ibi sunt vita & plenitudo mundi. hîc figura & duratio eiusdem.

X. Vita mundi est virtus totî mundo rebusque omnibus à Deo in primâ creatione indita. Philosophis secretioribus dicitur anima & spiritus mundi. De hâc vitâ loquitur Scriptura *Gen.* 1. *vers.* 11. *Herbascat terra herbulas sementantes semen, arbores fructiferas edentes fructum in species suas.* Confer cum *vers.* 12. 20. 22. 23. & 28. *eiusdem capitis*. Insignis hanc in sententiam est locus *Nehem.* 9. *v.* 6. quem Vatablus rectè ita vertit. *Tu es â Iehoua solus, tu fecisti cœlum, cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terram & omnia quæ sunt in eâ: maria, & vniuersa quæ sunt in eis: viuificas quoque omnia hæc*, מְחַיֶּה אֶת כֻּלָּם, q. d. tu vitalem quandam facultatem omnibus à te creatis com-

tis communicas, largiendo videl. ſpiritum, qui omnia reddit vegeta. Et ſanè niſi vitâ ſiue virtute iſtâ vitali eſſent præditæ creaturæ, de illis non potuiſſet dici, quòd fuerint valde bonæ. *Gen.* 1. Neque enim bonum fuerit, quod omni vitali energiâ eſt deſtitutum. Rectè itaque Triſmegiſtus pronuntiat in Pœmandro: *Spiritu agitatur & gubernatur omnis in mundo ſpecies. Spiritus implet omnia.* Et ibidem: *Spiritu miniſtrantur omnia & vegetantur in mundo.* Huc reſpexit *Plato*, quando dixit totum mundum eſſe animatum. Et *Ariſtoteles* 2. *de generat. c.* 3. rectè obſeruat, ſpiritum quẽdám in ſemine omnium eſſe, qui proportionem habet cum elemento ſtellarum. Clariùs hoc ipſum indicat *Theophraſtus* 2. *de cauſis plant.* vbi omnia illa corpora, in quibus facultates ſunt, ἐμβια, h. e. vitalia appellat. Et *Galenus de methodo medendi* aſſerit vitam (latè acceptam) nihil aliud eſſe quàm vires ipſas, aut virium actiones. Quare cùm mundus totus ſit virtute præditus eximiâ, non video quo iure vita ipſi denegari poſſit. Hæc vita eſt quinta illa eſſentia, ſiue balſamus & mumia naturæ, in quâ præcipua cuiuſque rei vis continetur, quæque ex omnibus rebus corporeis certo quodam artificio elici poteſt. Ea verò neque eſt animæ vegetatiuæ, neque ſenſitiuæ portio, ſed ſuperioris cuiuſdam virtutis ζωϊκῆς καὶ ἐνεργητικῆς, quæ eſt ſpiritus & anima mundi communis, de quibus poëta Æneid. 6. ita canit;

Principiò cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus vitaque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo.

Et idem Georg. 4.

Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixêre. Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.

Hinc

Hinc pecudes armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed viua volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.

Quæ quidē sententia Virgilij, paucis castigatis, est prorsus physicis omninò admittenda. Sed videamus, quomodo se habeat vita, siue anima mundi tū in genere, tū in specie. Ac *in genere quidem vita mundi* tamdiu manet in re, quamdiu vis aliqua remanet. Sic plantæ à radice suâ auulsæ, amittunt vitam vegetantem: at nihilominus viuunt, quantum attinet ad vitam ἐνεργητικὴν, quâ fit vt in medicinâ vel culinâ suum habeant vsum. De mortuorum animalium membris idem est iudicium. Nam sales, olea, quintæ essentiæ &c. cranij humani, vngulæ alcis, cornu cerui &c. amissâ vitâ sensitiuâ retinent vitalem quandam facultatem aduersus epilepsiam, & similes morbos. *In specie vita mundi* cernitur in cœlo, elementis, & mixtis. *Vita in cœlo* est spiritus ille, quem stellæ in se habent, quemq; his rebus inferioribus impartiuntur. *Vita in elementis* est spiritus partim insitus, partim à cœlo influens. Ita spiritus ignis calefacit & purgat, aëris refocillat, terræ & aquæ nutrit. Huius spiritus effecta sunt calor, frigus, humiditas, siccitas, grauitas, leuitas, densitas, odor, sapor, sonus: sicut lux, color, sympathia & antipathia sunt effecta spiritus ætherij. *Vita* in mixtis est obscurior, vel euidentior. *Vita obscurior* est in mineralibus. Quò pertinent stupendæ virtutes terrarum sigillatarum, boli, nitri, aluminis, succini, spiritus vitrioli, auri in formam pulueris nitrarij redacti, &c. *Vita euidentior* est in plantis, bestiis & homine. In plantis est vita vegetatiua, quæ posita est in generatione, nutritione, auctione, attractione, retentione, concoctione, & expulsione. In bestiis est vita sensitiua, quæ consistit in sanguine, vt Scriptura testatur; cernitur in sensu & motu. Sensus est partim externus, vt visus, auditus, olfactus, gustus & tactus: partim internus, vt sensus

communis, phantasia, & memoria. Motus est respiratio, pulsus, appetitus sensitiuus (isque partim cupiditas, partim affectus) locomotiua, vigilia, & somnus. In homine est vita intellectiua, eaque tum intellectus agentis & patientis, tum voluntatis, idque vel in hâc vitâ, vel post hanc vitam. Atque hic est locus communis physicus de vitâ, amplissimus quidem ille & vtilissimus. Huc refer quæ passim in Scripturis occurrunt de coloribus, odoribus, calore, frigore, saporibus, fame, siti, visu, auditu, gustu &c.

XI. Plenitudo mundi est, quâ nullum in mũdo est vacuum. Mundus enim est corpus continuum & contiguum, spiritu aëreo & cœlesti, omnia replente & fouente, plenum. Hinc pendet connexio omnium corporum adeò firma & indissolubilis, vt vacuum à nullo mortalium vel angelorum in hanc mundanam scenam introduci possit. Confer *Hos.* 2. *v.* 21. 22.

XII. Figura mundi est circularis. Hæc siquidem figura est pulcherrima & perfectissima, in præcipuis mundi corporibus à Deo expressa. Quod autem ex *Apoc.* 21. adfertur de quadraturâ cœlestis Hierosolymæ, id est mysticum.

XIII. Duratio mundi est spatium illud temporis inde à primo mundi exordio vsque ad ipsius exitum ac finem. Hoc ex traditione Eliæ definitur sex millibus annorum. Sed nos infrà in Chronologiâ demonstrauimus ex *Dan.* 12. *& Apoc.* 20. longiùs esse extendendum hoc spatium, vt sit annorum 6642. Quæris quomodo sit periturus mundus? Resp. ex 2. *Petr.* 2. *v.* 12. 13. cœli conflagrantes soluentur, & elementa æstuantia liquescent, igne scil. calcinationis miraculosæ, quæ longo interuallo superabit calcinationem corporum artificialem, quâ illa rediguntur in cinerem, & ex cinere fit corpus glorioſum.

X. *ARITH-*

X.

ARITHMETICA SACRA.

I. ARithmetica ſacra eſt ſcientia bene numerandi ex S. literis ſumta. De hâc Auguſtinus rectè pronuntiat: *Ratio numeri contemnenda non eſt, quæ in multis ſanctarum Scripturarum locis quàm magni æſtimãda ſit, elucet diligenter intuentibus. Nec fruſtrà in laudibus Dei dictum eſt, Omnia in menſurâ, numero, & pondere diſpoſuiſti.* Item: *Nemo aſpirare debet ad cognitionem diuinarum artium ac diſciplinarum ſine illâ quaſi duplici ſcientiâ, bonæ diſputationis, potentiæque numerorum.* Et Hieronymus ait, *magnam vim in numeris ineſſe, ad plurima myſteria in S. Scripturis intelligenda.* Huc accedit, quòd intellectus ordinis & numerorum perſpicuè teſtatur de prouidentiâ Dei.

II. Partes eius duæ ſunt: prima, de numeris abſtractis, altera de concretis.

III. Numeri abſtracti ſunt, qui in genere cõſiderantur. *Conſideratio iſta generalis* eſt numeri ſimplicis, vel comparati. Illa abſoluitur notatione, & numeratione: iſta progreſſione, proportione, & radicum extractione. *Notatio* docet numerum rectè cognoſcere & exprimere. *Numeratio* docet è duobus datis numeris tertiũ legitimè inuenire: eſtque integrorum, vel partium. *Numeratio integrorum* eſt ſimplex, in additione & ſubductione: vel multiplex, in multiplicatione, & diuiſione. *Numeratio partium* cernitur in his quatuor: videl. in prolatione fractionum, valore & reductione illarum, denique in quatuor ſpeciebus, putà fractionum additione, ſubductione, multiplicatione, & diuiſione. Exempla notationis & vtriuſque numerationis peti poſſunt ex chronologiâ ſacrâ. e.g. ex *Gen.* 5. & 11. *Exod.* 12. *verſ.* 40. item ex *Num.* 1. 1. *Reg.* 4. 5. 6. 7. *Apoc.* 7. &c. *Progreſſio* eſt arithmeti-

ca, vel geometrica. *Proportio* cernitur in regulâ aureâ directâ & obliquâ. *Extractio radicis* est quadrata, vel cubica. Harum operationum exempla non sunt obuia in sacris.

IV. Numeri concreti sunt, qui rebus certis applicantur. Applicantur, inquam, rebus diuinis, physicis, mathematicis, ethicis, politicis, œconomicis. Nos monstrabimus, quomodo in Scripturâ sacrâ applicentur rebus sacris, itemque nummis, quorum fit mentio in V. & N. T.

V. Numeri sic applicantur rebus sacris. *Principio vnitas* est symbolum diuinæ perfectionis. Vnus enim est Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis, vt ait apostolus *Eph.4. vers.6.* Hinc piè dicunt, nihil vno esse prius, & ipsum esse rerum omnium principium: item, vsque ad vnum omnia, & vltra vnum nihil: item, Quemadmodum vnitas omnem numerum simplicissimè penetrat, & semper est eadem, principium & finis numerorum, supra numerum & infra ipsum, intra numerum & extra ipsum: ita Deus omnia penetrat, est omniũ principium & finis, supra & infra, extra & intra omnia subsistens, à quo, ex quo, per quem, in quo, ad quem, & propter quem sunt omnia. Est etiam vna fides, vnum baptisma, & vnus mediator Iesus Christus, vt ait apostolus d.l. *Deinde binarius* figurat coniugium, duas tabulas legis, duos cherubim, duas naturas in Christo, duo testamenta & sacramenta &c. *Ternarius* in memoriam nobis reuocat tres personas sacrosanctæ Trinitatis: *quaternarius*, quatuor animalia Ezechielis, Danielis, & Iohannis in apocalypsi, quatuor monarchias Danielis, quatuor euangelistas &c. *quinarius*, quinque panes, quibus Christus pauit aliquot millia hominum &c. *senarius*, sex dies creationis, quibus operari debemus &c. *septenarius*, septimum diem, qui est sabbati, septimum annum sabbatarium, septem spiritus, ecclesias, stellas, candelabra, sigilla, phialas, tubas, & similia in

apoca-

apocalypſi: *octonarius*, octauum diem circumciſionis, octo beatitudines, octo animas ſeruatas in arcâ &c. *nouenarius*, nouem ingratos à Chriſto mundatos &c. *denarius*, decem præcepta legis &c. *vndenarius*, vndecim ſaga cilicina in tabernaculo, vndecim apoſtolos perſeuerantes &c. *duodenarius*, duodecim tribus Iſraëlis, duodecim gemmas in Exodo & Apocalypſi, duodecim apoſtolos, duodecim portas nouæ Hieroſolymæ &c. atque ita pergendo ad alios numeros, qui occurrunt in Scripturis, & colligi poſſunt partim ex Patribus, partim ex Concordantijs Bibliorum. Sed, inquis, hæc ſunt affinia ſuperſtitioni. Ita ſanè videtur ignaris & ignauis ingeniis, quæ non mittunt mentem ad profundiora meditationum myſteria, quibus nihil planè commercij eſt cum ſuperſtitioſitate. Sed vno atque altero exemplo planam faciamus praxin huius arithmologiæ. *Vnitas* eſt radix omnis numeri, quæ in ſe ducta nihil producit aliud quàm ſeipſam, quæque omnem numerum metitur, & certam habet proportionem ad omnes numeros &c. Quæ omnia ſi quis perpendat, deprehendet res illas, quæ maximam cum vnitate conuenientiam habent, eſſe perfectiores, diuturniores, digniores. *Duo*, quatenus duo, nihil efficiunt in arithmeticâ. Oportet vt ritè coniungantur. Ita in regno naturæ & gratiæ niſi duo conueniant in vno tertio, inter ſe non conueniunt, neque aliquid efficere poſſunt. At verò ſi rectè coniungantur, plurimùm poſſunt & proſunt. *Ternarius* in figuris & harmonijs eſt princeps & ſyſtaticus: *quaternarius* eſt primus numerus quadratus &c. Hinc patet numerum quemque habere aliquid peculiare in ſe. Non itaque caſu fortuito factum eſſe arbitrari debemus, quòd Deus hos vel illos numeros his vel illis rebus attribuerit: vt quòd voluit ſeptem dies metiri ſeculum, quòd quatuor creauit elementa &c. Huc refer, quòd arbores in quincuncem poſitæ feliciùs creſcunt. Atque hæc eſt prima vtilitas huius noſtræ arithmologiæ. Deinde collatio inter numeros ſimiles inſtituta præclaras ſuggerit meditationes. e.g.

duo-

duodecim gemmæ collatæ cum duodecim tribubus & apoſtolis, anni 365. vitæ Enochi cum 365. diebus anni ſolaris, decem præcepta decalogi cum decem digitis manuum &c. Tertiò arithmologia iſta iuuat memoriam: vt ſi dicas ex Prouerbiis Salomonis, ſex eſſe, quæ odio proſequitur Dominus, ſeptimum autem abominari; quatuor eſſe minima in terrâ, à quibus tamen omnes ſapientes ſapientiâ ſuperentur: ſi ex Siracho, tria ſpecioſa videri in oculis Dei & hominum, tria eſſe omnibus odioſa & moleſta, &c.

VI. Nummi, quorum mentio fit in ſacris, ita ſe habent. 1. λεπτὸν, dimidius obolus Germanorum. *Marc.* 12. *v.* 42. 2. Κοδράντης, obolus Germanorum. *Matt.* 5. *v.* 26. 3. Ἀσσάριον, duo oboli Germanorum. *Matt.* 10. *v.* 29. 4. *Gerah*, albus Germanorum, octo obolorum. *Exod.* 30. *v.* 13. *Leuit.* 27. *v.* 25. 5. *Agorah*, eiuſdem cum præcedente valoris. 1. *Sam.* 2. *v.* 36. 6. *Keſchitah*, eiuſdem cum duobus præcedentibus valoris. *Gen.* 33. *v.* 19. 7. *Zur*, ſiue *Zuz*, eſt denarius. Denarius autem eſt octaua pars thaleri imperialis, pendens tantum argenti, quantum pendit ducatus Vngaricus, ein Quintlein / quæ eſt quarta pars lothonis, vti vocant. Monetâ noſtrate ſunt quinque albi, ſeu 10. crucigeri. De *Zur* vide *Tob.* 5. *v.* 21. de denario *Iohan.* 6. *v.* 7. 8. *Adarcon*, ſiue *darcemon* erat eiuſdē cū præcedenti valoris in argēto: in auro erat ducatus. Eſt drachma Græcorū. Vide 1. *Paral.* 29. *v.* 7. *Neh.* 7. *v.* 70. 9. *Siclus* erat integer, & diuiſus in partes. *Siclus integer* erat Hebraicus, vel gentilis. *Siclus Hebraicus* fuit argenteus, iſque tum *ſacer*, æſtimatus ſemiſſe thaleri imperialis: tum *vulgaris*, quartâ parte thaleri æſtimatus. *Leuit.* 27. *v.* 3. 4. 5. 6. 7. *Gen.* 20. *v.* 16. *Siclus gentilis* erat Ægyptius, 16. obolorum Atticorum, & Perſicus, dimidio minor Ægyptio. *Partes ſicli* erant ſemiſſis, triens, & quadrans: quæ variant in ſiclo ſacro & vulgari. 10. *Maneh*, ſiue *minah*, *ſanctuarij*, in argento æſtimabatur 25. thaleris imperialibus, in auro 200. ducatis. 1. *Reg.* 10. *v.* 17. *vulgaris* ſeu regia, thaler. $15\frac{1}{2}$. 11. *Kikar*, ſcil. nummarium,

marium, erat maxima mensura in nummis, & respondebat talento. *Kikar sanctuarij* æstimabatur in auro 12000. ducatis, in argento 1500. thaleris *Exod.* 39. *v.* 24. *Esdr.* 8. *v.* 26. *commune*, in auro 6000. ducatis, in argento 750. thal. imp. § 1. *Reg.* 16. *vers.* 26. 2. *Chron.* 3. *v.* 8.

XI.

GEOMETRIA SACRA.

I. GEometria sacra est scientia bene metiendi ex S. literis sumta. Propriè *Geometria* est terræ dimensio. Sed per synecdochen est dimensio cuiusque corporis.

II. Geometriæ partes duæ sunt. prima de magnitudine, secunda de mensurâ magnitudinis.

III. Magnitudo est longitudo, latitudo vel altitudo. Vulgo appellatur *trina dimensio*: à quâ multæ metaphoræ geometricæ in sacris literis sumuntur: ita vt hîc locum habeat illud Platonis, θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν. Hoc, inquam, verum est in scholâ naturæ & gratiæ. Et primò quidem in scholâ naturæ, hoc est, in opificio huius mundi, Deus omnia ordinauit in mensurâ, numero, & pondere *Sap.* 11. *v.* 21. Verba Græca eleganter sonant: πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας. Deus sanè omnis generis figuras, pondera & proportiones in totâ naturâ nobis expressit, vt nihil sit in geometricis, quod non possit mõstrari in naturâ. Ille quoq; mensus est pugillo suo aquas, & cœlos spithamâ expandit, & complexus est trientali puluerem terræ, & ponderauit statera montes, & colles lancibus. *Esa.* 40. *v.* 12. Deinde in scholâ gratiæ, siue in ecclesiâ, profundæ admodum sunt diuitiæ tum sapientiæ, tum cognitionis Dei. *Rom.* 11. *v.* 33. & Deus distribuit cuilibet suam mensuram. 2. *Cor.* 10. *vers.* 13. videlicet pro

mensu-

mensurâ Christi *Eph.4.v.7*. Nostri quoque officij est, huic sacræ geometriæ operam dare, vt valeamus assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas. *Eph.3.v.18.* vbi apostolus profunditati addit altitudinem, quia distinguuntur ἥζει siue ratione. Porrò trinæ istius dimensionis exempla passim obuia sunt in Scripturis, vt in arcâ Noe, tabernaculo Mosis, templo Salomonis & Ezechielis, cœlesti Hierosolymâ Iohannis &c. de quibus vide infra in Architectonicâ.

IV. Longitudo est magnitudo vnius interualli. Vsitatè dicitur linea, quæ est magnitudo omnium prima, & simplicissima. Latitudo est magnitudo composita: profunditas siue altitudo, decomposita. Exempla longitudinis vide *Gen. 6. vers.15. cap.13. v.17. Exod.25.26.27.28.30.36.37.38. Deut.2. vers.21. c.3. vers.11. 1. Reg.6.2. 1 Chron.3. Ezech.40.41.42.43.45.48. Zach.2.v.2.c.5.v.2. Apoc.21.* Cæterùm linea consideratur absolutè, vel comparatè. *Linea absolutè* est recta, vel obliqua, & hæc est peripheria, vel helix: *compa atè*, est parallela, vel perpendicularis, vel neutra, id est, neque parallela neque perpendicularis. Huiusmodi lineas videre est in manibus & herbis.

V. Latitudo est magnitudo duorum interuallorum. Componitur itaque ex lineis. Latitudo est angulus, vel superficies. *Angulus*, inquam, planus. Nam datur etiam angulus solidus in corporibus. Exempla vide *Exod.25.26.27.36.37.38. 1. Reg.6.& 7. Nehem.3. Ezech.41.43.45.46.* Vide etiam de lapide angulari Christo *Psal.118. v.22. Matth.21.v.42. Marc.12.v.10. Luc.20. vers.17. Act.4.v.11. 1. Petr.2.v.7.* Angulus est rectus, acutus, vel obtusus. Ille facit ad stabilitatem, iste ad morum penetrantem, hic participat de recto & acuto. Typos angulorum varios videre licet in auibus volantibus, in animalium corporibus, & nominatim in hominis brachiis eleuatis & contractis,

tractis, item in pedibus diuaricatis: denique in literis Hebraicis. *Superficies* est area lineis circumcirca comprehensa. Exempla huius latitudinis vide locis paulò antè citatis ad longitudinem. Porrò superficies est plana, vel gibba: & plana est rectilinea, vel curuilinea. Illa est triangulum, vel triangulatum. *Triangulum* est superficies à tribus lineis comprehensa. Huius prærogatiua est longè maxima: quia omnes aliæ figuræ in hanc resolui possunt. Typos varios huius figuræ videre est in manibus & foliis herbarum atque arborum. *Triangulatum* est, quod è triangulis componitur. Estque quadrangulum, vel multangulum. *Quadrangulum* est quadratum, oblongum seu ἑτερόμηκες, rhombus, rhomboides, & trapezium. *Multangulum* est pentagonum, hexagonum, heptagonum &c. Ex his *quadratum* inprimis celebratur ob firmitatem & æqualitatem. Tale est sanctum sanctorum *1. Reg. 6. v. 20.* item cœlestis Hierosolyma *Apoc. 21.* Quadrato proximum est *oblongum*: quâ figurâ fuit præditum tabernaculum, itemque templum. Confer cum Architectonicâ. Talem quoque figuram exprimit *Marcus cap. 6. vers. 40.* vbi ait ἀνέπεσον δὴ πρασιαὶ πρασιαὶ ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα, *Discubuerunt ergo per areolas distributi in centenos & quinquagenos*, tali fermè proportione.

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Hîc decem puncta disposita sunt in longitudinem, quinque verò in latitudinem. Eadem autem est proportio centum ad quinquaginta, quæ est decem ad quinque: videlicet dupla, vt sunt verba *Iohan. Piscatoris super Iohan. 6. ver. 10.* *Superficies curuilinea* est circulus, vel circuliformis, vt oualis, conchalis &c. *Superficies gibba* cernitur in sphærâ, co-

râ, cono, & cylindro. Harum figurarum typos vide passim apud interpretes sacrarum literarum in schematibus tabernaculi, templi, & rerum in vtroque contentarum.

VI. Altitudo est magnitudo trium interuallorum. Componitur itaque ex lineis & superficiebus. Estque angulus, vel corpus. *Angulus*, inquam, solidus, qui dicitur hedra. Huiusmodi anguli conspicui erant in exedris atriorum templi. 1. *Paralip.* 8. *Corpus* est planum, vel gibbum. *Planum* est pyramis, vel pyramidatum: & hoc est pentaëdrum, hexaëdrum, vel polyëdrum. Inter hexaëdra excellit cubus. *Gibbum* est sphæra, conus, vel cylindrus. Exempla harum figurarum vide *Gen.6.v.15. Exod.25. 27.30.37.38.1.Reg.6.2.Chron.3.Ezech.40.& 41. Apoc.21.v.16.* item in sole, lunâ, corde & reliquis membris animalium, denique in fossilibus, quæ varias referunt figuras, ita vt de illis iure merito vsurpetur versus

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

VII. Mensuræ, quibus exploratur magnitudo, sunt longitudinis, latitudinis, vel profunditatis.

VIII. Mensuræ longitudinis sunt, quibus exploratur lineæ magnitudo. Dicuntur aliâs *mensura continuorum.* Tales in sacris literis sunt, 1. *Palmus*, mensura quatuor digitorum. *Exod.* 28. *v.* 24. *&* 37. *v.* 13. 2. *Spithama*, mensura trium palmorum, seu duodecim digitorum. *Exod.* 28. *v.* 16. 1. *Sam.* 17. *v.* 4. *Ezech.* 43. *v.* 13. 3. *Cubitus*; isque vulgaris, geometricus, & sacer. *Cubitus vulgaris*, seu communis, item paruus, est sesquipedalis, seu 24. digitorum, ita vt huius cubiti mensura sit manus virilis, illa quæ ab extremo flexi brachij angulo ad medij digiti summitatem protenditur, non quidem in brachio pueri, sed hominis perfectæ ætatis, putà triginta circiter annorum: non etiam gigantis, sed staturæ quadratæ, hoc est, per omnia proportionatæ, cuiusmodi putatur fuisse Adam, quando à Deo est creatus, & Iesus Christus, quando est

do est crucifixus. Hic cubitus complectitur quartam circiter partem viri illius, cuius est. Dicitur etiam cubitus ciuilis, & architectorum. *Cubitus geometricus* complectitur sex cubitos vulgares. *Cubitus sacer*, siue legalis & ecclesiasticus, item sanctuarii, veritatis, & ædificij, i. e. templi: hic, inquam, cubitus erat duplo maior quàm vulgaris. Quidam tamen existimant, cubitum vulgarē fuisse 5. palmorum, sacrum 6. De cubito vulgari vide *Gen.* 7. *vers.* 20. *Num.* 11. *v.* 31. 1. *Reg.* 7. de sacro *Exod.* 25. 26. 27. 30. 1. *Reg.* 6. & 7. & 2. *Chron.* 3. *v.* 3. vbi appellatur mensura princeps. 4. *Arundo*, siue pertica & virga mensoria, longa sex cubitos sacros. *Ezech.* 40. *v.* 3. *Apoc.* 11. *v.* 21. & 21. *v.* 15. 5. *Funiculus*, arbitrarię longitudinis, & apud varios varię. *Ios.* 17. 2. *Sam.* 8. *Amos.* 7. *v.* 17. 6. *Stadium*, passuum 125. siue pedum 625. ita vt octo stadia complectantur vnum milliare Italicum. *Luc.* 24. *vers.* 13. *Apoc.* 14. & 21. 7. *Milliare*, mille passuum populi cuiusuis. Hebraicum ig. milliare Hebraicos, Chaldaicum Chaldaicos continebat passus. *Matth.* 5. *vers.* 41. 7. *Iter sabbati*, σαββατεῖον, milliari maiori Hebræorum. *Act.* 1. *vers.* 12. 8. *Iugerum*, dimidia pars milliaris 1. *Sam.* 14. *v.* 15.

IX. Mensuræ latitudinis sunt, quibus exploratur magnitudo superficiei, siue area figuræ. Hîc adhibentur mensuræ longitudinis, ita vt vnaquæq; bis sumatur, semel in longitudinem, & semel in latitudinem. *Ezech.* 48. *v.* 13. *& seqq.*

X. Mensuræ profunditatis sunt, quibus exploratur capacitas rei: vnde mensuræ istæ dicuntur capaces. Suntque aridorum, vel liquidorum. *Mensuræ* aridorum in sacris sunt, 1. *Kabus*, mensura minima, 24. ouorum gallinaceorum. 2. *Reg.* 6. *v.* 25. 2. *Gomer*, siue Homer, decima pars Ephæ, siue Ouorum 43. & quintæ partis oui. *Exod.* 16. *v.* 37. 3. *Seah*, siue Satum, tertia pars Ephæ, siue ouorum 144. *Gen.* 18. *v.* 6. *Matth.* 13. *v.* 33. 4. *Epha*, seu Ephi, trium satorum, seu 18. caborum.

Iudic. 6. v. 19. Ruth. 2. 17. Hæc fuit communissima & notissima Hebræorum mensura, & quasi reliquarum mensurarum mensura, quæ tantum capiebat in aridis, quantum in liquidis bathus. 5. *Letech*, siue Semicorus, 5. epharum. *Hos. 3. v. 2.* 6. *Corus*, siue Chomer, amplissima aridorum mensura, 10. epharum. 1. *Reg. 4. vers. 22. cap. 5. ver. 11.* 2. *Chron. 27. v. 5. Luc. 16. v. 7.* Sequuntur *mensuræ liquidorum* in sacris, hoc ordine. 1. *Logus*, mensura minima, erat vigesima quarta pars sati, seu duodecima hinis. *Leuit. 14. 2. Hin*, sexta pars bathi, capiens 12. logos. *Exod. 29. v. 40. c. 30. v. 24. Leuit. 19. v. 36.* 3. *Bathus*, mensura amplissima, eiusdem capacitatis in liquidis, cuius erat epha in aridis. Fuit 72. logorum, seu dimidiæ ohmæ nostratis. 1. *Reg. 7. v. 26. 2. Paral. 4. v. 5.* Bathus præcisè capiebat amphoram, siue metretam, seu cadum. Hinc colligere est, quantum ceperint sex hydriæ seu aquales *Iohan. 2. v. 6.* nimirum singulæ binas aut ternas amphoras id est bathos totidem, qui efficiunt ohmas nostrates sex. Cæterùm *pondera* etiam seruiunt explorandæ magnitudini corporũ siue solidorum. In sacris celebrantur ista. 1. *Siclus*; qui erat sacer, regius & communis. Sacer in auro ponderabat aureos Vngaricos quatuor. *Num. 7. v. 50.* communis, duos *Gen. 24. v. 22.* sacer in argento ponderabat dimidium Imperialem thalerum, *Num. 7. v. 13.* communis quadrantem. 2. *Sam. 14. vers. 27.* sacer in ære & ferro semunciam, communis didrachmum. 1. *Sam. 17. v. 57. 2. Sam. 21. v. 16.* Ad siclum regium quod attinet, ille ponderabat tres drachmas, drey Quintlein. 2. *Maneh vulgaris*, ponderabat 15. thaleros imperiales; *regia* totidem; *sanctuarij*, 30. imperiales. 1. *Reg. 10. v. 17. 2. Paral. 9. v. 16. Neh. 7. v. 71. 72.* *Ezech. 45. v. 12.* 3. *Kikar vulgare minus*, ponderabat 750. Imperiales: *maius*, 1250. *regium*, 1125. *sanctuarij*, 1500. Imperiales. 1. *Reg. 16. vers. 26. Exod. 38. v. 25. 1. Reg. 9. v. 14. Exod. 39. vers. 24.* Intellige hîc Kikar ponderale, non nummarium.

COS-

XII.

COSMOGRAPHIA.

I. COsmographia ſacra eſt ſphæræ mundi ſcientia ex S. literis illuſtrata.

II. Sphæra mundi eſt ſyſtema conſtans ex cœlo & terrâ. Hîc itaque traduntur ea, quæ communiter conueniunt globo cœleſti & terreſtri.

III. In Sphærâ mundi conſiderantur cardines & circuli. De cardinibus aliquid inuenitur in Scripturâ ſacrâ: circuli ſunt hypotheſes artificum.

IV. Cardines mundi ſunt quatuor: videlicet oriens & occidens, ſeptentrio & meridies. *Gen.* 13. *verſ.* 14. *Pſal.* 107. *verſ.* 3. *Oriens* eſt veluti porta, per quam ſtellæ ingrediuntur in horizontem: occidens, per quem diſcedũt ex horizonte: *Septentrio* eſt cardo, in quo locũ habet polus ſuperior: *meridies*, in quo inferior. In Scripturâ vocãtur quatuor anguli terræ. *Apoc.* 7. *v.* 1. *c.* 20. *v.* 8. Crebrò fit illorum mentio: vt orientis ſiue ortus *Gen.* 11. *v.* 2. *c.* 12. *v.* 8. *Exod.* 27. *v.* 13. *Ioſ.* 16. 17. 18. *Ezech.* 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. *Matth.* 2. *v.* 1. 2. 9. *Luc.* 13. *v.* 29. *Apoc.* 21. *v.* 13. occidentis ſiue occaſus *Gen.* 12. *v.* 8. *c.* 13. *v.* 14. *Exod.* 27. *v.* 12. *Ioſ.* 11. *v.* 3. *Ezech.* 46. *&* 48. *Zach.* 14. *verſ.* 4. *Matth.* 24. *v.* 27. *Luc.* 13. *v.* 29. ſeptentrionis *Gen.* 28. *v.* 14. *Iudic.* 21. *verſ.* 19. *Ezech.* 47. *&* 48. meridiei *Gen.* 12. *verſ.* 9. *Exod.* 27. *v.* 9. *Deut.* 1. *v.* 7. *Ezech.* 47. *&* 48. In quibuſdam locis iam citatis coniunguntur duo vel plures cardines. Cæterùm iuxta hos cardines numeratur longitudo & latitudo mundi: quæ duo coniunguntur *Gen.* 13. *v.* 17. *Longitudo mundi* numeratur ab oriente verſus occidentem, vel contrà: *latitudo*, à ſeptentrione verſus meridiem, vel viciſſim.

V. Circuli, quos oportet in Sphærâ mundi, hoc est, tum in cœlo, tum in terrâ imaginari, sunt numero octo. Ex his sunt quatuor maiores, qui mundum diuidunt in duas partes æquales; vt horizon, meridianus, æquator, & Zodiacus: & totidem minores, qui mundum diuidunt in duas partes inæquales; vt tropicus cancri & capricorni, polaris arcticus & antarcticus. Quod attinet ad duos coluros, vnum solstitiorum, alterum æquinoctiorum, illi locum duntaxat habent in cœlo. Ex his circulis *horizon* visibilem cœli & terræ partem ab inuisibili dirimit: *meridianus* inter ortum & occasum est medius, ita vt respondeat puncto verticali: *æquator* inter duos mundi polos, siue inter septentrionem & meridiem, est medius: *Zodiacus* obliquè secat æquatorem, duosque tropicos attingit: *tropicus cantri* in superiori, *capricorni*, in inferiori parte Zodiacum contingit: *polaris arcticus* circuit polum superiorem, *antarcticus*, inferiorem. Hos circulos oportet partim mente concipere, partim delineare. Mente concipiendi sunt partim in cœlo & in terrâ, partim in museo, partim in compasso, partim denique in solario. Delineandi sunt in globo cœlesti & terrestri, in Sphærâ pertusâ siue armillari, in mappis siue tabulis geographicis tum vniuersalibus, tum particularibus; denique in compasso & solario maioribus.

XIII.

SPHAERICA SACRA.

I. VRanoscopia sacra complectitur duas solùm partes: videlicet Sphæricam, & Cõputum. Nihil enim ex sacris potest colligi, quod illustret Theoriam planetarum, & Astrologiam, quæ sunt duæ reliquæ partes Vranoscopiæ.

II. Sphæ-

II. Sphærica ſacra explicat dimenſionem cœli & ſtellarum fermè ex S. literis. Duæ itaque ſunt illius partes. Appellatur etiam hæc Aſtronomiæ pars *Sphæra cœleſtis.*

III. Dimenſio cœli eſt exploratio longitudinis, latitudinis, & altitudinis. Omne ſiquidem corpus habet tres iſtas dimenſiones. Intelligitur autem hoc loco cœlum ſtelliferum. Memineris hîc per longitudinem intelligi peripheriam, per latitudinem, ſuperficiem. Aliâs longitudo eſt linea ab ortu verſus occaſum ducta, vel contra: & latitudo, linea ducta à ſeptentrione verſus meridiem, vel contrá.

IV. Longitudo cœli ſtelliferi, ſiue firmamenti eſt ſemidiametrorum terræ 88000. id eſt, milliarium Germ. 75680000. Quilibet circulus apud mathematicos eſt graduum 360. Prout autem circulus eſt maior vel minor, ita etiam gradus ſunt maiores & minores. Vni gradui cœleſti reſpondent 15. milliaria Germ. in globo terreſtri. At in cœlo vnus gradus habet longè plura milliaria, prout circulus in corpore cœleſti attollitur, vel deprimitur. Sic in firmamẽto circulus magnus extẽditur ſemidiametris terrę 88000. ſeu milliarib. 75680000. vt iam diximus. At circulus diurnus ſolis eſt milliarium Germanicorum 6540914. Nimirum quia ſol eſt inferiori loco quàm firmamentum, circulus eius etiam eſt minor. Franciſcus Maurolicus exiſtimat, quantitatem cœli æquare milliaria Germanica vicies quinquagies quater millena, nouies mille centum & ſexaginta. Cæterùm *longitudinem cœli* metimur per æquatorem, Zodiacum, meridianum, coluros, horizontem, tropicos & polares: quorum circulorum ſitus & officia in globo cœleſti ſunt manifeſta. Quod ſi longitudo & latitudo ſumantur more vulgari, ex circulis hiſce meridianus & coluri ſeruiunt latitudini, reliqui, longitudini.

V. Latitudo cœli eſt area ipſius. Hæc eſt, ſuper-

ficies: eaque tum plana, tum conuexa. Superficies plana est area perimetro inclusa, milliarium Germanic. 38828570000000000. Superficies conuexa est milliariũ 155314280000000000. Illa resultat ex multiplicatione semissis circuli maximi in semissem diametri eiusdem circuli: hæc ex multiplicatione superficiei planæ per 4.

VI. Altitudo cœli est primò ipsius distantia à terrâ, deinde eiusdem capacitas. Altitudo iuxta Tychonem est milliarium Germ. 12040000. siue semidiametrorum terræ 14000. Eant nunc Epicurei, & negent esse Deum. Capacitas cœli inde à terrâ est mill. Germ. 3109391885600000000000.

VII. Dimensio stellarum potissimùm spectatur in altitudine & motu ipsarum. Sunt autem stellæ ordinariæ, vel extraordinariæ.

VIII. Stellæ ordinariæ sunt luminaria quarto creationis die à Deo collocata in expanso, ad distinctionem faciendum inter diem & noctem, vt sint in signa cùm tempestatibus, tum diebus, & annis, & adferant lucem super terram. Hæc definitio totidem verbis desumta est ex *Gen.* 1. *v.* 14. 15.

IX. Luminaria ista sunt magna, vel parua. Hæc distributio sumta est ex *Gen.* 1. *v.* 16.

X. Luminaria magna sunt duo, sol & luna. *Sol* est luminare maius, conditum ad præfecturam diei: *luna* est luminare minus, conditum ad præfecturam noctis. *Gen.* 1. *v.* 16. Vtrumque quidem est magnum respectu reliquarum stellarum: sed luna comparata cum sole est luminare minus. At ais, multæ stellæ sunt multò maiores sole & lunâ. Cur itaque Scriptura solem & lunam appellat luminaria magna. Resp. Intellige hîc magnitudinem, non molis, sed virtutis, siue luminis. Cæterùm *sol* est maior terrâ centies sexagies sexies, vel septies: quando est altissimus, distat à terrâ iuxta Tychonem milliaribus Germanic.

manic. 1016520. iuxta alios, decies centies mille octingenti sexaginta octo: mouetur singulis horis, milliaribus 272538. ortu & occasu suo efficit diem & noctem: obliquo incessu efficit vicissitudinem sementis & messis, frigoris & æstus, æstatis & hyemis. Vide *Psal.* 19. *v.* 6. 7. *Eccles.* 1. *v.* 5. 6. *Gen.* 8. *v. vlt. Luna* est minor terrâ tricies nouies: distat à terrâ 44916. seu numero rotundo 50000. quinquaginta millibus milliarium Germanicorum: obliquo suo incessu efficit mensem lunarem. *Psal.* 104. *v.* 19. Soli & lunæ accidit eclipsis: eaque tum naturalis, tum supernaturalis. Eclipsis solis naturalis fit in coniunctione luminarium; lunæ, in oppositione diametrali eorundem. Supernaturalis fit extra duos istos casus: qualis fuit eclipsis solis tempore passionis Christi. *Luc.* 23. *v.* 45.

XI. Luminaria parua sunt omnes stellæ ordinariè lucentes præter solem & lunam. Hæ per synecdochen appellantur stellæ *Gen.* 1. *v.* 16. vbi Deus dicitur fecisse solem, lunam, & stellas. Sic quoque alibi, vt *Gen.* 37. *v.* 9. *Psal.* 8. *v.* 4. & 136. *v.* 9. & 148. *v.* 3. *Eccles.* 12. *v.* 2. De stellis istis Iob ita philosophatur *cap.* 9. *vers.* 9. *Qui facit Arcturum, Orionem, ac Pleiadas, ac penetralia Austri.* Et Deus eandem istarum stellarum tetrachotomiam tradit licet alio ordine *Iob.* 38. *v.* 31. 32. his verbis: *An constringes delicias pleiadum? aut lora Orionis dissolues? Educes ne remotiora signa, quodque tempore suo? aut Arcturum cum filiis suis duces?* Horum verborum sensus genuinus hic est. *Pleiades*, siue Vergiliæ, vnà cum vere oriuntur, adeoque suas delicias tum proferunt; & durant vsque ad autumnum. *Orion* totis noctibus mense Decembri conspicitur, & deinceps vsq; ad ortum Vergiliarum in nostro hemisphærio versatur, & suo ortu tanq̃ loro constringit aërem frigore. *Remotiora signa*, siue, *penetralia Austri*, sunt sidera meridionalia, à nostro aspectu remota. Hæc designant nobis æstatem, duce Caniculâ. *Arcturus* cum suis filiis, id est, stellis, oritur initio septembris, vndecim ante æquinoctium die-

bus. Ex his sequentia obseruamus ἀκροάματα. 1. In verbis Iob indicatur initium anni ciuilis, eiusque decursus. Ille siquidem ab autumno incipit. At in verbis Dei indicatur initium anni sacri siue ecclesiastici: vtpote qui à vere incipit. 2. Effecta stellarum sunt præbere delicias, vel aduehere frigus, tempestates & imbres: item discernere quatuor partes anni, ver, æstatem, autumnum, & hyemem. 3. Stellæ vel sunt nobis euidenter conspicuæ, vel à nobis remotiores. Illæ sunt septentrionales, hæ meridionales, quæ eleganter dicuntur cameris siue penetralibus Austri inclusæ, nostri scil. respectu. 4. Omnes stellæ ad quatuor hæc capita, tanquam familias, reuocari possunt: videl. ad naturam Arcturi, Pleiadum, Orionis, & Caniculæ. 5. Arcturus designat stellas cis Zodiacum; Pleiades, in Zodiaco; Orion & Canicula, vltra Zodiacum.

XII. Stellæ extraordinariæ sunt, quæ singulari Dei prouidentiâ ad tempus lucent. Talis fuit stella ista *Matth. 2. v. 2.* vbi magi dicunt, *Vidimus enim eius stellam in oriente:* vbi noua illa stella dicitur stella Christi, hoc est, signum natiuitatis Christi, veri illius Phosphori animarum nostrarum. In harum stellarum numerum etiam referri debent nouæ illæ stellæ an. 1572. 1576. 85. 96. 1602. 607. Constat enim faces istas non fuisse cometas, sed astra.

COMPVTVS SACER.

I. COmputus sacer explicat dimensionem temporis è Scripturâ. Naturam cœli, stellarum, & temporis explicat Physica: dimensionem cœli & stellarum, Sphærica, temporis, Computus.

II. Tempus, cuius meminerunt sacræ literæ, est minus, vel maius. Minus est dies: maius est septimana, mensis, & annus.

III. Dies

III. Dies propriè est illud tempus, quo sol nobis lucet. Sic enim legimus *Gen. 1. v. 5. Lucemque Deus vocauit diem, tenebras verò noctem.* Et hic est dies naturalis, cui opponitur nox. Hinc *Isidorus lib. 3. c. 50.* eleganter ait: *Sol oriens diem facit, occidens noctem inducit. Nam dies est sol supra terras, nox est sol sub terrâ.* Et *lib. 5. c. 30. Dies est præsentia solis.* Sic & *Gyraldus lib. de annis & mensibus: Naturalis dies est tempus, ab exoriente sole ad solis occasum.* Diei naturali opponitur *dies ciuilis*: de quo idem Gyraldus d. l. *Ciuilis dies (quem legitimum Isidorus vocat) tempus id est, quod vno fit cœli circumactu, quo dies verus, & nox continentur: vt cùm dicimus, aliquem dies tantùm 30. vixisse. Tunc enim etiam noctes intelligimus.* De hoc die accipiendum est comma illud *Gen. 1. v. 5. Sic fuit vespera, & fuit mane dies primi*: & sic deinceps *vers. 8. 13. 19. 23. 31.* Priori itaque modo nox opponitur diei, posteriori, est pars diei: vnde dies ciuilis eleganter appellatur Hebræis tempus matutinum & vespertinum, *Dan. 8. v 14. 26.* & Græcis νυχθήμερον, & ἡμερονύκλιος, & definitur spatium vigintiquatuor horarum. Hoc autem spatium appellatur dies ciuilis, quia illo vtimur in communi & ciuili vitâ. Appellatur etiam dies artificialis eodem sensu: quia artifices, hoc est, astronomi, & alij in computis & Kalendariis hoc die vtuntur. Interim videas passim confundi has appellationes, vt *Cuiacius* rectè obseruat *lib. 15. obseru. c. 32.* ita nempe vt dies naturalis vocetur spatium 24. horarum, ciuilis seu artificialis, tempus lucis. Porrò dies naturalis, itemque nox, diuiditur in quaternas partes, quæ respondent veri, æstati, autumno & hyemi: & dies ciuilis, id est, νυχθήμερον, ab Hebræis in quatuor partes fuit diuisus, quas *vigilias* vocabant. Prima vigilia erat à vespere, secunda à mediâ nocte, tertia à manè, quarta à meridie. *Exod. 14. v. 24. Iudic. 7. v. 11. 19. Matth. 14. v. 25. Marc. 6. v. 48. Luc. 2. v. 8. c. 12. v. 38.* Quidam tamen putant noctem fuisse diuisam in quatuor vigilias, quibus excubiæ fiebant. Cæterùm Græci in 24. *horas* partiti sunt diem ciuilem: quæ partitio tandem ad Romanos, & ab illis ad Iudæos sub ipso-

rum impèrio translata est. Primam diei horam, cùm primùm dieſceret, vocabant: duodecimam, extremum diei tempus. Par horarum noctis ratio. Quo numero cùm dies & nox circumſcriberetur, pro quoque anni tempore, ac dierum noctiumque productione atque contractione, longiores quoque ac breuiores horas, diuerſis quidem temporibus, fuiſſe neceſſe eſt. Atque hæ dicuntur *horæ inæquales*, de quibus accipiendum eſt illud Chriſti *Iohan. 11. Nonne duodecim horæ ſunt diei?* Huiuſmodi horas putantur antiqui habuiſſe vſque ad annum Chriſti 300. quo dicunt cœpiſſe *horas æquales*, quæ ſemper ſunt eiuſdem quantitatis, vt ſunt horæ noſtrates. Vnde fit vt dies & nox nunc habeant plures, nunc pauciores horas, prout ſunt longiores vel breuiores. Horæ illæ noſtræ tempore æquinoctiali ita conueniunt cum horis Iudæorum. Prima Iudæorum eſt nobis ſexta matutina, tertia eſt nona, ſexta eſt duodecima ſeu meridies, duodecima eſt ſexta veſpertina. Itaque locus *Matth. 27. A ſextâ horâ tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam*, ſic exponi debet, à noſtrâ duodecimâ ad tertiam. Chriſtus itaque crucifixus eſt circa horam ſextam. Cur verò Marcus ſcribit *c. 15. v. 25.* id factum eſſe horâ tertiâ? Reſp. Ibi intelligitur vel tertia pars diei, quæ horam 9. 10. 11. 12. complectitur: vel vltimus quadrans, qui appellabatur hora tertia. Solebant enim veteres partiri diem in tres partes, ita vt quælibet complecteretur quatuor horas: vel in quatuor quadrantes ternarum horarum, eoſque ab vltimâ cuiuſque quadrantis horâ denominabant. Prioris modi typus eſt:

I.	II.	III.
1. 2. 3. 4.	5. 6. 7. 8.	9. 10. 11. 12.

Poſterioris modi typus eſt iſte:

I.	II.	III.	IV.
1. 2. 3.	4. 5. 6.	7. 8. 9.	10. 11. 12.

Iuxta

Iuxta priorem typum dicendum est, crucifixionem Christi fuisse absolutam horâ tertiâ maiore, iuxta posteriorem, cœpisse horâ tertia maiore, post sextam videl. horam minorem. Per maiores horas intellige tres illas partes & quatuor quadrantes diei, per minores, propriè dictas. Hæc ratio non satisfacit Casaubono, qui *exercit. 16. pag.* 479. inclinat in sententiam eorum, qui putant esse mendam librarij in literâ numerali. Porrò datur in Scripturis *dies propheticus*, qui est annus solaris vel lunaris. Vide *Dan.* 12. *v.* 11. 12. *Apoc.* 11. *v.* 3.

IV. Septimana est septem dierum interuallum. De hâc *Isidorus* eleganter *lib.* 5. *c.* 32. *Hebdomada*, inquit, *dicta à numero septem dierum, quorum repetitione & menses, & anni, & secula paraguntur.* Et paulò post: *Octauus autem dies, id est primus, est, ad quem reditur, & à quo rursus hebdomadis series orditur.* Hoc dierum systema fuit sancitum à Deo *Gen.* 2. *v.* 2. 3. Datur etiam in Scripturâ *septimana annorum*, quæ est systema annorum septem, in orbem recurrens: estque Mosaica, vel prophetica. *Septimana annorum Mosaica* dicitur hebdomas annalis remissionis, & septimus ipsius annus appellatur *Semittah*, licet & ipsa hebdomas appelletur hoc nomine. Vox ista ad verbum est σύνοχθεια, *leuatio oneris*, siue excussio debitorum: quia debita remittebantur in fine hebdomadis. Propterea & *hebdomas remissionis* vocatur. Ac licet vltimus annus propriè remissio vocatur: tamen Iudæi & Samaritæ dicunt annum primum, secundum &c. Semittah, totam hebdomadem Semittah vocantes. Sic cùm septimus dies Sabbath vocetur: tamen & hoc nomine tota hebdomoda vocatur ab Hebræis. *Leuit.* 23. *v.* 15. *Amos.* 8. *Luc.* 18. *v.* 12. De Semittah vide *Deut.* 15. *Septimana prophetica* est spatium septem annorum prophetis vsitatum. Tales sunt hebdomades siue septimanæ Danielis. *cap.* 9.

V. Mensis latè sumto vocabulo, est duodecima anni pars: proprie est tempus, lunæ cursu definitum.

finitum. Ita nempe, vt numeretur à lunæ coniunctione cum sole, vel à primâ lunæ apparitione. Posteriori modo Iudæi suos menses numerabant: vtpote qui obseruabant nouã lunæ faciem. Vulgo hic mensis appellatur *lunaris*, ad discrimen *mensis solaris*, qui est transitus solis à signo ad signum. Itaq; hoc sensu mẽsis erit pars anni 12. vt paulò ante diximus. Datur etiam *mensis propheticus*, qui est annorũ 30. *Apoc.* 11. *v.* 2. Sed nos hoc loco tractamus de mẽse prout in Scripturis accipitur, vbi mensis cũ lunâ incipit & terminatur. Etsi enim ante exitũ ex Ægypto mẽses solares vsitati fuerũt in populo Dei: tamen in cõputo sacro non curãtur nisi menses lunares, vt patebit ex sequentib. *Principio* autem tenẽdum est, mensem plenũ esse dierum 30. cauũ, 29. Iudæi tamen definiunt mensem dierum 29. hor. 12. $\frac{793}{1080}$ *Deinde* nomina ista *Nisan*, *Iiar*, *Siuan*, &c. sunt Chaldaica, quæ Iudæi post captiuitatem reuersi retinuerunt. Ante exilium Babylonicum alia fuerunt nomina: vt, primus mensis appellatus fuit *Abib*, secundus *Sif*, quæ nomina solùm extant in canone: vbi præter hæc duo non inueni s nisi has appellationes, mensis primus, secundus, tertius &c. *Tertiò* mensium ordo est duplex, ecclesiasticus siue sacer, & politicus siue ciuilis. Ibi primus est Nisan, hîc Tisri. Sed iam videamus singulos mẽses ordine, & dies festos, qui in iis occurrunt, explicemus, deniq; ad nostrates menses applicemus. *Primus* Iudęorũ mensis in anno sacro fuit *Nisan* siue *Abib*, *Exod.* 12. *v.* 2. Dicitur *Abib* voce Hebraicâ q.d. mensem spicæ siue spicarum, q̃ isto mense spicæ exeant è calamis. Hoc in terrâ sanctâ fiebat exeunte Martio nostro, & incipiente Aprili. Nam æquinoctiũ vernũ erat initium anni ecclesiastici, sicut autumnale, politici. Æquinoctium autẽ vernũ olim sex tantùm diebus abfuit à fine Martij. Atq; hinc est, q̃ plurimi scriptores ecclesiastici mẽsem Nisan ad Aprilem potiùs q̃ ad Martium referunt, Ijar ad Maium, & sic deinceps. Accuratior tamen est illorum connexio, qui Nisan ita connectunt cũ nostris mensibus, vt pars ipsius aliqua respondeat Martio, maxima Aprili. De sequentium mensium Iudaicorũ cum nostratibus cõ-

nexione idem est iudicium. Porrò primus dies huius mẽsis, vt & sequentium, celebris erat apud Hebræos, non quòd in eo perinde, ac in die festo ab operibus necessariò cessaretur, sed quòd Deus certis sacrificiis sõlenni ritu coleretur. Hebræi vocant hunc diem רֹאשׁ *caput*, i. e. initium mensis: LXX. Interpretes semper *neomeniam*: Latinus interpres, nunc neomenias, nunc calendas appellat. Dicitur autem *neomenia* quasi nouus mensis. Mensis enim cum lunâ incipiebat, & cum eâdem desinebat. Proinde dies primus mensis idem erat, qui primus dies lunæ. Et quemadmodum septimo quoq; die hebdomadæ sabbatum colebatur, vt in memoriam reuocaretur beneficium acceptum à Deo, quo vniuersa sunt ex nihilo facta: sic primo quoque die mensis Deo sacrificia offerebantur, vt memores essent beneficij, quo Deus omnia gubernat. Quemadmodum etiam Deus sibi offerri voluit primos fructus rerum è terrâ nascentium, itemque primogenita: sic & primos dies mensium sibi reseruauit. Denique, vt Deum precibus & sacrificiis, sibi placatum redderent Hebræi ad ipsos menses feliciter inchoandos. Vide *Num.* 10. & 28. In decimum quartum diem huius mensis incidebat *Pascha* ex præscripto Dei *Exod.* 12. *Leuit.* 23. Hæc celebritas instituta fuit, vt Hebræi in memoriam reuocarent illud insigne beneficium, quo Dominus primogenitos Ægyptiorum occidendo, domos Hebræorum non tetigit, quorum postes & superliminaria sanguine mactati agni tincta fuerant. Et quoniam id accidit decimâ quartâ lunâ primi mensis, ideo præcepit Deus, vt singulis annis, eodem die, Iudæi immolarent agnum, & cõederent, & quidem inter duas vesperas. Quod vt rectè intelligatur, tenendum est, vesperam esse duplicẽ, priorem & posteriorem. Prior est inclinantis solis, quæ post meridiem incipit: posterior est occidentis solis & horizontem subeuntis. Illam Græci appellarunt δείλην πρωΐαν, hanc ὀψίαν δείλην. Illa incipiebat à nonâ horâ, hoc est, à tertiâ exactâ post meridiem, quod erat tempus oblatio-

nis

nis vespertinæ: altera paulò ante occasum solis, quod principium erat Iudæis diei sequentis. Alij primam vesperam interpretantur occasum radiorum solis, alteram, occasum corporis solis. Hîc quæritur, An Christus anticipauerit pascha *Luc.* 22? Plerique existimant, Christum legitimo tempore celebrasse pascha, videl. decimâquartâ lunâ ineunte, sub vesperam, & ipsum, tanquam verum illum agnum, qui tollit peccata mundi, oblatum esse eâdem decimâquartâ lunâ exeunte, tempore oblationis vespertinæ: Iudæos autem transtulisse pascha isto anno in lunam decimam quintam: ita vt decimaquarta Nisan nõ fuerit ἄ πεϱκτος ἡμέϱα, sed ἐϱγάσιμος, vt in eâdem verus agnus mactaretur, in quâ agnus mysticus immolari solitus, & eâdem horâ, quâ verus agnus de cruce deponebatur, Iudæi suum agnum mactarent. Vnde Marcus tempus proximum post mortem Christi appellat paraſceuen, & vesperam, nempe priorem: & Iohannes *cap. 19. ver. 31.* sabbatum, quod secutum est crucifixionem Christi, appellat μεγάλην ἡμέϱαν, *diem magnum*: quia in eum fuerat Pascha translatum. Quare aliud fuit pascha commune Iudæorum, aliud Christi proprium. Vide *Casaubonum exerc. 16. sect. 16. 17. & 18.* Porrò septem dies, inde à 14. Nisan vsque ad 21. fuerunt appellati dies azymorum, & ex iis primus & vltimus, *dies magnus*. Vide *Exod. 12. Leuit. 23. Num. 19. & 28.* & primus erat verus & solus dies Paschalis, h. e. talis, quo immolabatur & manducabatur pascha. Decima sexta Nisan appellatur sabbatum δευτεϱόπϱωτον, *secundò-primum*, quia proximè post solenne paschatis sequebatur. Nam ἀπὸ δευτέϱας τοῦ πάσχα lex iubet septem hebdomadas putare. Itaque hebdomades omnes & sabbata sumunt appellationem suam ἀπὸ δευτέϱας τοῦ πάσχα: vt δευτεϱόπϱωτος ἑβδομὰς est πϱώτη ἀπὸ δευτέϱας τοῦ πάσχα: sic δευτεϱοδεύτεϱος, δευτεϱότριτος &c. Confer *Leuit. 23. v. 15. cum Luc. 6. v. 1.* Sequitur iam mensis secundus, nomine Chald. *Iiar*, Hebraico *Ziu*, vel vt alij legunt & scribunt *Sif*, quæ posterior vox à splendore ducta est. Chaldæus para-

paraphraſtes appellat menſem apertionis florum. Vtraq; appellatio conuenit cum re, itemque cum nomine Aprilis. Sicut enim Aprilis ab aperiendo dicitur, quòd tunc natura aperiat ſuas dotes: ita יח à ſplendore ſiue decore florum dicitur, quòd in eo primùm appareant flores. Neque tamen ſoli Aprili reſpondet hic menſis, ſed etiam Maio, vt ex ſuperioribus intelligi poteſt. Tertius menſis appellatur *Siuan*, reſpondens Maio & Iunio. Celebris eſt hic menſis *feſto Pentecoſtes*, de quo *Leuit.* 23. Pentecoſte ſignificat quinquageſimum diem, ſcil. inde à die Paſchæ. In veneratione erat hic dies quinquageſimus, in recordationem legis diuinitùs datæ quinquageſimo die ab egreſſu ex Ægypto. *Exod.* 19. Quo fit, vt hæc celebritas quoque dicta ſit hebdomadarum: quia ab altero die poſt primum feſtum diem azymorum computabantur ſeptem hebdomadæ plenæ, quæ quadraginta nouem dies conficiunt, & die ſtatim proximè ſequenti celebritas Pentecoſtes agebatur. Erat autem hæc celebritas vna de tribus, in quibus omnes viri ſingulis annis venire Hieroſolymam cogebãtur, vt patet ex *Deut.* 10. Quartus menſis fuit *Tamuz*, reſpondens Iunio & Iulio: quintus, *Ab*, reſpondens Iulio & Auguſto: ſextus, *Elul*, reſpondens Auguſto & Septembri. Septimus menſis eccleſiaſticus, idemque primus politicus ſeu ciuilis, fuit *Tiſri*, qui etiam appellatur *Ethanim*, à fortitudine, quòd tum temporis colligantur fructus maturi, & veluti fortes, atque fortificantes i. e. confirmantes cor hominum: vel quòd hic menſis ſit nobilis quatuor feſtis, videl. feſto tubarum, expiationis, & ſcenopegiæ ſeu tabernaculorum, & cœtus ſeu collectæ. Quemadmodum ig. ſeptimus quiſque hebdomadæ dies ſanctus erat: ſic menſis quoque ſeptimus erat magnâ veneratione celebris. De *feſto tubarum* opinantur Hebræi, illud coli in memoriam illius beneficij, quo Deus Iſaacum de gladio patris eripuit, & arietem loco eius immolandũ ſubſtituit *Gen.* 22. & ideo eum diem celebrari cornibus arietinis. Sed hæc ſententia caret fundamento. Vulgo putatur,

tatur, eum diem festum esse institutum, vt tubarum clangore, ad celebritates venturas, scil. Expiationis & Tabernaculorum, quæ illo mense celebrabantur, cum iucunditate populus præpararetur. Duplex autem erat huius festi solennitas: vna ipsi propria, altera communis cum cæteris neomeniis, quia celebrabatur primo die mensis Tisri. *Leuit.* 23. *Num.* 29. De *festo expiationis* legere est *Leuit.* 25. Putatur institutum, quia eo die diuinitus dimissum sit peccatum, quod populus Hebraicus in colendo vitulo aureo perpetrauit *Exod.* 32. Quidquid huius sit, hic dies Deo dicatus fuit, & sacer ad peccata per pœnitentiam expianda. Ideo præceptum est, vt animas suas in eo affligerent, videl. jeiunando. *Celebritas tabernaculorum* erat magna, & vna ex illis tribus, in quibus omnes masculi ter venire Hierosolymam singulis annis debebant. *Deut.* 16. *Leuit.* 23. *Num.* 29. Nomen habet à faciendis tabernaculis: quia hæ feriæ agebantur ad recolendum beneficium, quo Hebræi, ex Ægyptiacâ seruitute liberati, & per solitudinem deducti, quadraginta annis intentoriis habitauerant. Colebantur per septem dies: quibus exactis celebrabatur *festum cœtus siue collectæ*, 22. die huius mensis. *Leuit.* 23. Videtur hoc festum celebratum, vt recordarentur beneficij, quo absolutâ & confectâ peregrinatione, simul omnes terram summis votis expetitam & precibus efflagitatam tandem obtinuerunt: quemadmodum feriæ tabernaculorum Iudęis in memoriam reuocabant annos peregrinationis. Dicitur itaque collecta, quia relictis tabernaculis, in vnum populus colligebatur ad gratias Deo agendas precibus & sacrificiis in commune oblatis, eò quòd post longam quadraginta annorum peregrinationẽ tandem in terram patrib. promissam omnes salui & incolumes peruenissent. Non tamen omnes octo illi dies erant festi, quanquam omnes erant celebres oblatione aliquâ. Octauus mensis fuit *Marcheſuan*, siue *Bul*, qui respõdet Octobri & Nouembri: nonus *Cisleu*, qui Nouembri & Decembri, Vigesimoquinto die huius mensis Iudæi cole-

colebant *festum Encæniorum*, præter dies festos à Mose præscriptos. Vide 2. *Maccab.* 1. & *Iohan.* 10. Sunt autem Encænia dies dedicationis templi. Græci namque ἐγκαινίζειν dicunt, quod Latini renouare, vel dedicare. Templum Iudæorum ter est dedicatum: primò, cùm est extructum à Salomone 1. *Reg.* 8. secundò, cùm est iterum ædificatum post reditum è captiuitate Babylonicâ. *Esdr.* 6. tertiò, cùm ex parte dirutum & pollutum à gentibus sub Antiocho Epiphane, mundatum & dedicatum est tempore Iudæ Maccabæi. 1. *Maccab.* 4. In huius postremi beneficij memoriam colebantur singulis annis Encænia, & quidem diebus octo: quia Iudæi dies octo in illâ dedicatione templi lætissimè consumserunt, memores celebritatis tabernaculorum, quam Iudæi per octo dies magnâ cum lætitiâ ex præscripto Dei colebant. 2. *Maccab.* 10. Quare verisimile est, primum & octauum diem Encæniorum fuisse festos & solennes, cæteros non item, sed celebres tantùm, ob sacrificia, quæ in illis offerri solebant. Fit quoque mētio *diei ignis cælitus dati* 2. *Maccab.* 1. qui nō tam festus, quàm celebris videtur fuisse. Decimus mensis est *Tebeth*, respōdens Decembri & Ianuario: vndecimus, *Schebeth*, respondens Ianuario & Februario: duodecimus, *Adar*, respondens Februario & Martio. Duodecim his mensibus in anno bisexto accedit decimus tertius *Veadar*. q. d. secundus Adar.

VI. Annus est tempus perfecto mensium numero completum. Estque solaris, vel lunaris. *Annus solaris* accommodatur ad motum solis, mensesque solares. Putatur fuisse vsitatus in populo Dei ante exitum ex Ægypto. *Annus lunaris* accommodatur ad lunam, mensesque lunares. Is in populo Dei fuit sacer & ciuilis. *Annus lunaris sacer*, siue ecclesiasticus, incipiebat mense Nisan. *Exod.* 12. *Annus lunaris ciuilis*, siue politicus, incipiebat mense Tisri. *Exod.* 23. *v.* 16. Hinc sumebant initium emtiones, venditiones, seruitutes, remissio terræ, annus sabbatarius & Iubilæus. *Annus sabbatarius*, siue *annus Semitta*, erat septimus

mus annus hebdomadis annalis. *Iubilæus* erat ſyſtema annorum lunarium 49. ſiue, ſyſtema ſeptem hebdomadum annalium. *Leuit.* 25. Cur verò, inquiés, jubilæus dicitur annus quinquageſimus *Leuit.* 25. v. 10. ſi complectitur ſolùm annos 49? Reſp. Eſt annus quinquageſimus à iubilæo antecedente incluſivè, ut Iudæi ſupputare ſolent. Schindlerus, & alii quidam aliter ſentiunt: quaſi ſcilicet duo anni ſacri concurrerint, quadrageſimus nonus, qui fuerit שמיטה, & quinquageſimus, qui fuerit יובל. Hic non eſt prætereundum, quòd annus diuidatur in quatuor quadrantes, quos Scriptura reuocat ad duos ſemiſſes, æſtatem & hyemem: & quòd menſis quilibet reſpondeat quatuor iſtis quadrantibus, ita vt prima ſeptimana ſit veluti ver, ſecunda æſtas, tertia autumnus, & quarta hyems, ſcil. ratione motus lunæ.

XIV.

GEOGRAPHIA SACRA.

I. GEographia ſacra explicat dimenſionem terræ fermè ex S. literis.

II. Dimenſio terræ ſpectatur in globo terreſtri communiter, vel in terrâ & aquâ ſingulariter. Hinc tres conſtituuntur partes geographiæ: prima eſt de aquæ & terræ dimenſione, quatenus iſta duo conſtituunt vnum globum, ſiue vnam ſphæram: ſecunda eſt de dimenſione terræ, ſeorſim ſpectatæ: tertia eſt de dimenſione aquæ, ſeorſim ſpectatæ: quæ vltima pars vſitatè appellatur *Hydrographia.*

III. In globo terreſtri communiter conſideramus longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

IV. Longitudo globi ex aquâ & terrâ compacti eſt linea circularis ipſum ambiens. Dicitur aliâs ipſius

ipsius *perimeter*, & *circumferentia*: estque milliarium Germanic. 5400. cuius diameter est milliar. Germanic. $1718\frac{2}{11}$, siue numero rotundo 1720. semidiameter, milliar. Germ. 859. siue numero rotundo 860. Alio etiam sensu longitudo sumitur ab occidente versus occidentem. Atque hoc sensu æquator & meridianus seruiunt longitudini.

V. Latitudo globi ex aquâ & terrâ compacti est area ipsius siue superficies: eaque tum plana, tum gibba. *Superficies plana* est area perimetro inclusa, milliarium Germ. 2319545, vel iuxta alios 2322000. *Superficies conuexa* est milliar. Germ. 9277200. vel iuxta alios 9288000. Alio etiam sensu latitudo est linea ducta à septentrione versus meridiem. Atque hoc sensu æquator, tropici, & polares seruiunt latitudini indagandæ, & distinguunt globum terrenum in zonas & climata.

VI. Profunditas globi ex aquâ & terrâ constantis est vel linea crassitiei, vel soliditas. *Linea crassitiei* est ipsa diameter paulò ante indicata. *Soliditas* est tota ipsius moles, trinâ dimensione constans: estque milliarium Germanic. 2656933936. vel iuxta alios 2662560000.

VII. Dimensio terræ singulariter spectatur in terrâ partim iam satis cognitâ, partim aliquo modo cognitâ. Ibi sunt terra subborealis & subaustralis, itemque America: hîc Europa, Africa, & Asia. Vbi admiratione non caret, quòd ex vno sanguine tot terræ fuerint repletæ hominibus. *Act.* 17. *vers.* 26. Hîc quæritur, quomodo tres filij Noë, illorumq; posteri, occupauerint has sedes? Resp. Iapheto & ipsius posteris fermè cessit Europa; Semo & ipsius filiis atque nepotibus Asia; Chamo & eius posteritati Africa. Americam videntur occupasse Asiaticorum coloniæ traductæ per fretum Anian, terram subborealem Europæi, subaustralem Africani. Cæterùm nos persequemur

eas terræ partes, quarum mentio est in Scripturis.

VIII. Palæstina est particularis prouincia Asiæ, valde insignis cùm locorum, tum verò rerum gestarum, quas Scripturæ sacræ commemorant, celebritate. Sub hâc comprehenduntur Idumæa, Iudæa, Samaria, & Galilæa. Dicta fuit antiquitùs *terra Canaan*, à filio Cham: deinde *terra Israël & Palæstina*, ab Israëlitis & Palæstinis, quos Scriptura appellat Philistim: denique *terra promissionis* & *terra sancta*. Iacet inter mare mediterraneum, & Arabiam, quâ ex parte montibus ferè continuis naturâ vltra Iordanem fluuium vallatur, atque ab extremâ Ægyptiorâ incipiens vsque ad Phœniciam porrigitur. Vnde his continetur finibus: à septentrione, Phœniciæ parte; ab ortu æstiuo, Libano monte; à meridie, & partim ab oriente, Arabiâ; ab occaſu, maris mediterranei parte, quo in loco mare Syriũ & Phœnicium appellatur. Extenditur à meridie in septẽtrionem à gradu 31. vsque ad 33. & paulò plus, hoc est, inter medium tertij, ac medium quarti climatis, occupans 9. & 10. parallelos. Vnde isthîc maior dies æstatis accidit hor. 14. & versus borealem limitem horarum 14. cum quadrante. Atque hæc est latitudo eius. Longitudinem verò occupat à meridiano grad. 63. cum dimidio vsque ad meridianum gr. 67. Hinc longitudo eius est leucarum 64. vt Brocardus definit, ab vrbe scil. Dan, quæ olim Lachis & Cæsarea Philippi dicebatur, vsque ad Bersabee, quæ nunc Giblim appellatur. Latitudo eidem Brocardo, ab occidente in meridiem est leucarum 16. à Iordane scil. fluuio vsque ad mare magnum, seu mediterraneum. Verùntamen vltra Iordanem regio etiam hæc extenditur, quæ quidem portio *Transjordanis* nuncupatur, & *Peræa* Plinio. Cùm ab Israëlitis occuparetur, in *duodecim partes*, quas *tribus* vocarunt, fuit diuisa. Vide librum Iosuæ, & typos interpretum, nominatim *Ios. c.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. vbi est geodæsia primò generalis, tum specialis. Sub Roboam

boam verò, Salomonis filio, cùm hæc prouincia per seditionem in duas partes discerneretur, duæ ex his tribus in vnam ceciderunt, nempe Iuda & Beniamin, quæ tamen sub *regni Iuda* nomine comprehendebantur: reliquæ decem tribus obtinuerunt nomen *Israël*. Post captiuitatem Babylonicam in duas iterum regiones est distincta, videl. in *Samariam* & *Galilæam*, & hæc distincta fuit in superiorem & inferiorem. Post hæc tempora, vsque ad Christi aduentum, atque etiam deinceps, hæc ipsa terra in tres partes cis Iordanem fuit diuisa, nempe in *Galilæam*, quæ fuit superior pars versus Sidonem & Tyrum, vrbes Phœniciæ; in *Samariam*, quæ media est; & in *Iudæam*, quæ inferior est pars ad Austrum, & Arabiam Petræam: quibus aliqui adiiciunt quartam partem, *Idumæam*, quæ vsque ad Sirbonis lacum producitur prope confinia Ægypti. Quatuor quoque partes sunt trans Iordanem: videl. Ituræa, Trachonitis, Peræa & Abilene. *Luc.3.v.1.* Ex his partibus (vt ordine retrogrado agamus) *Peræa* est asperis dispersa montibus, *Trachonitis* est sita è regione Peræ, neque ipsa satis culta, vt nec *Ituræa*, quæ finitima est Galilææ Gentium: *Abilene*, prope Chalcidem, est fertilissima. *Galilæa* regio, Libani & Antilibani, altissimorum montium, iugis, à septentrione clauditur: ab occidente Phœniciam vicinam habet: ab ortu Cœlesyriæ coniungitur: meridionalem eius partem Samaria & Arabia deserta concludunt. Diuiditur in superiorem & inferiorem. *Galilæa superior*, quæ etiam *gentium* dicitur, contermina est Tyro, vrbi Phœniciæ, vbi Salomon 25. vrbes Chiramo regi Tyri dono concessit. *Galilæa inferior* (quæ etiam *Tiberiadis* dicitur, vel ab vrbe, vel à lacu id nominis) iacet ad meridiem, atque etiam trans Iordanem extenditur. In eâ situs fuit pagus *Nazareth*, vbi Christus conceptus fuit & educatus: item mons Thabor, mirâ rotunditate sublimis. Galilææ gentium proxima fuit *Decapolis*, regiuncula. *Marc. 7. v. 31.* *Samaria* iacet inter Iudæam & Galilæam; & habet ab occasu æstiuo mare mediterraneum:

à septentrione, & partim ab oriente confinis est Galilææ, proximè locum Tiberiadis, atque Iordanem egressa vsque ad Arabiæ deserta extenditur. Memorabiles ipsius vrbes fuerunt; *Samaria*, quæ postea Sebaste, regia & metropolis: *Cæsarea Palæstinæ, vel Stratonis*, hodie Azon: *Neapolis*, quæ in historiâ sacrâ dicitur *Sichar & Sichem*, nunc *Napoloſa*, vbi fuit puteus ille *Iohan. 4. Iudæa*, cæteris Palæstinæ partibus celebrior, iacet inter mare mediterraneũ, & lacum Asphaltitem, atq; etiam inter Samariam & Idumæam. Vrbes & oppida in eâ fuerunt complura, quorum omnium clarissima fuit *Hierusalem*, sita edito in loco, hoc est, in montanis, ita vt vndequaque fuerit ad eam ascendendum. Hieronymus author est, eam non solùm mediũ Iudææ occupare, sed etiam esse vmbilicũ vniuersi. Namque orientalis est illi Asia, occidentalis Europa, à meridie siue ab Austro Libya, à Septentrione Scythæ, Armeni, Persæ, & reliquæ Ponti nationes, vt ait Maginus. Vide *Casaubonum* in exercitationibus ad annales Baronij: vbi *exerc. 1. sect. 3.* ait, vrbem sanctam in medio vndecim toparchiarum, in quas Iudæa fuit diuisa, eminuisse, vt in clypeo vmbilicum: & *exerc. 16. s. 34.* dicit. Hierosolymam aliquando in Scripturis dici medium & vmbilicum terræ, vt *Psal. 73. v. 13. Ezech. 38. v. 12.* nimirum ratione latitudinis septem climatum, quæ veteribus erant cognita. Vide paulò post de Euphrate. Præter Hierosolymam etiam celebria fuerunt hæc loca, *Bethlehem*, pagus exiguus, in quo Christus est natus: *Rama*, & *Gaza*, quam postremam alij sub Idumææ reponunt: *Bethania*, *Emmaus*, *Bethphage*: *Iudæa*, in sacris Edom, versus mare & Iudæam eximiè est fertilis, sed in Arabiæ confinibus sterilescit & montibus exasperatur. Hanc Strabo facit Iudææ partẽ. Et sanè Idumæi vrbem sanctam vocabant κοινὴν πόλιν, sibi & Iudæis, fratribus suis, communem vrbem. Plura vide in *exercit. Casauboni pag. 23. 24.* edit. Francof.

IX. Phœnicia est Galilææ contigua. Vrbes ipsius celebriores sunt *Sidon* & *Tyrus*, nobilissima emporia,

ria, quorum etiam Scriptura meminit. Inter Tyrum & Sidonem sita fuit *Sarepta*.

X. Arabia ab occidente habet Ægyptum, à septentrione Palæstinam, & Mesopotamiam, ab oriente Assyriam; & diuiditur in tres partes, desertam, petræam, & felicem. In Arabiâ Petræâ est mons *Sinai*, nobilissimus ob datam Mosi legem, qui numeratur inter altissimos totius orbis montes. Est portio montis *Horeb*; etsi hic pro peculiari etiam monte habetur, estq; non ita sterilis, altus, & horridus, vt mons Sinai, altera ipsius pars. Epiphanius Magodiam facit Arabiæ regionem, vnde venerint Magi *Matth.* 2. & addit, à nomine Magodia dictos esse Magos. Sed neque huiusmodi regio est in Arabiâ, neq; magi inde venerunt (nam historiæ non alios narrant magos nisi Persarum) & analogia non patitur, vt à nomine Magodia formetur nomen gentile *Magus*.

XI. Persiæ & Mediæ fines hi sunt. *Persia* clauditur à meridie sinu Persico: à septentrione, Mediâ ab occasu Babylonia: ab ortu solis Carmaniâ. *Media* terminatur à septentrione, parte Hircani maris: ab occasu, Assyriâ: à meridie, Perside: ab oriente, Hyrcaniâ & Parthiâ. Ex Persiâ venerũt magi illi *Matt.* 2. qui proculdubio fuerunt reguli & toparchę ditionis alicuius Persicę, quę illâ ætate plures habuit toparchas & dynastas, vt etiã in Mediâ, Parthiâ, & Assyriâ erat more receptum. Hoc itaq; sensu tres isti magi possunt appellari reges, quo *Iosephus lib. 6. excidij cap. 16.* Abennerigum vocat *regem castri Spasini*.

XII. Ægyptus, Mesopotamia, Syria, Assyria & Chaldæa hoc modo cum Palæstinâ, & inter sese conferuntur. *Ægyptũ* ita positam esse in Africâ, vt aliqua eius pars ad Asiã ptineat, nonnulli asserũt. Sed rectiùs sub Africa locatur. Contermina est terrę Canaan ad ortum & meridiem, sita inter mare mediterraneum & rubrum. Ægyptum cõtingit *Arabia* versus ortum & meridiem. *Meso-*

potamia sic dicta est, quòd inter duos fluuios, Tigrim & Euphratem sit media: in sacris literis Aram vocatur: ab Hebræis Aram Naharoth, id est, Syria fluuiorum; ab occidente habet Palæstinam, à septentrione Syriam, aboriente Assyriam, à meridie Chaldæam. *Syria* Hebræis dicitur *Aram*, & ab Antilibano rectâ ad Euphratem tendit, & eo trajecto Tigrim legit, & per Mesopotamiam sub Damasci fines considens, ad ipsam Arabiam Petream terminatur. Complectitur sex regiones. Harum prima, maxima, & antiquissima est Mesopotamia, quæ ideò κατ' ἐξοχὴν appellatur *Aram*: aliquando *Aram Paddan*, h. e. iugum Syriæ, q. d. Syriam iugatam seu missam sub iugum duorũ fluuiorum: vnde & *Aram Naharaïm*, vt modò diximus, appellatur, Latinis interamnis. Secunda est *Aram Zobah*, 2. *Chron.* 8. *vers.* 3. tertia, *Aram Beth Rechob*, *Gen.* 36. *vers.* 37. quarta, *Aram Maachah*, 2. *Sam.* 8. & 10. quinta, *Aram Damasci*, quæ est κοίλη Συρία, *Cœlesyria*, q. d. caua Syria: quæ id nomen inde habet, quòd duorum montium, Libani & Antilibani, vallibus terminetur. Atque hæ quinque regiones in S. literis disertè appellantur *Aram*. Sexta est *Syria Comagena*, seu *Antiochena*, cuius incolas à veteribus *Arimos* appellatos esse author est Strabo: quæ appellatio ex Hebræo manauit. *Assyria* (quæ hodiè Syriæ nomine comprehenditur) terminatur ab occasu Mesopotamiâ, ab ortu Media, à septentrione mari Hircano, à meridie Chaldæâ & Persiâ. *Chaldæa* (aliâs Babylonia) diuiditur in tres partes, summam, medianam, & infimam. Summa est contermina Mesopotamiæ, ad Euphratem fluuium, & appellatur Auranitis: mediana vocatur Chaldæa ad Arabiam desertam: infima, vocatur Amordacia, ad sinum Persicum. In Chaldæâ summâ fuit *Eden* siue *paradisus*, cuius topographia est *Gen.* 2. Vide hâc de re paulò post in hydrographia. Cæterùm totum systema Chaldææ hos habuit fines: ab ortu, Mediam & Persiam: à meridie, Susianam & Arabiam: ab occidente, Ægyptum & Palæstinam: à septentrione, Syriam, Mesopotamiam, & Assyriam.

XIII. Mul-

XIII. Multæ partes Asiæ minoris commemorantur in Scripturis. Asiam vulgo diuidunt in maiorem & minorem. Quæ partes terræ in superioribus commemoratæ sunt, ad Asiam maiorem seu vniuersalẽ pertinent. Præter illas Scriptura etiam meminit aliarum, quæ spectant ad Asiam minorem & propriam, quæ est prouincia seu pars quædam Asiæ maioris. Est autem *Asia minor* tota illa Cherſonesus, seu peninsula inter mare Euxinũ, Cilicium & Pamphylium, versus mare Ægæũ protensa, quæ hodiè *Natolia*, & *Turcia maior* dicitur. Complectitur has regiones, Pontum, Bithyniam, Asiam propriã, Lyciam, Galatiam, Pamphyliam, Cappadociam, Ciliciã, & Armeniam minorem. In *Ponto* & *Bithyniâ* celebrantur hæ vrbes; Chalcedon, Nicomedia, Apamia, Prusa, Niceа, & Heraclea Ponti. *Asia propria* complectitur has regiones: Phrygiam, Cariam, Mysiam, Æolidem, Ioniam, Doridẽ, Lydiam. *Phrygia* est maior, & minor, quæ dicitur Troas, in quâ fuit vrbs Pergamus. *Cariæ* metropolis fuit Miletus. *Mysia* est maior, & minor, quæ etiam interdum dicitur Aeolia. *Aeolis* est regio in litore maris Ægæi. *Ionia* habet insulam Chios, & vrbem Ephesum, quæ olim Asiæ lumen fuit appellata. *Doris* in cherſonesi formam in mare porrigitur. *Lydia* dicitur etiam Mæonia. *Lycia* vergit ad mare, ab ipsâ Lycium appellatum. *Galatia*, seu Gallogræcia, & Græcogallia, comprehendit Paphlagoniam regionem. *Pamphylia* complectitur Pergam, Sidam, & Attaliam, vrbes. *Cappadocia*, regio ampla, habet has vrbes celebres, Trapezuntem, Amasiam, Iconium, & Mazam siue Cæsaream. *Ciliciæ* vrbes insigniores sunt Hama, olim Tarsus, patria S. Pauli; & Heraclea. *Minor Armenia* à meridie habet Ciliciam, à septentrione Ponticas gentes. Porrò *insulæ* ad minorem Asiam pertinentes sunt Tenedos ad Hellespontum; Lesbos in mari Ægæo; Chios, Samos, & Icaria in Icario mari; Pathmos, Leria, Claros, Cous, in mari Myrtoo: Casos & Carpathos in mari Carpathio: Rhodos, in Rhodiensi pelago. Multa ex his locis celebrantur

in Actis apostolorum, epistolis Pauli & Apocalypsi Iohannis.

XIV. Æthiopia est pars Africæ, subiecta zonæ torridæ sub Ægypto. In sacris dicitur Chus, siue Cusch. *Gen.* 11. *vers.* 6. 2. *Reg.* 19. *v.* 9. *Ier.* 13. *vers.* 23. Cusch ille fuit filius Cham, qui Arabibus & Æthiopibus nomen dedit. Æthiopum reginæ communi nomine appellabantur Candacæ. *Act.* 8. *v.* 27. Hîc memineris, duas solùm Africæ regiones, putà Ægyptum & Africam, in historiâ sactâ celebrari.

XV. Ophir, cuius meminerunt sacræ literæ, videtur fuisse aurea Chersonesus. Sic tradit *Iosephus lib.* 8. *antiq.* Est autem nobis aurea chersonesus omnis ea ora, quæ Peguiis, Malacâ & Samotrâ continetur. Iosephus d. l. in Indiâ orientali ponit, & terram auream suo tempore vocatam addit. Eupolemus apud Eusebium *lib.* 9. *præpar. euang. c.* 4. Vrephen appellat, & dicit insulam maris rubri esse. Goropius, Postellus, Arias Montanus, & alij Peruanam regionem in Americâ esse putant. Quod si ita est, Scriptura ex quatuor illis mundi partibus, Asia, Africâ, Europâ, & Americâ, loca quædam inseruit historiæ sacræ. Alij existimant Cephalam Æthiopicam esse ipsissimã Ophir. Tradit enim Thomas Lopezius in suâ Indicâ nauigatione, Cephalenses habere libros patriâ linguâ scriptos, in quibus legitur Salomonẽ regem hinc tertio quoque anno aurum tulisse. Abundatque hæc regio etiamnũ hodiè aurifodinis, adeo vt nihil præter aurũ exteris mercatoribus communicet, vt Lusitanorum peregrinationes testantur. Edidit tamen *Gaspar Varrerius* Lusitanus nuper opusculum de Ophirâ regione, in quo constanter asseuerat, multisque argumentis persuadere conatur, sacræ Scripturæ Ophiram esse auream Chersonesum, aut potius omnem eam oram, quæ Peguiis, Malacâ & Samotrâ continetur. Cæterùm de Ophir vide 1. *Reg.* 9. *v. vlt. c.* 10. *v.* 11. 1. *Chron.* 29. *v.* 4. 2. *Chron.* 8. *v.* 18. *c.* 9. *v.* 10. *Ier.* 10. *v.* 9.

XVI. Mul-

XVI. Multæ partes Europæ commemorantur in Scripturis. Nominatim multa loca Græciæ, & Italiæ. De his itaque aliquid attingemus. Ad *Græciam* pertinent hæ prouinciæ, 1. *Thracia*; cuius vrbes celebriores sunt Nicopolis, Philippi, Philippopolis, Adrianopolis, Heraclea, & Constantinopolis, μίζα πόλεων Thraciæ. 2. *Chersonesus Thraciæ*; in quâ est Calliopolis. 3. *Macedonia*; in quâ Thessalonica, Neapolis, Berrhœa, Apollonia, Dyrrhachium. 4. *Epirus*, nunc Albania; in quâ Nicopolis. 5. *Achaia*, diuisa in nouem regiones, è quibus insigniores sunt Doris, Phocis (in quâ Delphi) Attica (in quâ Athenæ) Corinthia regio (in quâ Corinthus, emporium) & Laconica, in quâ Lacedæmon. 6. *Peloponnesus*, nunc Morea. Eius oppidum celebre sunt Cenchreæ. Ex partibus *Italiæ* commemorantur in S. literis Roma, Neapolis, Puteoli, Syracusæ, Rhegium, Forum Apij, Tres tabernæ. Porro etiam fit mentio Dalmatiæ: denique quarundam insularum, vt Cypri, Melitæ, Cretæ: de quibus vide infrà in Chronologiâ Itinerarium B. Pauli.

XVII. Dimensio aquæ singulariter spectatur in mari, lacubus, & fluminibus. *Mare* est triplex, Oceanum, Mediterraneum, & Caspium. *Mare Oceanum* est, quod totam terram instar cinguli ambit. Hoc diuiditur in varios sinus & freta. Ex sinubus in S. literis celebratur Arabicus, qui appellatur *mare rubrum*, *mare iunci siue carecti*, *mare Ægypti*, *& mare Erythræum*. Et quidem mare iunci, seu caricis, siue algæ appellatur, quia eiusmodi planta in litore crescit: rubrum verò & Erythræum dicitur ab Erythro rege, hoc est, ab Edom siue Esau, qui principatum in illis locis tenuit: non verò à colore: cæruleum namque est. *Mare mediterraneum* est, quod ab occasu per medias terras irrumpens ex Oceano, versus ortum & septentrionem diffunditur, & Africam ab Europâ disterminat. In sacris appellatur.

latur *mare magnum*, item *mare occidentale*, respectu terræ sanctæ: item, *mare Tharsis*, quod fuit nomen filij Iauanis *Gen.* 10. *vers.* 4. Ab eo appellata fuit Cilicia hoc nomine 2. *Chron.* 9. *v.* 21. & Tarsus eius metropolis: & quia ea ad mare sita erat, ipsum mare *Esa.* 2. *Ion.* 1. *v.* 3. Propriè itaq; maris mediterranei pars, quæ est ad Ciliciam, appellata fuit Tharsis: sed per synecdochen totum mare mediterraneum à Iudæis ita fuit appellatum. Nam quia illa ipsa pars Iudæis erat notissima, appellatio ipsius ad totum mare mediterraneum fuit extensa. Hoc est mare, in quo Paulus tot pericula sustinuit, vt ex Actis apost. constat. *Mare Caspium*, siue Hircanum, est situm in Asiâ, remotum ab Oceano, & mari mediterraneo. *Lacus* multi sunt in orbe terrarum. In Iudæâ sunt tres, è quibus duo posteriores notissimi sunt in sacrâ historiâ. Primus lacus est *Samachonitis*, alijs *Maron*, & *Aquæ Maronitica*. Maginus ait, esse potiùs stagnum quàm lacũ. Efficitur enim à Iordane in valle quâdam, præsertim tempore resolutionis niuium à Libano fluentium: quod quidem stagnum æstate vt plurimùm exsiccatur, crescentibus ibi arbustis & herbis, in quibus leones, & aliæ bestiæ latitant. Secundus est *lacus Genezareth*, seu, *mare Tiberiadis & Galilææ*. Nomen habet ab amœnitate. Nam regio vicina dicitur Genezareth & Genesar q. d. *Gan-sar* i.e. hortus principis: quia terra ista fuit cultissima & amœnissima. Tertius est *lacus Asphaltites*, sic dictus à bitumine ἀσφάλτῳ. Dicitur etiam *mare salsum in* S. literis, & vulgo *mortuum*. Sequuntur insigniora *flumina*, quorum Scriptura meminit. Et primò se offerunt *quatuor flumina paradisi*: *Gen.* 2. *ver.* 10. hoc modo. Eden est Auranitis, h.e. suprema Chaldææ pars, cuius ager non solùm totius Orientis, sed terrarum etiam omnium est amœnissimus & fertilissimus; & videtur dicta Auranitis quasi Audanitis, seu Edenitis. Ex hoc terræ tractu *procedit fluuius*, Euphrates, qui se diuidit *in quatuor capita*. Euphrates enim quadripartitus est. Primum caput Euphratis est *Pison*, qui dicitur Euphrates inferior, item Pasitigris, q. d. Piso-Tigris. Miscetur

tur enim cum Tigri ad Apameam. Secundum caput est *Githon*, vulgo Maharsares, quasi Naharsares, fluuius principis. Tertium est *Chiddekel*, i. e. Tigris, qui hodiè appellatur Tiglath. Quartum caput retinet nomen *Euphratis*, qui mediam Babylonem permeat. Euphrates Hebraicè dicitur פרת i. e. vmbilicus, duabus de causis: tum, quòd tractus Euphratéus nostrum hemisphærium fermè medium secat, & orientem ab occidente discriminat: tum, quia gentes ex hoc quasi centro versus omnes mundi plagas dispersæ sunt. *Gen.* 11. Quibus causis potest addi tertia, quòd ex isto loco superstitio Babylonica in totum orbem vnà cum hominibus sit disseminata. Quod hîc dicitur de Euphrate, ipsum esse vmbilicum terræ, id intelligendum est de terrâ habitabili veteribus cognitâ, itemque sensu laxiore. Nam & Ierusalem dicitur vmbilicus terræ. Sphæram inspice, & in ea rationem septem climatum, quæ sola veteribus erant cognita: videbis Ierusalem, & totum vicinum tractum esse quasi vmbilicum terræ habitabilis, veteribus cognitæ. Sunt, qui Hierosolymam dicunt non in medio terræ, sed Iudææ sitam esse, quomodo Delphi in medio Græciæ erant siti. Deinde celebris est *Iordanis* fluuius, qui mediam Palæstinam secat. Oritur in montis Libani radicibus à duobus fontibus, Ior & Dan. Cursu suo efformat duos lacus, nempe Samachonitidem & mare Tiberiadis, tandemque in mare mortuum se exonerat. Apud Ezechielem occurrit fluuius *Chobar*, siue *Chebar* c. 1. qui multis postea cœlestibus reuelationibus & diuinis apparitionibus, eidem prophetæ propter illum exhibitis, est nobilitatus. Iunius existimat esse Chaboram Ptolemæi in Mesopotamiâ influentem in Euphratem. Scaligero est Tigris, qui dictus est ποταμὸς βασιλικὸς, *flumen regium*, Chald. *Nehar-malca*: ita vt sit dictus *Chobar* à præfecto, qui diduxit, ne præcipiti cursu Babyloniam infestaret; *regium flumen*, à rege, qui diduci iussit.

XV. OPTI-

XV.

OPTICA SACRA.

I. OPtica ſacra eſt bene videndi ſcientia ex S. literis illuſtrata. Latinis dicitur Perſpectiua. Eſt autem ſpecialis quædam geometria, ſicut Muſica, ſpecialis arithmetica. Hinc Optica dicitur eſſe geometria in viſu, luce, colore, & vmbrâ: Muſica, arithmetica in auditu.

II. Eius partes duæ ſunt: vna de viſibili, altera de viſione.

III. Viſibile eſt corpus radians. Intellige radium opticum, qui eſt ſpecies viſibilis, in oculum incidens.

IV. Viſibile eſt per ſe, vel per accidens. Illud per ſe & immediatè radiat: *hoc*, mediante alio.

V. Viſibile per ſe eſt primarium, vel ſecundarium. *Primarium* eſt, quod primò præcipueque radiat, vt *lux*: *ſecundarium*, quod in luce radiat, vt *color*.

VI. Lux eſt viſibile, quod per ſe videtur, & quod facit vt cætera viſibilia videantur. Atque hæc eſt cauſa, quòd Deus primo die creauerit lucem *Geneſ. 1. verſ. 3.* Lux enim eſt *prima gratia domus*, vt ait *Ambroſius lib. 2. hexaem. cap. 9.* quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu, vt idem ait. Auguſtino dicitur *colorum regina*: & ipſi definitur, quòd *& alia demonſtret, & ſeipſam* tract. 35. in Iohan. Quam definitionem eleganter expreſſit apoſtolus *Eph. 5. verſ. 13.* πᾶν τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι, *lux eſt, quod omnia manifeſtat.* Neque enim φανερούμενον paſſiuâ, ſed mediâ formâ ponitur: quia mens apoſtoli eſt, docere, quemadmodum lux corporalis φανεροποιεῖ, *manifeſta reddit*, corporalia, ita lucem ſpiritualem verbi Dei φανεροποιεῖν, *manifeſtare*, opera impura tenebrarum, vt homines illorum pudeat. Porrò triplex eſt lux corporalis:

lis: infundens & non infusa, vt in sole: infundens & infusa, vt in lunâ & igne: non infundens, sed infusa, vt in aëre. Et sic est spiritualis lux, infundens & non infusa, in Deo: infundens, & infusa, in doctoribus: non infundens, sed infusa, in discipulis & auditoribus.

VII. In luce spectatur effectum & oppositum eius. Effectum lucis est lumen: oppositum, vmbra. *Lumen* est splendor à lucente corpore emissus. Sic lux est in corpore solis: lumen fluit à corpore solis. Vtrumque Græcè φῶς dicitur. Sed Latini hîc sunt exquisitiores. Nam lux ab illis dicta est vis, quæ est in corpore lucido. At huius siue speciem, siue effectum, lumen appellarunt, vt ait *Scaliger exerc. 71. s. 1.* Indoles eius est eadem cum parente, iuxta illud tritum: *Qualis causa, talis effectus.* Hinc in Scripturis præcipua mysteria, nunc lucis, nunc luminis similitudine explicantur: putà mysterium æternæ generationis *Heb. 1.* regenerationis *Iohan. 1.* item natura Dei *1. Iohan. 1.* & similia. Huc pertinet *Vrim Exod. 28. & Leuit. 8. Vmbra* est priuatio lucis: eaque totalis, vel partialis. *Vmbra totalis* est nox: vnde tenebras putant dici, quòd teneant vmbram, & definiunt eas priuationem totius lucis. Hinc vt res sublimes, mysticæ, & lætæ in sacris literis nomine lucis insigniuntur, ita res humiles, turpes, aduersæ, & similes appellantur tenebræ: puta afflictiones, sepulchrum, miseria in inferno, peccatum, cæcitas spiritualis in mente &c. Vide *Iob. 17. v. 12. Psal. 88. ver. 13. Matth. 8. v. 12. 1. Iohan. 1. & 2. Vmbra partialis* est deminutio luminis: vt quam parietes & viridaria faciunt, cum recti lucis radii auertũtur, & obliqui obscuriùs micant. Quibusdam vmbra eleganter definitur affectio aëris lumine aliquo priuati. Varia sunt eius effecta & adiuncta, putà dẽsam esse vel minùs dẽsam, refrigerare, exhilarare vel cõtristare, seruire dimẽsioni corporis &c. Vnde vmbra in Scripturis nunc ꝓ refrigerio & ꝓtectione, nunc ꝓ figurâ quę Christum venturum veluti depinxit, nunc pro re tristi

poni-

ponitur. *Iud. 9. v. 15. Psal. 17. v. 8. Coloss. 2. v. 17. Iob. 3. v. 5.* Ratio harum similitudinum petitur ex his aphorismis. 1. Vmbra est humida & frigida. 2. Pictores faciunt vmbras, vt imagines, quæ planæ sunt, solidæ videantur: quod dicunt adumbrare. 3. Vmbra sequitur figuram corporis. 4. Vmbra diutur nior & crassior est ingrata. Cæterùm varia sunt vmbræ magisteria, inter quæ in vsu quotidiano primas facile tenet *Gnomonica*, quæ docet fabricare sciotherica siue solaria. Nam gnomon in medio amusio collocatur ad vmbras inuestigandas, vt illarum beneficio horæ indagentur. Prout enim incidunt vmbræ vel in medium, vel ad dextram, vel ad siniſtram, ita iudicantut horæ, vel meridiana, vel ante, vel post meridiem. Vmbra meridiana est breuissima, vmbra ante meridiem semper decrescit, post meridiem semper accrescit. Hinc *Iudic. 9. v. 36.* vmbra montis, sole præcipitante, dicitur longè maxima. In Scripturis est celebre horologium solarium Achabi, in quo Deus reduxit vmbram decem gradibus, hoc est, decem semihoris. *2. Reg. 20. vers. 1. Esa. 38. v. 8.* Ita dies, qui duodenas horas æquales continebat, septendecim horarum effectus est. Neque enim verum est, quod scribunt nonnulli Hebræi, vmbram retrocessisse, procedente tamen sole, nec secutam esse vmbram motum solis. Hoc, inquam, falsum est: quia ex *Esa. 38. vers. 8.* colligere licet, vmbram retrocessisse pariter retrocedēte sole. Sed videamus breuiter fabricam solarij Achabi. Erant in eo gradus singuli πρὸς τὸ ἡμιώριον, ad semihoras notandas constituti. Solarium enim diurnum apud Iudæos indicabat horas duodenas. Iam vero Deus per propheram ita dicit Achabo: *Hoc ipsum tibi esto signum à Iehouâ, facturum esse Iehouam rem, quam locutus est: abeatne ista vmbra decem gradibus, an retrocedat decem gradibus.* Quæ duplicatio numeri denarij euincit gradus fuisse ἡμιωρίας, h. e. solarium indicasse semihoras vicenas quaternas, quarum gradus totidem commatis fuerint distincti, ita vt vmbra per sciatheram siue gnomona secundùm solis cursum peruaserit omnia

comma-

commata, siue, vt propheta appellat, gradus solarij.

VIII. Color est visibile, quod speciem sui in luce immediatè diffundit. Vitelloni eleganter dicitur *lux incorporata*. Est autem color simplex, vel mixtus. *Color simplex* est, qui non componitur ex alio colore, & ex quo reliqui omnes componuntur. Dicitur aliâs primarius & extremus. Eiusmodi sunt albedo & nigredo. In illâ est plus lucis, in hâc plus vmbræ. Hinc albedo in sacris est symbolum iustitiæ & lętitiæ *Apoc.* 1. 3. 4. 6. 7. nigredo peccati & afflictionis *Cant.* 1. *vers.* 5. 6. *Color mixtus* est, qui componitur ex simplicibus. Dicitur aliâs compositus, secundarius, & intermedius. Eiusmodi sunt rubedo, flauedo, & reliqui omnes præter album & nigrum.

IX. Visibile per accidens est, quidquid per lucem & colorem videtur. Eiusmodi sunt magnitudo, numerus, continuitas, separatio, distantia, & situs, in prædicamento quantitatis: figura, identitas, æqualitas, similitudo, diuersitas, inæqualitas, dissimilitudo, asperitas, læuitas, raritas, densitas, pulchritudo, diaphanitas, in prædicamento qualitatis: motus, in prædicamento actionis & passionis: denique visibilia priuatiua, vt vmbra, obscuritas, quies, deformitas.

X. Visio est actio videntis, & passio visi.

XI. Visio consideratur in genere, & in specie.

XII. Visio in genere consideratur ratione causæ efficientis & formæ. *Causa efficiens visionis* (quantum quidem ad Opticam) est medium perspicuum, radius visiuus, & figura optica. *Medium perspicuum*, vulgo diaphanum, est corpus pellucidum, radiis peruium: puta aër, aqua, vitrum, crystallus, cornu, glacies, & gemmæ quædam. Hîc meritò admiramur sapientiam Dei opificis, qui aërem ita creauit, vt infinitas rerum species seruare possit impermixtas. *Radius visiuus* est species intentionalis siue imago rei visibilis, per medium perspicuum transiens. Huius radij velocitas, quâ fertur in instanti, &

ſubtilitas, quâ non implet aërem, egregiè ob oculos ponit naturam ſpirituum. *Figura optica* eſt pyramis, cuius vertex eſt in centro oculi, baſis in re viſibili. Dicitur pyramis, non quòd ſemper ſit talis, ſed quòd cum iſtâ figurâ ſemper habeat cognationem. *Forma viſionis* eſt applicatio radij ad oculum, omnibus rectè ſe habentibus: ita nempe vt oculus ſit ſanus, magnitudo rei viſibilis ſit conueniens, diſtantia proportionata, medium purum & illuminatum, denique viſibile rectè collocatum ante ſenſorium. Hæc viſionis natura egregiè illuſtrat res ſpirituales & mentales. Vnde in ſacris literis cognitio, prouidentia Dei, beatitudo, & ſimilia figurantur hoc nomine. Ita Deus vidit ſua opera eſſe bona *Gen.* 1. videt res noſtras *Pſalm.* 33. videtur à ſanctis in cœlo 1. *Cor.* 13.

XIII. Viſio in ſpecie eſt vera vel falſa, & vtraque ſimplex vel compoſita. *Viſio vera* eſt, quâ viſibile, vti eſt, percipitur. Sic corpus Chriſti poſt reſurrectionem verè fuit viſum à diſcipulis *Luc.* 24. *Iohan.* 20. *Viſio falſa* eſt, quâ viſibile percipitur non ita vt eſt. Sic præſtigiatores Pharaonis *Exod.* 7. oculos Ægyptiorum menteſque præſtinguebant, id eſt, obtenebrabant, vt non poſſent ipſorum impoſturas videre & animaduertere. Huc quoq; pertinent præſtigiæ circulatorum, quæ agilitate manuum procurantur. *Viſio ſimplex* eſt, quæ fit per radium rectum, qui dicitur perpendicularis & incidentiæ. Ita videmus ſolem, lunam, arbores, animalia. Atque hæc viſio eſt magiſtra eruditionis certiſſima. *Pſal.* 8. *Viſio compoſita* eſt, quæ fit per duos radios, vnum rectum, alterum obliquum. Eſtque reflexa, vel refracta. *Viſio reflexa* eſt, quæ fit per radium repercuſſum in idem medium. Ea eſt obſcurior, vel manifeſtior. *Illa* eſt, cùm reflectitur tantùm lux & color, vt quando radij ſolis à terrâ reflectuntur, & lux in angulis ædium repercutitur: *hæc* eſt, cùm præter lucem & colorē reflectitur imago, vt in ſpeculo: quod ita dictum eſt, quia in eo ſpecimus imaginem. *Speculum* eſt naturale, vt oculus, ſtella, gemma, chalybs, cryſtallus, marmor, aqua, &

aër

aêr denſus: vel artificiale, quod fit ex vitro vel metallo, putà ære. Speculorum æneorum mentio fit *Exod.* 38. *v.* 8. vbi dicitur labrum chalybeum altaris holocauſti fuiſſe factum è *ſpeculis mulierum* turmatim conuenientium, & afferentium ſpecula ſua pro munere ſpontaneo tabernaculi. Vſus ſpeculorum eſt ciuilis, militaris, & moralis. Vſus ciuilis eſt, vt contemplemur faciem in ſpeculis, & ritè nos ornemus. *Iacob.* 1. *verſ.* 23. Vſus militaris eſt, vt ſpeculis ad hunc finem paratis incendamus res hoſtium. Vſus moralis eſt, vt animam noſtram contemplemur in ſpeculo proprietatum Dei & vitæ Chriſti, atque ita ex ipsâ faciamus ſpeculum virtutis, in quo reſplendeat ſacroſancta Trinitas: item, vt creaturas Dei habeamus pro ſpeculis maieſtatis eius: denique vt meminerimus, cognitionem, quâ Deum cognoſcimus in hâc vitâ, fieri velut in ſpeculo & vmbrâ. 1. *Cor.* 13. *v.* 12. Huc pertinet, quod *Sap.* 7. *verſ.* 26. dicitur de ſapientiâ: Ἀπαύγασμα γάρ ἐστιν φωτὸς ἀϊδίου, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, *Splendor enim eſt lucis æternæ, atque ſpeculum virtutis Dei, nullâ maculâ aſperſum, eiuſq; imago bonitatis.* Neque etiam illud hoc loco eſt ſilentio prætereundum, ſpeculorum mirabilem reflexionem aliquo modo nos docere, quomodo ideæ omnium rerum ſint in Deo. Nam quemadmodum in paruo ſpeculo imagines infinitarum & maximarum rerum ſine aliquâ ſpeculi vel compoſitione, vel læſione, vel contaminatione, diſtinctè ac eleganter relucent: ita in Deo, tanquam ſpeculo magno huius mundi, reſplendent ideæ rerum omnium modo eminentiſſimo. *Viſio refracta* eſt, quæ fit per radium repercuſſum in diuerſum medium: vt cùm pomum vel litera videtur per vitrum ſiue conſpicillum. Hæc viſio docet nos naturam præconceptæ opinionis. Nam quemadmodum res viſæ per duplex medium videntur maiores, & aſſumunt colorẽ medij, putà vitri viridis aut rubicundi: ſic præcõceptæ opiniones faciunt, vt noſtra nobis Helena videatur formoſiſſima. Cæterùm refractionis exemplum lõngè pul-

cherrimum habemus in iride tum ſolari, tum lunari. Nam *iris* eſt ſpecies lucis radiantis, quæ à vario ſiue diuerſo medio variè obliquata varium colorem repræſentat, ita vt in eâ ſit miſtio reflexionis & refractionis, eaque longè pulcherrima. Sunt autem tres primarij colores iridis, purpureus ſeu puniceus, viridis, & cœruleus. Ex his purpureus notat conflagrationem mundi per ignem; viridis, paradiſum cœleſtem; cœruleus, aquam diluuij, vt piæ antiquitati placuit. Quoties itaque arcum illum verſicolorem intuemur, nobis in mentem veniet trium iſtorum. Quâ quidem obſeruatione Opticam ſacram cõcludimus, & ſtudioſum rerum Opticarum hoc ſtudioſè monemus, vt diligentem inſtituat collationem huius ſcientiæ cum rebus ſupernaturalibus, ſpiritualibus & moralibus, adeoque cum theologiâ, pneumaticâ, & ethicâ.

XVI.

MVSICA SACRA.

I. MVſica ſacra eſt ars bene canendi ex S. literis illuſtrata.


II. Eſtque vocalis, vel inſtrumentalis. Muſica eſt ars canendi, ſiue inſtrumentis naturalibus, vt pulmonibus, gutture, linguâ, palato, dentibus, labris: ſiue artificialibus, vt quæ tactu, pulſu, vel flatu ſonant. Vtrobique igitur ſunt inſtrumenta. Verùm quando muſica diuiditur in vocalem & inſtrumentalem, vox opponitur inſtrumentis ſiue organis arte factis. Cæterùm hæc muſicæ dichotomia fundata eſt hinc inde in Pſalmis, vbi שִׁיר ſignificat odam ſiue canticum voce canendum, מִזְמוֹר Pſalmum ſiue canticum organo canendum. Vide *Pſal.* 3. & 45. Sæpe miſcetur muſica vocalis cum inſtrumentali. Vnde quidam Pſalmi habent hanc inſcriptionem שִׁיר מִזְמוֹר ψαλμὸς ᾠδῆς, vt reddunt LXX. i. e. *Pſalmus cantici.*

Alibi

Alibi invertuntur hæ voces. Ex Horatio dices *verba sociãda chordis*; qualia erant carmina lyrica. Vide *Psalm.* 30. 48. Quidam Hebræi sic ad notant ad hos psalmos. *Psalmus* est sonus organi cessante voce humanâ: *Canticum* est modulatio vocis sine concinente organo: *Canticum Psalmi* est, cùm vox humana sequitur concentum organi: *Psalmus cantici*, vbi contra.

III. Musica vocalis est, quæ docet canere ore. Qualis hæc fuerit apud Iudæos, non est memoriæ proditum. *Suidas* in historiâ ὑπαπίας scribit, Musicam circa Arcadij tempora concidisse, cùm quidem Hebræorũ Musica multò ante cum ipsâ politiâ Iudaicâ exoleuisset. Cum hâc quoque, metri, quod in Psalmis Dauidis & alijs libris sacris adhibitum fuit, rationem omnem amissam esse non est dubium. Interim tamen vt in Poëticâ, sic quoque in Musicâ possunt probabiliter quædam colligi ex sacris literis, & quidem hoc modo. 1. *Vetustißmus fuit mos præcinendi & accinendi, & quidem carmen amœbeum.* Id colligere est ex *cap.* 15. *Exod.* vbi Moses præcinuit canticum, virorum choro succinente; & Maria soror Mosis præcinuit idem canticum, mulieribus accinentibus. 2. *Inter musicos debet esse princeps siue præcentor & director.* Hic in Psalmis hinc inde appellatur מְנַצֵּחַ i. e. victor, præfectus cantorum, magister symphoniæ. 3. *Symphonia est acuta, vel grauis.* Symphonia acuta musicis dicitur alta & superior. Veteres vocabant sonos synemmenos, diazeugmenos, & hyperbolæos: qui soni optimè vocibus virginũ referuntur. Vnde Hebræi symphoniam istam eleganter appellant virgineã. 1. *Chron.* 15. *v.* 20. *Ps.* 46. *v.* 1. בְּנַבְלִים עַל עֲלָמוֹת *in nablijs super virgines*, h. e. cum nablijs virgineæ siue acutæ symphoniæ. Hoc genus Musices Dores vocarunt παρθένειον. *Symphonia grauis* musicis nostratibus dicitur bassus & tenor, veteribus, hypate & mese, id est, imus & medius sonus. Hebræi eleganter vocant עַל הַשְּׁמִינִית לְנַצֵּחַ 1. *Chr.* 15. *vers.* 21. *Psal.* 6. *vers.* 1. *super octauam ad vincendum*, i. e. ad

obtinendum ſiue præualendum in cantu, ſiue, ad attollendam vocem ita vt vincantur alij. Eodem ſenſu muſicis dicitur octaua, & diapasôn. Prius genus pleriumque in Chromate poſitum eſt ſecundo genere muſices: poſterius, tertio. Hâc de re accipe ſequentem typum.



Hoc ſchema eſt fundamentum muſicæ vtriuſque, tum vocalis, tum inſtrumentalis. 4. *Ad cantum ritè inſtituendum requiruntur certi modi.* Tales vulgo numerantur duodecim, è quibus ſex ſunt principes, putà Dorius, Phrygius, Lydius, Mixolydius, Aeolius, & Ionicus: & totidem ſubditi, vt putà Hypodorius, Hypophrygius, Hypolydius, Hypomixolydius, Hypoæolius, & Hypoionicus. Hi modi ſunt certiſſimus canon cantilenæ cuiuſque.

Exiſti-

Existimarim Hebræos habuisse aliquid simile, hoc modo. In Psalmis hinc inde occurrunt certæ inscriptiones, quæ proculdubio notant initium cantilenæ & tonũ musicum, ad cuius melodiam psalmus iste, cui titulus ille præscribitur, sit decantatus. e. g. *Psalmus quintus* habet istã inscriptionem: לַמְנַצֵּחַ אֶל הַנְּחִילוֹת מִזְמוֹר *Magistro symphoniæ super Nechiloth Psalmus* q. d. Psalmus traditus magistro symphoniæ, vt decantetur iuxta tonum siue modum *Nechiloth*, id est, cantionis, quæ sic incipit, & ita dicitur à sono apum, quem imitari debet, sicut si aliquis bombum appellet. *Psalmus sextus* ita inscribitur: לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹת עַל הַשְּׁמִינִית מִזְמוֹר *Magistro symphoniæ fidium super octauam Psalmus* q. d. Psalmus traditus præfecto symphoniæ seu præcentori (dem Kapellenmeister) vt decantetur iuxta modum octauæ. Octauus autem sonus in musicâ est intentissimus. *Psalmus septimus* ita inscribitur שִׁגָּיוֹן לְדָוִד *Ode erratica, siue varia, Dauidis.* h. e. Psalmus decantandus tono instabili: ita vt *Siggaion* sit nomen cantionis certæ speciei, ad varios & instabiles modos siue tonos factæ, quæ vsurpabatur in magnis animi perturbationibus & angustiis, vbi vni rei, sermoni & tono non insistitur, sed ab alio ad alium transcurritur. *Psalmus octauus* talem habet epigraphen: לַמְנַצֵּחַ עַל הַגִּתִּית מִזְמוֹר h. e. *Victori seu magistro symphoniæ super Haggitthith Psalmus.* q. d. Psalmus decantandus iuxta melodiam quæ *Gitthith* dicitur. Confer *Psal.* 81. 84. *Psalmus nonus* ita inscribitur: לַמְנַצֵּחַ עַל מוּת לַבֵּן מִזְמוֹר h. e. *Victori super Muthlabben psalmus.* q. d. Psalmus decantandus ad modos cantilenæ, quæ dicitur *Muthlabben. Psalmus decimussextus* inscribitur ita: מִכְתָּם לְדָוִד *Michtam Dauid* i. e. Psalmus decantandus iuxta modulos cantilenæ, quæ incipit *Michtam. Psalmus* 22. talem habet titulum: לַמְנַצֵּחַ עַל אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר מִזְמוֹר id est, *Magistro symphoniæ super ceruam matutinam Psalmus.* q. d. Psalmus datus magistro symphoniæ, vt decantetur ad modos cantilenæ vulgaris, cuius initium erat, *Cerua matutina. Psalmus* 32. ita inscribitur: לְדָוִד מַשְׂכִּיל *Dauidis erudiens* h. e. Psalmus decantandus ad

modos carminis & harmoniæ, cuius nomen est *Mascil*. *Psalmus* 38. sic inscribitur : מִזְמוֹר לְדָוִד לְהַזְכִּיר *Psalmus Dauidis ad commemorandum* h. e. decantatus ad modos carminis vulgaris, cuius initium fuit לְהַזְכִּיר? Vide quoq; *Ps.* 70. *Psalmus* 45. inscribitur : עַל שֹׁשַׁנִּים *Super Schoschannim*; quæ vox fuit principium cantici alicuius vulgaris, ad cuius modulos decantatus fuit iste Psalmus. Confer *Psal.* 69. & 80. *Psalmus* 35. inscribitur עַל־מַחֲלַת *Super Machalath*: quę vox fuit initium cantilenæ vulgaris, ad cuius modos decantatus fuit hic Psalmus. Additur autem מַשְׂכִּיל, vt significetur melodiam huius Psalmi fuisse mixtam siue compositam ex *Machalath & Mascil*. Confer *Psal.* 88. Idem iudicium est de *Psalmo* 56. qui fuit decantatus ad melodiam compositam ex cantilenâ *Ionath Elem* h. e. columbæ taciturnæ, & *Michtam*, h. e. insignis aureoli. Idem quoque iudicium est de *Psalmo* 57. qui fuit decantatus ad melodiam cantilenæ *Al-Tascheth*, *Neperdas*, & *Michtam*. Confer cum *Psal* 58. 59. Similiter *Psalmus* 60. fuit decantatus ad modos cantilenæ *Susan Ngeduth*, i. e. *Rosa testimonij*, & *Michtam*. Porrò *Psalmus* 75. fuit decantatus ad modos cantilenæ tritæ, cuius initium fuit, *Al Tascheth*, *Neperdas*. Sunt etiam Psalmi, qui incipiunt ab *Haleluiah*, vt *Psal.* 106. 111. & alij. Quo innuitur illos esse decantatos ad modulos cantilenæ sic incipientis. Denique sunt quindecim Psalmi à 120. vsque ad 135. qui inscribuntur *Maaloth* i. e. ascensionum siue graduum. Quo significatur, Psalmos istos esse decantatos ad numeros cantionis, cuius initium fuit *Maaloth*. Et hæc est nostra sententia de inscriptionibus Psalmorum. Alij putant, his vocibus denotari certa instrumenta musica, super quæ decantati fuerint isti Psalmi: alij alia commiiiscuntur. Sed nostra sententia est simpliciſſima, & doctiſſimis interpretibus approbata. Oportet autem illud non oscitanter tenere: videl. nomina modorum exprimere naturam melodiæ & rerum decantandarum, e. g. *Nechiloth* exprimit sonum apum : *Scheminith*, sonum acutum octauæ : *Siggaion*, varietatem toni : *Haggitrith*,

gittith, melodiam in vrbe Gath celebrem: *Muthlabben*, epinicion ſuper morte improbi alicuius hoſtis proſtrati decantatum: *Michtam*, melodiam cantilenæ inſtar auri pretioſæ &c. 5. *Melodia Hebræorum videtur gubernata fuiſſe accentibus.* Ita ſtatuit Elias in Maſſoreth. Sicut enim in Romanis eccleſiis hymni iuxta diſpoſitionem characterum ſiue notularum cantantur: ita veriſimile eſt, Hebræos loco iſtorum apicum vſos fuiſſe accentibus. Neque eſt, quòd aliquis obiiciat, accentus à Maſſoritis demum fuiſſe inuentos. Cum enim in libro Zohar (qui omnium Hebræorum conſenſu ante Maſſoritas & editum Talmud conſcriptus eſt) fiat mentio punctorum & accentuum, vt ſunt *Chirek*, *Cholem*, *Schurek*, *Sægol*, *Tzere*, *Scheua*, *Sægolta*, *Makkaph*, *Sarka*, *Schopharholech*: neceſſe eſt puncta & accentus longè antiquioris eſſe proſapiæ. Cęterùm ſunt, qui talem accentuum tenorem commemorant:

Toni regum nouendecim.



Toni miniſtrorum vndecim.



Hæc, inquam, traditur à quibuſdam fuiſſe ratio melodiæ Hebraicæ. Verùm enimuerò nimis incondita, & proinde grauitate, amplitudine, ſuauitate & ſanctitate librorum ſacrorum indigna videtur hæc muſica.

IV. Muſica inſtrumentalis eſt, quæ docet canere organis hanc ad rem aptis. Moſes *Gen.4.v.21.* nominibus *citharæ & organi* ſynecdochicè comprehendit omnia inſtrumenta muſica; tum ψιλαφατὰ, quæ alijs dicuntur ἔντατα & καταπατά, quæ fidibus conſtant & manu tanguntur, vt citharæ, nablia, tympana: tum πνευμαλικὰ ſiue ἔμπνευστα, quæ digitis ventoue mouentur, vt tubæ, buccinæ, tibiæ, & ſimilia organa. Apparatus huiuſmodi inſtrumentorum eſt infinitus. Confer *Pſalm.* 150. cum 1. *Chron.* 15. *verſ.* 16. *& ſeqq. Dan.* 3. *v.* 10. Paſſim quoque fit mentio buc inæ: vt *Exod.*19. *Leuit.* 25. *Ioſ.* 6. Vſus organorum iſtorum, vt & totius muſicæ, debet eſſe triplex. *Primus* & præcipuus eſt, vt Deus celebretur voce & organis. Atque

que hæc cauſa fuit, quòd in cultu legali adhibita fuerunt diuerſa organa: vt admonerentur non in aliis rebus friuolis & ineptis, vt mundus facere ſolet, ſed in celebratione beneficiorum Dei oblectationes animorum eſſe quærendas, atque huc ſtudium omne eſſe referendum *Pſal.* 148. Et quemadmodum ſunt varia Dei beneficia: ſic noſtrum eſt ſubinde noua & varij generis carmina condere, & concinere, tum voce, tum organis, in laudem & honorem Dei, & domi, & in templo, & in campo. Neque verò hoc modo pædagogia & infantia veteris populi veluti poſtliminio introducitur. Non enim apparatum Leuiticæ muſicæ in templa noſtra inuehimus, ſed quantum excitandis animis ſatis eſt adhiberi volumus. *Coloſſ.* 3. *v.* 16. *Deinde* muſica debet ſeruire moderatæ hilaritati, & profligandæ melancholiæ. 1. *Sam.* 16. *v.* 16. 23. *Denique* harmonia muſica debet nobis in memoriam redigere harmoniam illam mundi, quæ cernitur inter cœlum & elementa, inter facultates animæ, inter corpus & animam, inter qualitates corporis: item egregiam illam harmoniam, quæ fuit in homine, & inter hominem atq; reliquas creaturas ante lapſum, quæque erit in alterâ vitâ. Vide quæ ſub finem Poëticæ diſſeruimus ex Athanaſio de vtilitate numerorum poëticorum. Vno verbo: Muſica & harmonia, quæ cernitur in cantilenis, organis muſicis, & vocibus auicularum muſicarum, nos admonere debet de harmoniâ precum & virtutum.

XVII.

ARCHITECTONICA SACRA.

I. ARchitectonica ſacra eſt bene ædificandi ſcientia ex S. literis illuſtrata.

II. Eius partes duæ ſunt: prima, de affectionibus, altera, de exemplari operis extruendi.

Opor-

Oportet enim in omni opere hæc duo expendere: quale debeat esse, & cui exemplari debeat esse conforme.

III. Affectiones operis extruendi sunt tres: videl. Firmitas, Symmetria, & Eurythmia. *Firmitas* est, quâ opus est stabile & diuturnum. *Symmetria* est, quâ partes cum toto & inter sese certâ proportione congruunt. *Eurythmia* est, quâ singulæ partes habent venustum commodumque aspectum. Hæc tria occurrunt in vasto illo mundi opificio & singulis eius partibus. Videmus enim cœlum & terram, omniaque corpora in iis contenta, ita esse à Deo creata, vt sint stabilia, & certâ proportione prædita, & deniq; venustâ specie oblectent aspectum. Vide *Gen.* 1.

IV. Exemplar operis extruendi est partim naturale, partim artificiale.

V. Exemplar naturale est vniuersus hic mundus. Deus siquidem ita architectatus est hunc mundum aspectabilem, vt in eo nihil possit desiderari. Merito itaq; opus hoc omnibus numeris absolutum habetur pro exemplari, in quod intueri debet quilibet architectus. Neque dubium est, primos architectos ex intuitu admirandi huius operis deuenisse ad artis suæ rudimentum & complementum. Videmus enim artem in omnibus imitari naturam.

VI. Exemplar artificiale est opus certo quodam artis ductu extructum: cuiusmodi exemplaria in Scripturis sunt multa: videlicet arca Noë, tabernaculum Mosis, vrbs Hierosolyma, templum Salomonis, templum Ezechielis mysticum, & cœlestis Hierosolyma in Apocalypsi. Hæc enim ita sunt comparata, vt in singulis aliquid occurrat, quod architecto possit esse vtile. Nos itaque percurremus singula, & illa habebimus loco quinque columm-

lumnarum, quæ vulgo id ſunt architectis, quod modi ſunt muſicis, & carminum genera poëtis.

VII. Arca Noë eſt primum exemplar, in quo notanda ſunt tria: videl. magnitudo, forma exterior, & interior ipſius diſpoſitio. *Magnitudo*, ſiue menſura, his verbis deſcribitur *Gen. 6. v. 15. Trecentorum cubitorum erit longitudo eius, quinquaginta cubitorum latitudo eius, & triginta cubitorum altitudo ipſius.* Et talis (inquit *Auguſtinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 26.*) eſt humani corporis ſupinè iacentis proportio: ſiquidem longitudo eius eſt ſexcupla ad latitudinem, decupla verò ad altitudinem ſeu profunditatem, ſi rectâ lineâ longitudinem eius dimetiamur à ſummo vertice ad pedum plantas, latitudinem ab extremitate alterius humeri ad alterum, & profunditatem à ſummitate pectoris ad dorſi ſuperficiem. Hîc incidit quæſtio, quales cubiti hoc loco intelligantur, num geometrici, vel humani? Ego exiſtimo fuiſſe humanos ſeu vulgares, & aio cubitum talem complecti digitos trâsverſales 24. ita vt ſit ſeſquipedalis: quâ de re vide ſuprà in Geometricis. Hâc ratione arca neque nimis vaſta, neque nimis anguſta fuiſſe deprehendetur. Etenim ſi multiplices 300. longitudinis cubitos per 50. latitudinis, reſultabunt quindecim millia cubitorum quadratorum in baſi arcæ, ita vt τὸ ἐπίπεδον, *planum*, ſiue area, cuiuſque contignationis fuerit eius magnitudinis. Quod ſanè ſpatium eſt ampliſſimum. Rurſus ſi 15000. iſti cubiti multiplicentur per 30. cubitos altitudinis, efficiẽt ſummam quadringentorum quinquaginta millium cuborum, ſeu quadratorum ſolidorum. Quod ſpatium proculdubio poterat abundè ſufficere pro cunctis illis animalibus, eſciſque ipſorum commodè continendis. *Forma*, ſiue figura, arcæ fuit κεκορυφωμένη ſeu καμαρωτή, *camerata*, ita vt tectum altitudine vnius cubiti aſſurrexerit ſupra 30. cubitos altitudinis, & ſubgrunda ſimiliter omni ex parte in cubitum vnum proiecta extiterit, ad arcendas ab arcâ feneſtriſque

illius

illius pluuias. Id probatur ex *vers.* 16. *In cubiti longitudinem consummato eius tectum supernè, ostiumque arcæ in latere ipsius ponito.* Per subgrundam intellige partes tecti prominentes. *Dispositio arcæ interior* fuit trium cœnaculorum siue mãsionum principalium *vers.* 16. è quibus infima proculdubio fuit destinata animalibus quadrupedibus, mediana hominibus & omnis generis commeatui, suprema auibus. Singulæ istæ contignationes mansiones fuerunt subdiuisæ in mansiunculas complures siue sepra varia, quæ Græcis dicuntur καλιαὶ. *vers.* 14. Tota denique arca fuit fenestrata luculentissimè *vers.* 16. Quæritur etiam de ligno Gopher, materiâ arcæ, qualenam illud fuerit? Probabile autem videtur plerisq; interpretibus, fuisse cupressum vel cedrum, & quidem cupressum potiùs quàm cedrum: quia cupressus non sentit vetustatem, rimam fissuramq; non capit, denique teredines propter innatam amaritudinem non patitur. In eximiam hanc cupressinæ materiæ perpetuitatem apprimè conuenit, quod *Epiphanius aduers. hæres. lib.* 1. scribit, reliquias arcæ Noë ad suam vsque ætatem visendas perdurasse.

VIII. In tabernaculo fœderis, à Mose fabricato, oportet considerare magnitudinem & partes in eo contentas. *Magnitudo tabernaculi* quibusdam videtur fuisse figuræ quadratæ, ita vt in longitudine, latitudine, & altitudine habuerit decem cubitos. Nobis autem videtur fuisse talis. Longitudo fuit 30. cubitorum, latitudo 10. altitudo itidem 10. ita vt fuerit tota longitudo tripla ad eius latitudinem. *Exod.* 26. *v.* 16. vnde sic colligo. Si tabulæ omnes erectæ habebant altitudinis 10. cubitos, vtique tabernaculi altitudo fuit 10. tantùm cubitorum. Et, si tabulata lateralia habebant singula viginti tabulas, latas $1\frac{1}{2}$. cubitum, sanè tota longitudo tabernaculi fuit 30. cubitorum. Latitudo sine dubio fuit æqualis altitudini, vt esset conueniens proportio. Interpretes huic rationi è textu petitæ addunt, Salomonem diuino instinctu templum

plum ſuum, non quidem ad menſuram, ſed tamen ad proportionem tabernaculi, quod erat templum quoddam portatile, ad peregrinantis populi commodum, extruxiſſe. Nam ſicut in tabernaculo tripla fuit tota longitudo ad eius latitudinem, ita in templo eadem fuit obſeruata proportio. Templum enim erat longitudinis 60. cubitorum, latitudinis verò 20. Fuit itaque tum longitudo, tum latitudo templi dupla ad longitudinem, & latitudinem tabernaculi. *Partes contentæ*, erant vel in anteriori parte, quæ communiter *Sanctum* dicitur, vel in poſteriori, quæ *Sanctum ſanctorum* appellatur. Partes in his duobus locis contentæ, fuerunt tantâ magnitudine, quãtam & decoris ratio, & magnitudo rerum iis imponendarum vel includendarum requirebat.

IX. In vrbe Hieroſolymâ occurrunt iſta tria: locus naturâ & arte munitus, amplitudo, & magnificentia. Hinc tories fit huius vrbis mentio in ſacris. Vide prolixas ipſius deſcriptiones apud alios.

X. In templo Salomonis ſpectatur magnitudo & ornatus. *Magnitudo* templi ex partibus colligitur, quæ fuerunt numero tres. Prima pars appellatur Porticus & Veſtibulum: ſecunda poſt Porticum, Domus exterior, Templum, & Sanctum: tertia, omnium intima, Oraculum, Sanctum ſanctorum, & Domus ſanctiſſima. Ex his partibus *tertia* in longitudine & latitudine erat 20. cubitorum, & totidem in altitudine, quantum ad partem internam. 1. *Reg.* 6. *v.* 20. Sanctum itaque ſanctorum intrinſecùs fuit quadratum. Extrinſecùs autem altitudo eius vulgo putatur fuiſſe cubitorum 120. quæ dicitur fuiſſe altitudo porticus 2. *Chron.* 3. *v.* 4. ita vt ſanctum ſanctorũ & ſanctum fuerint eiuſdem cum porticu altitudinis: niſi malis cum quibuſdam dicere porticum ante templũ fuiſſe veluti turrim quandam editiſſimam, ita vt ſanctum & ſanctum ſanctorum non fuerint eiuſdem altitudinis cum porticu. *Secunda* erat longitudinis 40. cubitorum, latitudinis

dinis 20. altitudinis iuxta opinionem communem 120. extrinsecùs, 30. intrinsecùs. 1. *Reg.* 6. *v.* 2. *Prima* erat longitudinis 20. cubitorum, & latitudinis 10, 1. *Reg.* 6. *ver.* 3. altitudinis 120. 2. *Chron.* 3. *vers.* 4. Porrò hîc intelligendi sunt cubiti sacri siue primarij: quia illorum vsus erat in dimetiendis ædificijs sacris. 2. *Chron.* 3. *v.* 3. Ex his intelligere est, solum templi habuisse figuram ἑπερομήκους i.e. *oblongi*, & quidem talis oblongi, cuius longitudo triplo erat maior quàm latitudo. De atrijs quæritur, quot fuerint? Sunt enim qui quatuor commemorant. Sed ex 2. *Reg.* 21. *v.* 5. liquidò liquet, duo solùm fuisse atria, quorum vnum fuit exterius & maius, pro populo, alterum interius & minus, pro sacerdotibus. 1. *Reg.* 6. *Ornatus* templi fuit longè magnificentissimus, & hodiè ἀμίμητον.

XI. Templum Ezechielis (vt & vrbs ipsius) totam architectonicen ponit ob oculos. Vide *Ezech.* 40. vsque ad finem libri, & obserua proportionem elegantissimam, firmitatem longè maximam, ornatum excellentissimum, & denique varietatem domunculaṙ in templo, vrbisque amplitudinem. Tametsi enim hæc omnia sunt figura corporis Christi, hoc est, ecclesiæ ipsius: tamen nihil impedit, quo minùs etiam artificium architectonicum inde possit peti.

XII. Hierosolyma ὑπερουράνιον Apoc. 21. sequentia documenta architectonica exhibet. 1. Res, quæ proposita est architecto, debet esse iustæ magnitudinis, vt scil. sit accommodata iis vsibus, quibus destinatur. *vers.* 10. 2. Requiritur ornatus conueniens. *v.* 11. itemque lux. *ibid.* 3. Oportet adesse debitam proportionem, munditiem, & firmitatem. *v.* 11. 12. 4. Quadrata figura valde conuenit iis rebus, quæ debent esse immota, vel stabilia. *vers.* 16. Vbi nec illud est silendum, quadro inesse suam perfectionem: vnde illæ loquendi formulæ, *Redigere in quadrum*, *Quadrare*, *Quadratus*. Æqualitas laterum etiam commendat quadratum. Capacitas quoque

exi-

eximiâ inuenitur in huiusmodi figurâ. Sic d. l. dicitur lõgitudo cœlestis Hierosolymæ esse 12000. stadiorum, latitudo similiter 12000. stad. & altitudo totidem. Area itaque ipsius complectitur stadia 144000000. quæ multiplicata per stadia 12000. exhibent 1728000000000. cubica stadia, è quibus singula sufficerent continendis alicuius prouinciæ satis populosæ incolis. Vnde intelligere est, cœlestem Hierosolymam abundè sufficere ad excipiendum omnes omnino electos.

XIII. Praxis eorum, quæ hactenus sunt tradita, continetur his aphorismis. 1. Architectus sibi ꝓponat schemata siue typos arcę Noë, tabernaculi Mosis, vrbis Hierusalem, templi Salomonis, tẽpli Ezechielis, & cœlestis Hierosolymæ: prout figuræ istæ à doctissimis viris sunt editæ, putà à Villalpando, Torniello, Lauatero, & similibus. Proponat, inquam, sibi, & ichnographiam, den Grundriß / & orthographiam, den Auffriß. 2. Accuratè obseruet proportiones, ornatum, amplitudinem, & similia, prout in sacris literis describuntur. 3. Partes contentas & ornatum quoque diligenter obseruet, atque super istis rebus varias doctorum sententias expendat. Sic v. g. 1. *Reg.* 6. *v.* 4. de fenestris templi legimus, Salomonem illas fecisse שְׁקֻפִים אֲטֻמִים. Quidam vertunt, *prospectui accommodas, clausas*, & priorem vocem interpretantur, è lato contractas vtrinque vsque ad mediam crassitiem muri, vt eâ ratione lux commodiùs vtrinque immitteretur: posteriorem vocem ita explicant, vt dicant, fuisse vitreas. Alij vertunt, *apertas clausas*, siue *prospectum clausorum*, i. e. laxiores intrinsecùs, quàm extrinsecùs, seù latas intrinsecùs, angustas extrinsecùs. Sunt, qui reddunt, *obliquas*, h. e. introrsum angustiores, extrorsum verò latiores, vt multum lucis accipientes in templum inuehe-rent. Alij verò fenestras intelligũt factas in modum retis, hoc est, reticulatas, quales solent esse cancelli. *Lutherus* ad hunc locum sic adnotat: Die Fenſter ſo inwendig weit/ vnnd außwendig enge ſind / da kan man nicht wol noch

viel hinein ſehen / aber ſehr wol vnnd viel herauß ſehen. Solches reimet ſich fein mit dem myſterio, Spiritualis homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Ein geiſtlicher Menſch kennet alles / vnnd ſiehet wol auß / aber niemandt kennet jhn. Das iſt meines achtens / daß der Text ſpricht / die Fenſter am Hauße waren offen vnnd zu / mir hinnen ſind ſie offen / dir drauſſen ſind ſie zu. 4. Poſtquam architectus ſatis expendit ſacra exemplaria, delineet ſuum opus. Delineatio iſta vſitatè appellatur *graphis*, cuius partes ſunt numero tres. Prima eſt *ichnographia*, quæ eſt a[illegible]æ iacentis deſcriptio, futuri operis ſpecimen exhibens. Vulgo appellant *formam planam*, Itali, *plantam*, Germani den Grundriß. Hinc phraſis, in Grund legen. Ichnographia iſta fit ope circini & regulæ. Secunda graphidis pars eſt *orthographia*, quæ eſt frontis ipſius, hoc eſt, ædificij frontem attollentis, ſiue ſubrecti, delineatio, externam operis diſpoſitionem ob oculos ponens. Italis dicitur *fronte*, Germanis der Auffriß. Tertia pars graphidis eſt *ſciagraphia*, ſeu *ſcenographia*, quæ eſt internæ partis delineatio. Italis dicitur *profilo*. 5. Architectonicæ ſtudioſus & magiſter ſic verſetur in contemplatione tum exemplarium ſacrorum, tum aliorum operum, vt illa transferat ad inſtitutionem moralem & ſpiritualem: ita nempe, vt diſpiciat, quomodo ædificia & ſimilia opera pulchrè extructa nos admoneant partim de ſtudio virtutis & pietatis, vt ſimus templa Spiritus ſancti & tabernacula, in quibus inhabitet Dominus 1. *Cor.* 3. *verſ.* 16. *& cap.* 6. *verſ.* 19. 2. *Cor.* 6. *v.* 16. partim de eccleſiæ militantis & triumphãtis perfectione & pulchritudine 1. *Cor.* 5. *v.* 1. *Heb.* 13. *v.* 14. Sic v. g. ex *cap.* 40. *Ezech.* hæc monita ſpiritualia poſſunt deſumi. Vir, qui metitur longitudinem, latitudinem & altitudinem murorum eſt Chriſtus, qui ſpiritu ſuo ordinat longitudinem, latitudinem & altitudinem eccleſiæ, facitq; vt illa nunc anguſtior, nunc latior exiſtat, ſinguliſq; membris ſua dona ſecundùm menſuram largitur. Murus quadratus ſignificat ſtabilem eſſe cõditionem eccleſiæ

cleſiæ. Ab atriis aſcenditur in templi interiora, hoc eſt, à primis fidei elementis fit progreſſus ad altiora myſteria. Quidam manent in atrijs, quidam penetrant interiora templi, h. e. vni plus incognitione myſteriorum tribuitur quàm alteri. Hoſtiæ mactantur ad portæ Aquilonaris latus, h. e. affectus noſtri iugulandi ſunt vento ſeptentrionali aſpero i. e. cruce.

XVIII.

ETHICA SACRA.

I. EThica ſacra eſt doctrina viuendi ex præſcripto virtutis, ſumta ex ſacris literis.

II. Virtus eſt conuenientia cum lege. Peccatum eſt ἀνομία, id eſt, diſcrepantia à lege, vt definit Spiritus ſanctus 1. *Iohan.* 3. *ver.* 4. Itaque virtus eſt ἐννομία, id eſt, conuenientia cum lege. Intellige legem archetypam & ectypam. Lex archetypa eſt ipſa Dei natura, ſiue ſanctitas illa, quæ ab æterno in æternum durat, & immutabilis manet. Vnde Deus dicit, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Leuit.* 11. *verſ.* 44. 45. *cap.* 19. *v.* 2. *cap.* 21. *v.* 8. Lex ectypa eſt tum naturæ, tum poſitiua. Lex naturæ impreſſa eſt cordibus noſtris: & eleganter ab apoſtolo appellatur δικαίωμα τοῦ θεοῦ. *Rom.* 2. *v.* 14. 15. Lex poſitiua eſt, quæ fertur à ſuperiore. Eſtque diuina, vel humana. Lex diuina Deum habet authorem. Eſtque æterna & immutabilis, vel temporalis & mutabilis. Ibi ſunt leges morales & quædam iudiciales ſiue forenſes apud Moſen: hîc ſunt leges ceremoniales & quædam iudiciales apud eundem. Lex humana eſt, quæ ab hominibus eſt profecta: cuiuſmodi ſunt leges XII. tabularum apud Romanos, & apud alias gentes aliæ. Omnes hæ leges ſunt norma virtutis, quatenus nempe conſentiunt cum lege archetypâ & lege naturæ. Cęterùm conuenientia illa virtutis cum lege philoſophis dicitur mediocritas, ſiue medium inter duo extrema, exceſſum nempe & defectum.

III. Virtus consideratur in genere & in specie.

IV. Virtus in genere habet suas affectiones & summa capita.

V. Affectiones virtutis sunt sinceritas & constantia. Omni siquidem virtuti hæc duo insunt. Quod patet ex summâ legis *Deut. 6. v. 5. & Matth. 22. v. 37. 38. 39. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ cogitatione tuâ. Istud est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum vt te ipsum.* Sanè qui debet diligere Deum ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ cogitatione, & proximũ sicut seipsum, is tenetur vtrumque diligere sincerè & cõstanter. *Sinceritas* est affectio virtutis, quâ fit vt ipsi nihil simulatum fictumue insit. Hæc est illa simplicitas columbina, quam Christus nobis commendat *Matth. 10. v. 16.* Hæc est illa infantulorum rectitudo, quam iubet imitari Christus *Matth. 18. v. 3. Amen dico vobis, nisi vos conuerteritis, & fiatis vt pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.* Confer *1. Petr. 2. v. 2.* De hâc quoque præcipit apostolus *Rom. 12. Dilectio esto minimè simulata.* Huic affectioni opponitur *hypocrisis*, quam Deus grauiter odit & detestatur. *Matth. 6. v. 5. 16. & 23. v. 28. Constantia* est affectio virtutis, quâ fit vt eodem modo & perpetuò simus sinceri. Hanc Deus commendat Abrahamo *Gen. 17. v. 1. Ego sum Deus fortis omnipotens, indesinenter ambula coram me, & esto integer.* Huic affectioni opponitur *leuitas* & *pertinacia.* Illius exemplũ est Iudas Iscariotes, deficiens à Christo *Matt. 26.* huius, Israëlitæ *Ier. 44. vers. 16. 17.* Cæterùm hæ duæ affectiones insunt omni virtuti, sed inæqualiter. Nam insunt in gradu vel excellenti, vnde virtus dicitur heroica, qualis fuit in Simsone, Eliâ, Iohanne Baptistâ, Christo: vel remisso, vnde virtus dicitur vulgaris.

VI. Summa capita virtutis sunt prudentia & iustitia vniuersalis. Nam hæ duæ virtutes adeo sunt gene-

genetales, vt reliquas dirigant, vt patebit in explicatione. Hinc quibusdam vocantur virtutes dirigentes; quia reliquas gubernant. Et ideo reliquę virtutes dicuntur speciales & directæ.

VII. Prudentia est virtus rectè ponderans circumstantias. Hanc Christus commendat *Matt.* 10. *v.* 16. *Estote prudentes vt serpentes.* Intellige prudentiam Spiritus, non carnis. Nam prudentia carnis est mors, prudẽtia autem spiritus vita & pax. *Rom.* 8. *v.* 6. Et in corde hominis tali prudentiâ prædiți requiescit sapientia. *Prou.* 14. *vers.* 33. Prudentiæ spiritualis exemplum est in quinque virginibus *Matth.* 25. & in fideli atque prudenti seruo *Matth.* 24. *v.* 45. *Luc.* 12. *v.* 42. Prudentiæ carnalis exempla passim sunt obuia in filijs huius seculi, de quibus Christus pronuntiat, illos esse prudentiores filijs lucis. *Luc.* 16. *v.* 8. Imprudentiæ exemplum sunt quinque fatuæ virgines *Matth.* 25. Veræ prudentiæ etiam opponitur opinio prudentiæ, quâ multi turgent, de quâ apostolus *Rom.* 12. *v.* 16. *Ne estote prudentes apud vosmet ipsos.* Cæterùm prudentiæ vis in eo est posita, vt omnia quadrent ad circumstantias, de quibus est versus,

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Nisi enim istarum circumstantiarum, in primis personæ, loci, & temporis accurata & circumspecta habeatur ratio, nihil potest fieri, quod laudem mereatur, vel gratiam habeat, vel vtilitatem nobis aut alijs adferat.

IX. Iustitia vniuersalis est virtus obligans hominem ad obedientiam erga omnes leges. Intellige leges iustas, quales sunt, quæ cum decalogo non pugnant. De hâc iustitiâ apostolus pronuntiat *Rom.* 13. *v.* 10. *Charitas, siue dilectio, est impletio legis.* Et eleganter monet author concordantiarum Biblicarum *justitiam* esse cogitationem & actionem cum lege Dei congruentem. Vnde passim in Scripturis iustitia ponitur pro omni virtute: vt *Psal.* 4. *v.* 6. *Sacrificate sacrificia iustitiæ. Hos.* 10. *v.* 12. *Semina*

te vobis in iustitiâ. Heb. 1. ver. 9. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. De hâc iustitiâ loquitur vulgatus versus.

Ἐν δὲ δικαιοσυνῃ συλληβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἔστι.

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Continet, inquam, in se omnes virtutes, quatenus est vniuersalis obedientia Deo debita, congruens ad normã totius decalogi, seu legis naturæ diuinitùs insitæ mentibus nostris, & nos conuincens iustum & æquum esse, vt Deo seruiamus iuxta omnes leges ab ipso præscriptas. Huc facit præfatio, quam Deus præmisit decalogo *Exod. 20. v. 2. Ego sum Iehoua Deus tuus; qui eduxi te ex terrâ Ægypti, è domo seruorum.* q.d. Ego sum Dominus ille, qui ab æuo in æuum est, & à quo sunt omnia, quæ sunt. Iustum itaque & æquum est, vt omnia mea mandata serues. Deinde ego sum Deus tuus, qui te adoptaui in filium, & omnis generis bonis te mihi obstrinxi. Ergo & hoc nomine teneris obseruare præcepta mea, ne vno quidem excepto.

X. Virtus in specie est dilectio Dei & proximi. Hæc diuisio sumta est ex *Matth. 22. v. 37. 38. 39.* vbi Christus *v. 40.* ait, *Ab istis duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent.* Quam in sententiam apostolus *Rom. 13. v. 9.* pronuntiat omnia mandata ἀναχεφαλαιοῦσθαι, i.e. summatim compleri, hoc sermone, Diliges &c. & *Gal. 5. v. 14.* ait, totam legem hoc vno verbo πληροῦσθαι, *compleri.* Quam ab causam hæc lex dicitur regia *Iacob. 2. v. 8.* Ex his ita licet colligere. Si virtus est εὐνομία, siue conuenientia cum lege, & verò lex cõtinetur dilectione Dei & proximi, necesse est virtutem quoq; esse dilectionem Dei & proximi, seu virtutẽ esse aut erga Deum, aut erga proximum. Vtriusq; norma perfectissima est decalogus *Exod. 20. & Deut. 5.* In hoc siquidẽ amplissima & inexhausta sapientia ita continetur, vt ille sit *regula vitæ* piorum, ad quam omnia sua consilia, actiones, & studia accommodare, atque ita Deo grata dicere & facere debent: item *norma vitæ in externis actionibus*, vt mores honestè regantur: item *fons omnium honestarum legum*, quæ dicuntur positiuæ: item *vinculum & neruus omniũ impe-*

imperiorum, & totius ciuilis societatis, vtpote cuius salus & tranquillitas ex obseruatione legum dependet: *fons* denique *& eruditissima epitome atq; summa omnium scriptorum philosophicorum, oratoriorum, & poëticorum*, quibus doctrinam ethicam, œconomicam, & politicam homines sapientes complexi sunt. Quæ cùm ita sint, optima proculdubio methodus Ethicæ sacræ, siue Christianæ, censeri debet, quæ virtutes omnes ordine in præcepta decalogi distributas recenset atque explicat. Fundamentum itaque nostræ Ethicæ sit decalogus, qui ita sonat *Exod.* 20.

Præfatio.

Vers. 1. *Tum elocutus est Deus omnia hæc verba, dicendo:*

2. *Ego sum Iehoua Deus tuus; qui eduxi te è terrâ Ægypti, è domo seruorum:*

Primum præceptum.

3. *Ne esto tibi vllus deorum alienorum ante faciem meam.*

Secundum præceptum.

4. *Ne facito tibi sculptile, aut vllam imaginem eorum quæ sunt in cœlis suprà, aut quæ in terrâ infrà; aut quæ in aquis infra terram:*

5. *Ne incuruans te honorem exhibeto eis, neque colito ea: nam ego, Iehoua Deus tuus Deus fortis Zelotes sum, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos qui odio prosequuntur me:*

6. *Exercens verò benignitatem in milleſimos eorum, qui diligunt me, & qui obseruant mandata mea.*

Tertium præceptum.

7. *Ne assumito nomen Iehouæ Dei tui in vanum: nam non relinquet impunem Iehoua eum, qui assumserit nomen suum in vanum.*

Quartum præceptum.

8. *Recordare diei sabbati, vt sanctifices illum:*

9. *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum:*

10. *Dies verò septimus sabbatum est Iehouæ Deo tuo: ne facito vllum opus tu, aut filius tuus, aut filia tua, seruus tuus, aut ancilla tua, aut iumentum tuum, aut peregrinus tuusqui est intra portas tuas.*

11. *Nam sex diebus perfecit Iehoua cœlum, & terram, mare, & quidquid est in eis, quieuit verò die illo septimo: idcircò benedixit Iehoua diei sabbati, & sanctificauit illum.*

Quintum præceptum.

12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam; vt prolongent dies tuos super terram illam, quam Iehoua Deus tuus dat tibi.*

Sextum præceptum.

13. *Ne occidito.*

Septimum præceptum.

14. *Ne scortator.*

Octauum præceptum.

15. *Ne furator.*

Nonum præceptum.

16. *Ne proferto contra proximum tuum testimonium falsum.*

Decimum præceptum.

17. *Ne concupiscito domum proximi tui: ne concupiscito vxorem proximi tui, aut seruum eius, aut ancillam eius, aut bouem eius, aut asinum eius, denique quidquid est proximi tui.*

Hæc sunt decem illa verba, vt appellantur *Deut.* 4. *v.* 13. Decem itaque erunt classes siue ordines virtutum, quas explicabimus. Quemadmodum autem verba ista decem inscripta fuerunt duabus tabulis lapideis, vt est *d. l.* ita virtutes referuntur ad primam, vel secundam decalogi tabulam. Illarum summum genus est pietas, harum, probitas. *Pietas* est, quâ de vero Deo rectè sentimus, eundemque ritè colimus. Hæc est fundamentum omnis felicitatis 1. *Tim.* 4. *ver.* 8. Norma ipsius est præcepto 1. 2. 3. & 4. hoc modo.

Primi

Primi præcepti virtutes.

1. Cognitio siue Agnitio Dei.
2. Fides siue Fiducia in Deo.
3. Adoratio cordis.
4. Patientia.
5. Spes.
6. Pœnitentia & Resipiscentia.
7. Amor Dei.
8. Timor Dei.
9. Humilitas erga Deum.
10. Obedientia erga Deum & studium placendi Deo.
11. Perseuerantia.
12. Inuocatio Dei in corde, siue interna illa.
13. Gratiarum actio interna Deo debita.
14. Zelus pro gloriâ Dei.

Secundi præcepti virtutes.

1. Religio circa ritus & ceremonias.
2. Societas cum religionis studiosis.

Tertij præcepti virtutes.

1. Sanctificatio nominis Dei.
2. Inuocatio Dei externa.
3. Gratiarum actio externa Deo debita.
4. Religio circa iuramentum.
5. Religio circa votum.
6. Religio circa sortes.
7. Confessio veritatis diuinæ.

Quarti præcepti virtutes.

1. Religio circa dies sacros.
2. Veneratio ministerij ecclesiastici.

Probitas est, quâ de homine sentimus vt par est, ipsumque rectè diligimus. Ea est posita in dilectione sui ipsius & proximi iuxta præceptum 5. 6. 7. 8. 9. 10. hoc modo.

Quinti præcepti virtutes.

1. Officiosítas.
2. Philostorgia.
3. Iustitia distributiua præmiorum.
4. Gratitudo.
5. Grauitas.
6. Modestia.
7. Reuerentia.
8. Fidelitas.
9. Amicitia.

Sexti præcepti virtutes.

1. Fortitudo.
2. Iustitia distributiua pœnarum.
3. Magnanimitas.
4. Mansuetudo.
5. Placabilitas.
6. Patientia philosophica.
7. Studium concordiæ.
8. Misericordia.
9. Humanitas.
10. Nemesis.

Septimi præcepti virtutes.

1. Castitas, siue pudicitia.
2. Verecundia.
3. Temperantia, sub quâ Abstinentia & sobrietas.

Virtutes octaui præcepti.

1. Sedulitas.
2. Studium honestè rem parandi.
3. Parsimonia.
4. Sufficientia, αὐτάρκεια.
5. Frugalitas.
6. Iustitia commutatiua.
7. Liberalitas.
8. Hospitalitas.

Virtu-

Virtutes noni præcepti.

1. Veritas, ſiue Veracitas.
2. Eulalia, ſiue Eloquentia.
3. Docilitas.
4. Taciturnitas.
5. Affabilitas.
6. Comitas.
7. Vrbanitas.

Virtutes decimi præcepti.

1. Puritas cordis.
2. Lucta aduerſus prauas cogitationes & appetitus.

Atque hæ ſunt virtutes particulares ſiue ſpeciales numero LXIV, quibus ſi addantur duæ affectiones, & totidem virtutes generales ſiue vniuerſales, paulò ante explicatæ, collegium Ethicum conſtabit LXVIII. cametis, in quibus anima fidelis ſe oblectare debet cum angelis & ſanctis hominibus tanquam ſuis collegis ſuauiſſimis. Sed iam videamus ſingulas virtutes.

I. Cognitio Dei eſt ſtudium cognoſcendi Deum, ſicut ſe patefecit. Hæc eſt prima pars pietatis, ex quâ cæteræ partes oriuntur. Si enim aliquis ſciat & firmiter ſtatuat, Deum eſſe veracem, omnipotentem, ſummè iuſtum, ſummè bonum, ſummâ maieſtate præditum, protinus fiduciam ſuam in Deo collocat, ipſum adorat, patienter ipſius voluntati ſe ſubmittit &c. Hinc rectè dicitur, *Claritas notitiæ in intellectu parit firmitatem actionis in voluntate.* Sedulò itaque demus operam, vt Deum rectè cognoſcamus, idque ex libro naturæ & ſcripturæ, ex lege & euangelio, ex V. & N. T. ex Biblijs paruis & magnis: vt, inquam, cognoſcamus ipſius tum *eſſentiam* vnam, ſpiritualem, æternam & omnipotentem, in quâ verè & realiter diſtinctæ ſunt tres perſonæ: tum *opera*, putà creationem, redemptionem, ſanctificationem, & glorificationem: tum denique *voluntatem* in verbo reuelatam. *Ier. 9. v. 24. Iohan. 6. v. 39. 40. c. 17. v. 3.* Hæc eſt notitia Dei Chriſtiana,

ſtiana, multùm differens à philoſophicâ, quâ etiam gentiles fuerunt præditi. *Rom.* 1. & 2. Agamus itaq; Deo gratias, quòd nos vocauerit & transtulerit è tenebris in lucem, & dederit nobis Filium ſuum vnigenitũ, per quem cognoſcimus Patrem, & in quo ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis. *Iohan.* 1. *v.* 9. & 18. *c.* 14. *v.* 6. 7. *Coloſſ.* 2. *v.* 3. Diligenter etiam ſcrutemur Scripturas, ex quibus ſolis peti poteſt ſalutaris notitia Dei. *Iohan.* 5. *v.* 39. *Rom.* 10. *v.* 8. & 17. Deniq; quia nemo poteſt diſcere myſteria verbi Dei, niſi ab ipſo Deo doceatur, oremus ipſum, vt nobis largiatur Spiritum ſanctum, qui aperiat nobis Scripturas. *Luc.* 24. *v.* 32. *c.* 11. *v.* 13. *Ioh.* 6. *v.* 44. 45. Cum hâc Dei notitiâ pugnant Ignoratio Dei & omnes opiniones erroneæ de ipſius eſſentiâ & voluntate. *Pſal.* 14. *Act.* 17. *v.* 23.

II. Fides ſiue fiducia in Deo eſt, quâ homo pius agnoſcens potentiam & miſericordiam Dei in eo firmiter acquieſcit contra omne periculũ. Non intelligitur hoc loco fides in Chriſto mediatore iuxta promiſſionem euangelij acquieſcens, & certò ſtatuens ſibi peccata remitti propter ipſius ſatisfactionem: ſed fiducia illa, quâ Deo tribuimus laudem veritatis, potentiæ, & beneuolentiæ erga nos, & ideo in ipſo acquieſcimus, etſi omnibus rebus deſtituti ſimus. *Pſal.* 2. *v. vlt.* & 11. *v.* 1. & 25. *v.* 2. & 57. *v.* 2. & 118. *v.* 18. *Eſa.* 31. *v.* 1. *c.* 36. *v.* 7. Cum hâc fiduciâ pugnant, diffidentia; confidentia, ſiue præſumtio confidens proprijs viribus, ſapientiâ, iuſtitiâ &c. item fiducia præſidiorum humanorum; idololatria & ſuperſtitio confidens in idolis, bonis operibus, ritibus magicis &c.

III. Adoratio cordis eſt reuerentia erga Deũ, quâ fit vt homo illum propter ſummam ipſius maieſtatem, ſuamque propriam indignitatem, ſummâ cum animi demiſſione reuereatur. Vide exemplum Abrahami *Gen.* 18. *verſ.* 27. Iacobi *Gen* 32. *v.* 10. Dauidis 2. *Sam.* 7. *verſ.* 18. & *ſeqq.* & Pauli *Rom.* 11. *v.* 33. & *ſeqq.*

seqq. Cum hâc adoratione pugnat Spiritualis superbia coram Deo. *Luc.* 18. *v.* 11. 12.

IV. Patientia est virtus primæ tabulæ, quâ obedimus Deo in tolerandis malis. Ita nempe, vt non faciamus aliquid contra ipsius mandata, nec illi irascamur; sed ex fide verâ agnoscamus eum nobis propitium esse, & expectemus ipsius auxilium, mitigationem aut liberationem, & hâc fide & spe dolorem leniamus. *Rom.* 8 *& c.* 15. *vers.* 4. *Luc.* 21. *v.* 19. 1. *Cor.* 10. *v.* 10. *Heb.* 10. *v.* 36. Hæc patientia Christiana differt à philosophicâ illâ, quæ est vtcunque obedire rationi in ferendis aduersis, ita vt nihil contra iustitiam, constantiam, modestiam, aut alias virtutes facias. Exempla Christianæ patientiæ habemus in Christo, Abele, Dauide, Iobo, Ieremiâ, Iohanne Baptistâ, Paulo &c. Ipsi opponuntur impatientia irascens Deo in ærumnis, & hypocritica tolerantia.

V. Spes est certa expectatio omnium bonorum ex manu Dei. Eleganter diuiditur in *spem veniæ*, seu remissionis peccatorum: *gratiæ*, seu bonorum corporalium & spiritualium: & *gloriæ*, seu resurrectionis & vitæ æternæ. Spes siquidem est placida expectatio, quâ mens pia agnoscens Dei veritatem, eiusque in se amorem, præsentiam & auxilium diuinum in omnibus expectat, quantum ad remissionem peccatorum, mitigationem pœnarum, & donationem bonorum iuxta consilium Dei, & deniq; vitam æternam. *Iob.* 13. *v.* 15. *Psal.* 37. *v.* 3. 4. 5. 6. 7. Hæc spes non confundit *Rom.* 5. *v.* 5. & proinde dissimilis est spei mundanæ & fallaci, de quâ Aristoteles pronuntiat, quòd sit somnium vigilantis. Cum spe Christianâ pugnant desperatio, & præsumtio sperans sine verbo Dei, & sine vocatione, & confidens propriis viribus. Prioris vitij exemplum est in Saule, posterioris in Petro.

VI. Pœnitentia est dolor, quo quis dolet se offendisse Deum, propterea quòd intelligit id esse iniustum, quodq; Deum diligit, ac proinde

ab

ab omnibus honorari eum cupit. Huiusmodi dolor fuit in Dauide *Psal.* 51. & in Petro *Matth.* 26. *v. vlt.* & vtrique profuit. Dicitur in Scripturis dolor secundùm Deum. 2. *Cor.* 7. *v.* 9. Hic dolor est initium vitæ æternæ, & ex se parit *Resipiscentiam*, quæ est conuersio ad Deum, consistens in mortificatione veteris & viuificatione noui hominis. *Rom.* 6. *Gal.* 5. *Coloss.* 2. *Psal.* 34. *v.* 15. & 37. *v.* 27.

VII. Amor Dei est incendium cordis, quo homo cognoscens Dei bonitatem & amorem erga se, ipsum vicissim amat super omnia. Ita nempe, vt seruet omnia Dei mandata cum quâdam lætitiâ acquiescente in ipso. Hæc siquidem dilectio non est otiosa, sed operosa *Ios.* 23. *v.* 11. *Iohan.* 14. *v.* 23. 1. *Ioh.* 5. *v.* 2. 3. Huic opponitur odium Dei & amor Dei simulatus, qualis fermè regnat inter Christianos, qui labijs suis præ se ferunt amorem Dei, sed re ipsâ testantur merum ipsius & mandatorum eius odium.

VIII. Timor Dei est affectus filialis, quo homo agnoscens Dei misericordiam & iustitiam, offensionem ipsius veretur vt summum malum. Veretur, inquam, ne offendat Deum, non tam quòd sentiat se ab eo punitum iri si offenderit ipsum, quàm quòd indignum & iniquum iudicet, offendere illum, qui & summâ maiestate est præditus, & plurimis maximisque beneficijs nos affecit, quibus declarauit se paternè affectum esse erga nos. Hunc timorem nobis commendat Scriptura *Leuit.* 19. *v.* 14. *Deut.* 6. *v.* 13. *Psal.* 2. *v.* 11. *Prou.* 1. & 3. *Esa.* 8. *v.* 13. *Hebr.* 12. *v.* 28. Ipsi opponitur securitas carnalis, quâ fit vt homo viuat sine timore Dei & iudicij diuini, sine pœnitentiâ, fide, & dilectione Dei & proximi: item superstitio trepidans timore, vbi non est timor, vt *Psal.* 14. dicitur.

IX. Humilitas erga Deum est virtus, quâ nostram indignitatem coram Deo agnoscimus, omnem-

omnemque fiduciam virium & virtutum noſtrarum abijcimus, ſolique Deo omnia noſtra bona accepta ferimus. Hæc virtus inter alia facit, vt agnitione propriæ infirmitatis non appetamus maiora vocatione noſtrâ, ſed nos contineamus intra metas vocationis, & faciamus noſtri muneris officia, fiduciâ diuini auxilij, nec alia Dei organa deſpiciamus. 1. *Cor.* 4. *v.* 7. *Iob.* 1. *verſ.* 21. 1. *Chron.* 29. *v.* 12. 14. 17. *Deut.* 6. *v.* 13. *c.* 10. *v.* 12. 20. *Mich.* 6. *v.* 8. *Iac.* 4. *v.* 10. *Luc.* 1. *v.* 50. *Matth.* 11. *v.* 29. *Phil.* 2. *v.* 5. *& ſeqq.* 1. *Petr.* 5. *v.* 5. 6. Cum hâc virtute pugnant ficta humilitas, & ſuperbia, quæ eſt, ſine timore Dei, & ſine agnitione propriæ infirmitatis, ſeſe admirari & ſupra alios extollere, propter certas dotes, & propriâ ſapientiâ, ſanctitate, & viribus confidere, & alios deſpicere; & cùm aduerſa accidunt, iraſci Deo tanquam iniuſtè punienti.

X. Obedientia erga Deum eſt virtus, quâ quis promtus eſt ad ſeruandum omnia Dei mandata. Huius obedientiæ adiunctum inſeparabile eſt *Studium placendi Deo.* Neque enim aliter placere Deo poſſumus, quàm obediendo mandatis eius. Quam obedientiam quò ſtudioſiùs & alacriùs ei præſtamus, eò magis illi placemus. Hinc obedientia dicitur eſſe melior ſacrificio. 1. *Sam.* 15. *v.* 22. 23. Confer *Exod.* 23. *v.* 21. 22. *Deut.* 28. *v.* 1. *& ſeqq.*

XI. Perſeuerantia eſt virtus permanens in dilectione Dei. In ipſius nempe verâ agnitione, fiduciâ, adoratione cordis, patientiâ, & ſimilibus virtutibus. Abſque hâc ſit, & virtutes nil niſi larua quædam erunt. *Matt.* 24. *v.* 13. *Apoc.* 2. *v.* 10.

XII. Inuocatio Dei interna eſt eleuatio mẽtis ad Deum, quâ petimus dari nobis neceſſaria. Hæc nobis paſſim mandatur *Matth.* 7. *verſ.* 7. *c.* 26. *verſ.* 11. *Pſal.* 50. *v.* 15. *Luc.* 18. *v.* 1. *Coloſ.* 4. *v.* 2. 1. *Theſſ.* 5. *v.* 17. Cum hâc virtute pugnant omiſſio inuocationis & inuocatio ethnica atque ſuperſtitioſa.

XIII. Gra-

XIII. Gratiarum actio interna, Deo debita, est agnoscere & confiteri mente, Deum solum esse authorem & datorem omnis boni, & nos gratiâ Dei esse planè indignos; ideoque Deum laudare, & ipsi vota nuncupare atque exsoluere. Hanc nobis commendat Scriptura *Psal.*107.*v.*1.*Esa.*12.*v.*1. 4.*Coloss.* 4. *v.* 2. 1.*Thess.*5.*v.*17.18. Quia verò admodum difficulter à nobis impetramus, vt Deo gratias agamus ita vt par est, non ab re fuerit quotidiè beneficiorum Dei catalogum quasi texere, hoc ferè modo. *Beneficia spiritualia* sunt patefactio Dei, electio ecclesiæ, missio Filij, donatio euangelij, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, nouitas vitæ, liberatio à tyrannide Diaboli & à morte æternâ, vita æterna, imò Deus ipse, qui erit omnia in omnibus, & suâ luce, sapientiâ, iustitiâ, vitâ, lætitiâ, & gloriâ nos in omni æternitate complebit. *Beneficia corporalia* sunt vita, honesta disciplina, victus, cibus, potus, pax, bona valetudo, successus in administratione politicâ & œconomicâ, defensio liberorum & bonorum fortunæ seu possessionum, bona fama, honestus locus, & alia innumera.

XIV. Zelus pro gloriâ Dei est ardens animi studium tuendi & propagandi gloriam Dei, & iustus dolor atque indignatio aduersus ea, quæ contra gloriam Dei fiunt. Oportet autem vt hic Zelus consentiat cum vocatione nostrâ, & coniunctus sit cum rectâ cognitione, ne nobis obijciatur illud apostoli *Rom.*10.*vers.*2. Ζῆλον θεοῦ κατ' ἐπίγνωσιν. De legitimo Zelo vide *Iohan.*2.*v.*14.*& seqq.* *Psal.*68.*v.*10.1.*Reg.*19.*v.*10, *Act.*17. *v.*16.*Num.*25.*v.*11.2.*Cor.*7.*v.*7. Hic Zelus hodiè est admodum rara auis. Nostrum itaque est orare Deum, vt nobis largiatur Spiritum feruoris, qui consumat stipulas & spinas peccatorum vbique suboleſcentium.

XV. Religio circa ritus & ceremonias est, quâ

quâ quis ita obſeruat ritus & ceremonias ſacras, vt illæ ancillentur fidei, ſpei & charitati. Religio vera eſt interna, vel externa. De religione internâ ſic pronuntiat apoſtolus Iacobus *c. 1. v. vlt. Religio pura & inconta-*
minata apud Deum & Patrem, hæc eſt, inuiſere orphanos & viduas in afflictione ipſorum, & immaculatum ſeſe ſeruare à mundo. Ex quâ definitione intelligimus, religionem veram & internam complecti dilectionem Dei & proximi, adeoque totum Chriſtianiſmum. Religio vera externa conſiſtit in obſeruatione ceremoniarum à Deo præſcriptarum: cuiuſmodi in V. T. fuerunt ſacrificia, conuiuia ſacra, certæ lotiones, abſtinentia à certis cibis, ieiunia, adoratio coram arcâ fœderis & verſus templum, circumciſio, & agnus paſchalis: in N. T. prædicatio & auſcultatio verbi Dei ſolennis, & vſurpatio ſacramentorum prout à Chriſto ſunt inſtituta. Horum rituum obſeruatio hactenus probatur Deo, ſi ancilletur fidei, ſpei & charitati. *Pſalm. 50. Eſa. 1. cap. 29. v. 1. 13. c. 58. v. 4. c. 66. v. 3. Matth. 15. v. 7. 8.* Hîc autem prohibentur, repræſentatio Dei per imagines, approbatio externæ idololatriæ, magici ritus & illorum approbatio.

XVI. Societas cum religionis ſtudioſis eſt, quando cum iis conuerſamur, qui Deum colunt ritibus cum verbo ipſius non pugnantibus. Huc pertinent connubia, fœdera, conuiuia, & ſimilia. *2. Chron. 15. verſ. 10. c. 19. verſ. 2. Mal. 2. verſ. 11. 1. Cor. 6. v. 1. & ſeqq. c. 10. v. 27. 28.*

XVII. Sanctificatio nominis Dei eſt, quâ vtimur nomine Dei ſanctè: hoc eſt, cum celebratione, veracitate, reuerentiâ, & circumſpectione, vt ſermo noſter exprimat virtutes primi præcepti. *Deut. 8. verſ. 8. c. 10. v. 8. 1. Sam. 2. v. 20.* Sanè cùm auiculæ omnesq; aliæ creaturæ ſonent laudem Dei, & pro modulo quæque ſuo gloriam eius enarrent, fœdiſſimum fuerit, ſi nos hanc muſicam & harmoniam ingrato ſtridore violemus. *Pſal. 19.*

& 29. & 148. Quemadmodum enim si in testudine vnica chorda dissonet, totus concentus turbatur: ita si in catholicâ illâ nominis Dei celebratione homo non tantùm non faciat suum officium, sed etiam vitium inspergat, nõ potest non malè sonare hæc musica. Demus itaque operam, vt titulos Dei nonnisi in re graui, summâ cum reuerentiâ vsurpemus. *Deut.* 28. *v.* 28. *Rom.* 9. *v.* 5.

XVIII. Inuocatio Dei externa est, quando clarâ voce Dei opem imploramus. Siue id fiat cantu, siue voce non cantante. Vide passim psalmos, qui inscribuntur *Cantica & Psalmi*, & iubent cantare Deo canticum nouum: vt *Psal.* 18. 67. 68. 96. 96. 149. item dicta Scripturæ, vbi sancti dicuntur clamasse ad Dominum: vt, *Exod.* 8. *vers.* 12. *c.* 14. *vers.* 10. *Num.* 12. *v.* 13. *Iudic.* 3. *v.* 9. 1. *Sam.* 7. *vers.* 8. 1. *Reg.* 17. *vers.* 20. 21. *Psal.* 3. 4. 17. 18. 22. 28. *&c.*

XIX. Gratiarum actio externa, Deo debita, est voce suâ celebrare Dei maiestatem & opera. Vide titulum præced. & infrà in Poëticis indicem Canticorum in sacris occurrentium.

XX. Religio circa iuramentum est virtus, quâ confirmamus veritatem in re controuersâ, Deo teste inuocato. Vide *Deut.* 6. *vers.* 13. *c.* 10. *v.* 20. *Hebr.* 6. *ver.* 16. 1. *Cor.* 1. *v.* 23. Comites siue adiuncta legitimi iuramenti debent esse veritas, iudicium, & iustitia. *Ier.* 4. *v.* 2. Pugnantia sunt, sophisticæ & calumniosæ interpretationes iuramentorum, iuramenta impia, & periuria, quibus tota vita plena est.

XXI. Religio circa votum est virtus, quâ Deo aliquid promittimus, officij gratiue animi testãdi causâ. Ita nempe, vt exercitium aliquod corporis eligamus, vltrò & seriò, ad alendam vel excitandam resipiscentiam & gratitudinem nostram erga Deum. *Gen.* 28. *vers.* 20.

XXII. Re-

XXII. Religio circa sortes est virtus, quâ sortes adhibemus vt lites componantur, & seditiones caueantur. In diuidendis nempe patrimonijs & facultatibus, & idoneis personis ad certa officia eligendis. *Prou. 16. vers. 33. cap. 18. vers. 18. Ios. 14. & 15. 1. Sam. 10. Act. 1.*

XXIII. Confessio veritatis diuinæ est, quâ veritatem verbi Dei constanter, quando opus est, profitemur. Nescil. illam vel abnegemus, vel abijciamus propter terrores, odia, supplicia, vel alia pericula. Finis autem nobis debet esse propositus, vt Deo obtemperetur, & ne vera ipsius notitia in terris extinguatur. De hâc virtute vide *Matth. 10. vers. 32. 1. Pet. 3. v. 15.* Ipsi repugnant negotio veritatis diuinæ, & impia pertinacia fanaticorum & malè institutorum in religione.

XXIV. Religio circa dies sacros est, quando vacamus cultui Dei solenni, in aliquâ congregatione, tempore diuinitùs tancito. Scriptura appellat sanctificationem sabbati, quæ absoluitur officijs communibus & proprijs. *Officia communia* sunt, orare Deum, ipsique gratias agere, sacramenta venerari, conferre eleemosynam, verbum Dei meditari, cum alijs colloqui de doctrinâ Christianâ, ægrotos inuisere. *Officia propria* sunt varia: vt *ministrorum verbi*, prædicare verbum Dei, administrare sacramenta, recitare preces; *auditorum*, verbum prædicatum audire, preces tacito suspirio subsequi: *magistratus, parentum & præceptorum*, prohibere & punire violationem sabbati, & promouere è contrario ipsius sanctificationem, &c. *Exod. 31. ver. 13. 14. 15. Deut. 5. v. 12. Ier. 17. vers. 22. Neh. 13. vers. 16.* Hæc verò omnia debent coniungi cum sabbato interno, quo anima quiescit à peccatis, & in Deo quietem suam quærit & inuenit.

XXV. Veneratio ministerij ecclesiastici est, quâ rectè de illo sentimus & loquimur, & res ad

illius ſuſtentationem requiſitas libenter & liberaliter conferimus. Vide *Gal. 6. verſ. 6. Hebr. 13. verſ. 17. Matth. 10. v. 40. 41. 42. Gal. 4. v. 15. 19. 1. Theſſ. 2. v. 13. c. 5. v. 12. 13. 1. Cor. 4. v. 15. 1. Tim. 4. v. 16.*

XXVI. Officioſitas eſt virtus, quâ commodis aliorum libenter ſeruimus, prudenti oblatione, & iucundâ præſtatione noſtrorum officiorum. Hæc virtus vulgo dicitur eſſe triplex: *Spontanea*, cùm quis alicui gratificatur non rogatus: *efflagitata*, cùm quis rogatus officium præſtat, idque hilariter & citò: denique *compenſans*, cùm quis officium officio compenſat. Exemplum officioſitatis vide *Gen. 23. v. 6.* vbi Hethæi offerunt Abrahamo locum ſepulturæ: & *c. 24. v. 18.* vbi Rebecca bibendum datſeruo Abrahami.

XXVII. Philoſtorgia eſt virtus, quæ liberis & parentibus, cæteriſque ſanguine iunctis, tribuit debitum amorem & honorem. Eius itaque pars eſt *pietas erga parentes*, cuius ſimulacrum cernere eſt in ciconijs. Vide de hâc virtute in œconomicis.

XXVIII. Iuſtitia diſtributiua præmiorum eſt, quâ diſcernimus præmia virtuti debita. Iuſtitia eſt virtus, quæ ſuum cuique tribuit: eſtque vniuerſalis, vel particularis. *Iuſtitia vniuerſalis* eſt obedientia erga omnes leges, vt paulò ante oſtendimus. *Iuſtitia particularis* eſt, quæ ſuum cuique tribuit in certâ materiâ: eſtque diſtributiua, vel commutatiua. *Iuſtitia diſtributiua* eſt præmiorum, vel pœnarum. Illa eſt huius loci: hæc pertinet ad præceptum ſextum. Iuſtitia commutatiua pertinet ad præceptum octauum. *Iuſtitia præmiorum* eſt, quæ diſcernit gradus perſonarum, officiorum, & præmiorum, vt in iis ſeruetur proportio geometrica. Ea tribuit ſuum viuis & mortuis. *Iuſtitia viuis ſuum tribuens* eſt, quâ ſingulis conuenientem locum, honorem, & ſimilia diſtribuimus. *Rom. 13. verſ. 7.* *Iuſtitia mortuis ſuum tribuens* eſt, quâ facimus iuſta defunctis,

ctis, siue præstamus ipsis vltima pietatis officia: moderatè scil. ipsos lugendo, & corpora ipsorum honestè sepeliendo, gratamque ipsorum memoriam vsurpando. *Gen.* 23. 1. *Thess.* 4. *v.* 13.

XXIX. Gratitudo est, quâ retribuimus bene de nobis meritis iucundam accepti beneficij memoriam, signis tum voluntatis, tum facti declaratam. Hanc Scriptura nobis commendat *Coloss.* 3. *v.* 15. Exemplum vide in Dauide 2. *Sam.* 2. *v.* 6.

XXX. Grauitas est virtus, quâ habitus & gestus hominis in conuersatione ad decorum sanctum cuiuis conueniens componuntur. Scriptura appellat honestam conuersationem. *Hebr.* 13. *v.* 18. 1. *Petr.* 1. *v.* 15. 1. *Petr.* 2. *v.* 12. Honestas illa in eo est posita, vt gestus actiones que nostræ congruant cum ordine naturæ, locorum, personarum, & temporum.

XXXI. Modestia est virtus, quâ honores nobis conuenientes decorè appetimus, prosequimur, & tuemur. Hæc nihil est aliud quàm *humilitas erga homines*, quæ nos frænat, ne in opinione de nobis, aut sermone, aut actionibus, supra nostras vires nos efferamus, nec extra vocationem aliquid suscipiamus, sed in timore Dei diligenter nostra officia faciamus, sic tamen vt gloriam honestam, & bonam famam appetamus. *Phil.* 2. *vers.* 3. 1. *Petr.* 5. *v.* 5. 1. *Cor.* 15. *v.* 7. 9. *Rom.* 1. *v.* 1. 1. *Cor.* 1. *v.* 1. *& passim in epistolarum inscriptionibus.*

XXXII. Reuerentia est honor erga superiores. Eius proprium est, dona Dei in alijs agnoscere & magnifacere, & conscientiâ propriæ infirmitatis sè illis subijcere, & hanc subiectionem externis significationibus declarare. *Rom.* 12. *v.* 10. 2. *Cor.* 8. *v.* 22. 23.

XXXIII. Fidelitas est, quæ in mutuâ beneuolentiâ & omnibus officiis alicui debitis seruat constantiam, in rebus secundis & aduersis. Huius

fidelitatis exempla sunt seruus Abrahami *Gen.* 24. Iosephus. *Gen.* 39. & 41. Moses *Hebr.* 2. *v.* 5.

XXXIV. Amicitia est virtus, retribuens amico ex beneuolentiâ mutuum amorem. Huius tanta est vis, vt animos, in quibus viget vera pietas & virtutis amor, conglutinet in vnum, & quasi vnum cor faciat, vt in Dauide & Ionathane videre est. 1. *Sam.* 18. *v.* 2. *Prou.* 17. *v.* 17. Verùm amicitia illa, quæ nititur vtilitate, est admodum fragilis, ita vt dupliçi nomine possit appellari ollaris. *Prou.* 14. *v.* 20. *Esa.* 19. *v.* 2. *Mich.* 7. *v.* 5.

XXXV. Fortitudo est virtus docens medium seruare circa formidabilia. Estque togata, vel bellica. *Fortitudo togata* est, quâ perseueramus in honesto proposito iuxta vocationem nostram, & toleramus iniurias propter honestam causam, & excelso animo despicimus pericula, virtutis causâ. Eius insigne speculum habemus in Daniele *cap.* 6. & ipsius sociis *cap.* 3. *Fortitudo bellica* est, quâ suscipiuntur pericula pro aris & focis. Vide exemplum Abrahami *Gen.* 14. item Iosuæ, Simsonis, Dauidis, & similium.

XXXVI. Iustitia distributiua pœnarum est, quæ debitas pœnas irrogat iis, qui sunt meriti. Seruat autem proportionem geometricam. Eius fines modumque Deus accuratè circumscripsit in lege suâ: vt *Exod.* 21. 22. &c. Vide infra Iurisprudentiam sacram.

XXXVII. Magnanimitas est eminentia quædam fortitudinis. Excitat enim animum in malorum metu ad res arduas & periculosas necessariò suscipiendum & superandum. Eius exemplum est in Simsone *Iudic.* 14. 15. 16. & apostolo Paulo *Act.* 21. *v.* 13. Magnanimitas quoque alio sensu est eminentia siue excellens gradus modestiæ, faciens, vt appetamus honores eminentes, virtuti heroicæ debitos. Eius exemplum est Christus *Iohan.* 6. *v.* 15.

XXXVIII. Man-

XXXVIII. Manſuetudo eſt virtus moderans vim iraſcendi, vt nonniſi cum ratione & ex officio iraſcamur. Aliâs appellatur *Longanimitas*. Verſatur autem hæc virtus circa iram, tanquam obiectum internum; circa pœnam, tanquam obiectum externum. De hâc virtute paſſim concionatur Scriptura, vt *Pſal.* 4. *verſ.* 5. *Eccleſ.* 7. *v.* 10. *Matth.* 5. *v.* 22. *Eph.* 4. *v.* 25. *Gal.* 5. *v.* 23. *Eph.* 4. *ver.* 2. *Iacob.* 3. *v.* 13. *Coloſſ.* 3. *v.* 12. Manſuetudo, ſi de ſummo iure remittat, dicitur *æquitas*, Græcis ἐπιείκεια: quæ valde commendat hominem.

XXXIX. Placabilitas eſt, quæ iram ad ſanctitatem reuocat, noſque ad veniam potiùs quàm ad vindictam promtiores facit. Hanc Scriptura diligenter inculcat tanquam χριτήριον filiorum Dei. *Rom.* 12. *v.* 19. 20. 21. *Deut.* 32. *v.* 35. *Hebr.* 10. *v.* 30. *Prou.* 25. *v.* 22. *Coloſſ.* 3. *v.* 8. 12. 13.

XL. Patientia philoſophica eſt, quæ obedit rationi in tolerandis aduerſis. Patientia Chriſtiana obedit fidei in tolerandis rebus aduerſis. Sed patientia philoſophica eò vſque non aſſurgit. Vtraque tamen moderatur dolorem, ne opprimat naturam, & ne nos impellat, vt contra iuſtitiam, conſtantiam, modeſtiam, & reliquas virtutes aliquid faciamus. Huc pertinet, ſi quis norit φέρειν τὰ παρόντα, hoc eſt, præſentem ſtatum & cõditionem vitæ boni conſulere, & moderatè ferre incommoda, quæ Deus ſuo cuique loco ac tempore imponit, nec temerariâ mutatione præſentis conditionis plus miſeriarum ſibi accerſere. Huc pertinent illa dicta: *Vnuſquiſque in vocatione, in quâ vocatus eſt, maneat.* 1. *Cor.* 7. &, *Humiliamini ſub potenti manu Dei.* 1. *Petr.* 5.

XLI. Studium concordiæ eſt virtus, quâ quis tuetur pacem, & cauet, ne pugnet de vllâ re non valdè neceſſariâ. Græcis dicitur φιλησυχία, quam apoſtolus *Rom.* 12. *v.* 18. commendat his verbis: *Si*

fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace viuentes. Confer *Hebr.* 12. *v.* 14. Exemplum eſt Abraham cedens fratri Lotho. *Gen.* 13.

XLII. Miſericordia eſt, quâ afficimur ſenſu miſeriæ aliorum, eamque pro viribus ſubleuare ſtudemus. Hæc virtus ex ſe parit eleemoſynam, de quâ Daniel pronuntiat, peccata hâc virtute abrumpi. *c.* 4. *v.* 24. Ad hanc miſericordiæ partem adhortatur nos Chriſtus *Luc.* 11. *verſ.* 41. *cap.* 12. *v.* 33. In genere de miſericordiâ vide *Luc.* 6. *v.* 36. 1. *Cor.* 12. *v.* 25. 26. 1. *Iohan.* 3. *v.* 17. *Coloſſ.* 3. *v.* 12. *Prou.* 14. *v.* 21.

XLIII. Humanitas eſt, quâ ſumus faciles, mites, & tractabiles. Nomen habet ab homine. Nam quia homo inter omnia animalia maximè mitis eſt, meritò humanus pro facili, miti, & tractabili ponitur: & ideò humanitas inter alia ſignificat facilitatem quandam & tractabilitatem beneuolentiamque inter omnes, quam Græci φιλανθρωπίαν vocant, Germani, Leutſeligkeit. Eius exemplum illuſtre eſt Chriſtus *Luc.* 2. *v.* 52.

XLIV. Nemeſis eſt zelus, indignè ferens ſcelera graſſari in patriâ, eaque coercens pro virili. Suprà conſiderauimus Zelum pro gloriâ Dei. Hoc loco eſt ſermo de Zelo pro publico bono patriæ: vt cùm Simſon amore patriæ, & indignatione aduerſus Philiſtæos, accenſus fuit, vt ſuſciperet labores & pericula pro populo ſuo. *Iudic.* 14. 15. 16.

XLV. Caſtitas eſt puritas animi & corporis, vitans omnes libidines à Deo prohibitas. Ea conſideratur in genere, quatenus omnibus hominibus conuenit *Leuit.* 18. *v.* 24. *c.* 19. *v.* 2. *Deut.* 23. *v.* 17. *Prou.* 5. *verſ.* 8. *c.* 6. *v.* 25. *Act.* 15. *v.* 20. *Rom.* 13. *v.* 13. 1. *Cor.* 5. *v.* 9. 2. *Cor.* 7. *verſ.* 1. *Gal.* 5. *verſ.* 25. *Eph.* 5. *ver.* 3. *Phil.* 4. *v.* 8. *Col.* 3. *v.* 5. 8. 9. 1. *Theſſ.* 4. *verſ.* 3. 4. 5. 7. 1. *Tim.* 3. *ver.* 2. 2. *Tim.* 2. *v.* 22. *Tit.* 1. *v.* 18. *Hebr.* 12. *v.* 14. 1. *Petr.* 2. *v.* 11. 1. *Ioh.* 2. *v.* 16. 17. *Iud. v.* 24. *Apoc.* 2. *verſ.* 21. Vel in ſpecie, quatenus eſt virginalis

1. *Cor.* 7.

1. *Cor.* 7. vel coniugalis *Hebr.* 13. *v.* 4. vel vidualis 1. *Tim.* 5. *v.* 5. 6. 1. *Cor.* 7.

XLVI. Verecundia est virtus, quæ metuit cõspectum Dei & angelorum, itemque infamiam comitantem delicta, & metu iudicij diuini coërcet cupiditates, habitumque corporis ita regit, vt conueniat ordini naturæ, personarum, & locorum. Cernitur hæc virtus in vultu & oculis *Iob.* 31. *ver.* 1. *Gen.* 24. *v.* 64. *Prou.* 7. *v.* 13. in verbis honestis *Gen.* 4. *vers.* 1. *Psal.* 51. *vers.* 1. *Esa.* 7. *v.* 20. paucis item & submissis. *Matth.* 12. *vers.* 19. *Prou.* 10. *v.* 19. denique in vestitu *Tit.* 2. *vers.* 3.

XLVII. Temperantia est virtus, quæ moderatur appetitum cibi & potus. Eius partes sunt *Abstinentia* & *Sobrietas*; è quibus illa seruat modum naturæ conuenientem in sumendo cibo, hæc in potu. Vide *Luc.* 21. *vers.* 34. *Rom.* 13. *vers.* 13. *Prou.* 20. *vers.* 1. *cap.* 23. *vers.* 26.

XLVIII. Sedulitas est, quâ quis diligenter facit labores vocationis suæ. Vide *Gen.* 3. *v.* 19. 1. *Cor.* 7. *v.* 24. *Prou.* 6. *v.* 4. *& seqq.*

XLIX. Studium honestè rem parandi est virtus, quæ docet ita laborare, vt in vocatione nostrâ conuenientes facultates paremus. Ita nempe vt cœlestem benedictionem expectemus à Deo, quem piis precibus vitâque sanctâ nobis conciliamus. *Psal.* 127. *&* 128. 1. *Cor.* 3. *v.* 7. 8.

L. Parsimonia est, quâ bona rectè parta rectè custodimus ad vsus in vitâ quotidianâ necessarios. Vide *Esa.* 65. *v.* 8. *Eccles.* 19. *v.* 1. *Iohan.* 6. *v.* 12.

LI. Sufficientia est, quâ vnusquisque suo demenso & sorte contentus est. Putà bonis, statu, honore, opibus, & similibus. 1. *Tim.* 6. *v.* 6. *& seqq. Ps.* 37. *v.* 16.

LII. Frugalitas est, quâ quis proprias facultates refert ad vsus à Deo ordinatos. Ita nempe, vt iis vtatur ad Dei gloriam, suam ipsius & aliorum vtilitatem. *Eccles. 9. v. 9. Psal. 104. v. 15. & 128.*

LIII. Iustitia commutatiua in contractibus, seu commutatione rerum, seruat æqualitatem Arithmeticam. Regulas ipsius vide *Leuit. 25. vers. 14. Matth. 7. v. 12. 2. Cor. 8. v. 3. Deut. 23. v. 20.*

LIV. Liberalitas, siue beneficentia, est virtus, quâ pro viribus nostris communicamus bona nostra. Vide *Hebr. 13. vers. 16. Luc. 6. vers. 35. Gal. 6. vers. 9. 10.*

LV. Hospitalitas est, quâ hospites, & inprimis exules, officijs hospitalibus complectimur. Officia hospitalia sunt posita in rectè excipiendo, tractando siue recreando, & dimittendo. Vide de hâc virtute *Rom. 12. v. 13. 1. Petr. 4. v. 13.*

LVI. Veracitas est, quâ rem, sicut se habet, iuxta cordis sensum, & rationis dictamen, proferimus. Vide *Zach. 8. vers. 16. Matth. 5. vers. 37. Iacob. 5. vers. 12.*

LVII. Eulalia est, quâ veritatem proferimus sono conueniente. Ita nempe, vt gratia sit in sermone nostro. *Psal. 45. v. 2. 3.*

LVIII. Docilitas est, quâ facilè cedimus meliori sententiæ. Ne scil. philautiâ aut arrogantiâ pertinaciter amplectamur falsas opiniones, sed vt alios meliora docentes libenter audiamus & sequamur. *2. Tim. 3. vers. 15.*

LIX. Taciturnitas est moderatus linguæ vsus. Neque enim sic dicitur, quòd doceat nos semper tacere, sed quòd linguam coërceat fidei & charitatis sanctæ regulis. *Iacob. 3. v. & seqq. Psal. 34. v. 14. & 39. v. 2.*

LX. Affa-

LX. Affabilitas est, quâ faciles sumus & morati in alloquendo. Vide *Matth.* 10. *v.* 12.

LXI. Comitas est virtus, quâ in sermone suauitatem erga alios declaramus. Ita nempe, vt in loquendo, audiendo, respondendo, salutando &c. beneuolétiam nostram cum sale aliquo testatam faciamus: 2. *Tim.* 3. *v.* 10. 1. *Cor.* 13. *v.* 4. *Coloss.* 3. *v.* 12. *c.* 4. *v.* 6. *Matt.* 10. *v.* 12.

LXII. Vrbanitas est, quâ ornatur sermo cum decoro. Huiusmodi ornamenta sunt ænigmata, tropi vrbaniusculi, sales decori & non mordaces, & similia ornamenta, quibus alij admonentur, leniuntur, vel irritantur. *Iudic.* 14. *v.* 15.

LXIII. Puritas cordis est sancta ordinatio & moderatio, cogitationum, cupiditatum & affectuum. Hanc Deus requirit in omnibus nostris viis & operibus. 1. *Tim.* 1. *vers.* 5. 1. *Thess.* 5. *vers.* 23. *Eph.* 4. *v.* 23.

LXIV. Lucta aduersus prauas cogitationes & appetitus est, quando resistimus quàm acerrimè omni inordinatæ motioni. Hanc graphicè describit apostolus *Rom.* 7.

Atque hæc est Ethica sacra, cuius *finis & norma* debet esse lux illa pura, plena, infinita, fontalis, & vitalis, quæ est Deus, itemque Christus in carne patefactus: *subiectū informationis* debet esse anima deiformis, hoc est, illa, quæ cupit Deo magis magisque fieri similis: *media* denique debent esse tres viæ siue semitæ splendidæ; videl. via *purgatiua*, quâ vitium expurgemus, auertendo mentem, voluntatem, & affectum à vanitate huius mundi, & conuertendo illa ad Deum: *via illuminatiua*, quâ lux illa diuina illabatur animo purgato à sordibus: & *via vnitiua*, quâ mens diuinâ speculatione atque amore velut ignea effecta relinquat cuncta creata, & Deo per sapientissimam ignorantiam rerum nauci, in splendidissimâ abysso vniatur. Atq; hæ tres viæ in quâlibet virtute debent expendi.

XIX. OECO-

XIX.

OECONOMICA SACRA.

I. OEconomica ſacra eſt prudentia rectè curandi domum, ex ſacris literis collecta.

II. Domus eſt communitas familiæ, reique familiaris. Duæ ig. ſunt partes domus: videl. familia, & res familiaris. 1. *Reg.* 4.

III. Familia eſt ſocietas perſonarum domeſtici conuictus iure deuinctarum. Dici poſſunt perſonæ œconomicæ ſeu domeſticæ.

IV. Perſonarum œconomicarum ſpectatur ſocietas & officium. Græcè dices συζυγίαν καὶ περίποιν.

V. Societas perſonarum œconomicarum eſt mutua illarum obligatio ad præſtandum ſibi inuicem debita familiæ officia.

VI. Societas iſta eſt triplex: coniugalis, patria & herilis. *Eph.* 5. *&* 6. *Coloſſ.* 3.

VII. Societas coniugalis dicitur coniugium, quod eſt vnius viri & fœminę individua coniunctio. Tam arcta eſt hæc vnio, vt duo fiant vna caro. *Gen.* 2. *v.* 23. 24. *Matth.* 19. *v.* 5. Vna, inquam, caro iure naturæ ſeu primæ creationis, & iure vocationis ſiue officij. Eſt autem coniugium, vel primum, inter duas perſonas, quæ antea non vixerunt in coniugio, vt *Gen.* 11. *v.* 29. 1. *Reg.* 3. vel ſecundum, inter duas perſonas, è quibus alterutra, vel vtraque antehac vixit in coniugio, & peruenit ad ſtatum viduitatis. Vſitatè appellant ſecundas nuptias, & ſecunda vota: quorum ius probatur exemplo Abrahami *Gen.* 25. & Moſis. *Num.* 12. & authoritate apoſtolicâ. *Rom.* 7. *v.* 2. 3. 1. *Cor.* 7. *v.* 8. 9. 1. *Tim.* 5. *v.* 14. Iniqua ig. eſt ſententia Tertulliani, qui patrocinium vniuiratus ita ſuſcepit,

pit, vt ſecundas nuptias damnauerit. Deinde coniugium eſt ſterile, vel fœcundum, vt in Leâ & Rahele videre eſt *Gen.*30. Tertiò coniugium eſt felix & tranquillum, vel infelix & turbulentum. Sic Abrahami coniugium cum Sarâ erat felix *Gen.* 21. Iobi infelix exparte vxoris *Iob.* 2. Abigailis infelix ex parte mariti Nabalis. 1. *Sam.* 25.

VIII. Societas patria eſt, quâ parentes & liberi inter ſeſe devinciuntur. Huc pertinet fratrum & ſororum mutua affectio & coniunctio in eâdem familiâ. *Gen.* 25. *Eph.* 6. *Coloſſ.* 3.

IX. Societas herilis eſt, quâ herus & ſeruus inter ſeſe deuinciuntur. Sub hero hera, ſub ſeruo ſerua intelligitur. Pertinet huc ſeruorum inter ſe mutua affectio & coniunctio in eâdem familiâ. *Gen.* 24. *Eph.* 6. *Coloſſ.* 3.

X. Officium œconomicum eſt, ad quod præſtandum obligantur perſonæ œconomicę. Eſtq; aliud internum, quod perſonæ iſtæ præſtare tenentur erga ſe mutuò: aliud externum, quod erga alios, putà vicinos & ſimiles, præſtare debent.

XI. Officium œconomicum internum eſt coniugale, patrium, vel herile.

XII. Officium coniugale eſt, ad quod præſtãdum obligantur coniuges, iique aut inituri coniugium, aut qui iam inierunt.

XIII. Inituri coniugium faciant officium ſuũ præparando, eligendo, promittendo, & conuenientem ſolennitatem adhibendo. *Præparatio* eſt pia iuuenum & puellarum compoſitio, quâ ſtudent pietati & caſtitati, Deumque orant vt omnibus ipſorum laboribus & cogitationibus benedicat, diſcunt deniq; ea, quæ per vniuerſam vitam proſunt in coniugio. 1. *Tim.* 4. *verſ.* 8. 6. 5. *v.* 22. *Eph.* 4. *v.* 28. Exempla vide Iſaaci, Iacobi, Rebec-

Rebeccæ, Rahelis, & filiarum ſacerdotis Midian. *Gen.* 24. & 29. *Exod.* 2. *Electio* eſt, quâ deligitur perſona diligenda; vbi primò requiruntur preces ad Deum, deinde prudens conſideratio donorum, è quibus alia principaliter, alia minùs principaliter ſunt ſpectanda. Principaliter ſpectari debet pietas, caſtitas, peritia œconomica, & paritas religionis. *Prou.* 11. *v.* 16. *c.* 31. *v.* 11. *& ſeqq. Eccleſ.* 26. *v.* 1. 2. 3. *Deut.* 7. *v.* 3. 4. *Gen.* 24. *v.* 3. *Iudic.* 14. *v.* 4. *c.* 3. *v.* 6. 1. *Reg.* 11. *v.* 1. Minùs principaliter ſpectari debet dos & forma. Ni ſi principaliter hæc duo ſpectentur, nulla ſperari poteſt benedictio à Deo. *Eccleſ.* 25. *v.* 25. 26. *c.* 26. *v.* 1. 2. 3. 4. *Promiſſio* coniugii non debet eſſe clandeſtina, ſed parentibus, vel iis qui ſunt loco parentum, cognita: non ſophiſtica, lubrica & fallax, ſed plana, firma & certa *Exod.* 20. *v.* 12. *Gen.* 24. *Tob.* 5. Huc pertinent *Sponſalia*, quæ ita debent celebrari, vt fiant vtrinque pia vota, quibus omnia fauſta nouis coniugibus exoptentur; item vt conuiuio lætoexhilarentur propinqui, & acta ſponſaliorum literis conſignentur; denique vt noui coniuges ad ſincerum & mutuum amorem incitentur, protectioni & tutelæ Dei commendentur, ipſisque omnia pietatis & humanitatis officia deferantur. *Gen.* 24. *Tob.* 7. & 8. *Solennitas nuptialis* conſiſtit in inuitatione, ornatu ſponſi & ſponſæ, ritibus & conuiuio nuptialibus: in quibus omnibus decorum, conſuetudo, & conditio noſtra ſpectanda. *Gen.* 29. *Iudic.* 14. *Pſalm.* 45. *Eſa.* 62. *verſ.* 1. 7. *Tob.* 8. & 9. 1. *Maccab.* 9. *Iohan.* 2.

XIV. Qui iam inierunt coniugium, illudq; conſummarunt, debent facere officium commune, & proprium.

XV. Officium commune coniugum eſt pietatis, mutui amoris, & fidelitatis. *Pietatis* officium eſt, quo coniuges Deum amant, timent, honorant, & inuocant aſſiduis precibus, vt ipſorum coniugium iuuare & ornare velit. *Pſal.* 127. & 128. *Tob.* 8. Quòd ſi coniugium

gium ipsorum sit sterile, vel infelix, ne murmurent aduersus Deum, sed patienti sint animo, & instent precibus *Gen.* 25. *v.* 21. Si verò coniugium sit fœcundum, tranquillum & felix, agant Deo gratias, & ita se gerant, vt ille hanc benedictionem ipsis continuet *Gen.* 30. *v.* 20. *Ps.* 128. Officium *amoris mutui* est, quo coniux alter alterum ita complecti & prosequi debet, vti suam ipsius carnem amat. *Gen.* 2. *v.* 24. *Matth.* 19. *v.* 5. 6. Quòd si fortè contentio & discordia inter coniuges oriatur, ne diu illam alant, sed adhibeant pia media, quibus, quàm primùm fieri potest, fiat animorum vera reconciliatio. Si enim omnibus Christianis, multò magis pijs coniugibus hoc conuenit. *Matt.* 5. *v.* 23. 24. Officium *fidelitatis* consistit in fide coniugali, vt illa seruetur salua & illibata *Exod.* 20. *v.* 13. *Leuit.* 20. *v.* 10. *Malach.* 2. *ver.* 14. itemque in curâ rei domesticæ. *Gen.* 11. *vers.* 31. *Psal.* 127. *&* 128. *Eccleſiaſtic.* 7. *ver.* 22. 23. 24. 25. 26. Ad fidem coniugalem pertinet mutua coniugum beneuolentia. 1. *Cor.* 7. *v.* 2. 3. 4. *Tob.* 8. *v.* 7.

XVI. Officium coniugale proprium est mariti, vel vxoris.

XVII. Officium mariti est affirmatiuum & negatiuum. *Officium affirmatiuum* est, amare vxorem vt corpus & carnem suam. *Prou.* 5. *v.* 18. 19. *Eph.* 5. *v.* 25. 28. 29. rectè vti potestate & imperio maritali *Gen.* 3. *v.* 16. *Coloſs.* 3. *v.* 19. *Eccleſ.* 4. *v.* 35. concedere vxori potestatem competentem in liberos, seruos & ancillas *Gen.* 16. *v.* 6. prudenter conuersari cum vxore 1. *Petr.* 3. *v.* 7. muliebrem imbecillitatem in vxore corrigere suâ mansuetudine 1. *Cor.* 9. *v.* 22. denique morositatem, iracundiam, & fastum, quâtum fieri potest, amicis & grauibus admonitionibus reprimere. *Iob.* 2. *v.* 10. *Officium negatiuum* est, non pati se per vxorem seduci in superstitionem & errorem 1. *Cor.* 14. *vers.* 34. 35. non pati vxorem suam in errore permanere. 1. *Tim.* 2. *v.* 11. non admittere imperium muliebre in se. 1. *Tim.* 2. *v.* 12. 13. 14. non audire vxorem in publicis negotiis,

tiis, nisi fortè fidelem admonitionem suggerat. *Gen.* 21. *v.* 10. 12. *Esth.* 7. *v.* 3. *& seqq.* denique non facilè vxori committere arcana. *Iud.* 16. *v.* 17. *Mich.* 7. *v.* 5.

XVIII. Officium vxoris consistit in dilectione, subiectione, studio virtutum vxori inprimis conuenientium, adiumento, & applicatione. *Dilectio* debet ita esse comparata, vt vxor solum maritum vnicè diligat. 1. *Tim.* 2. *ver.* 15. *Tit.* 2. *v.* 4. idque etiam in rebus aduersis. *Gen.* 12. *v.* 2. 7. *& seqq. Subiectio* est, quâ vxor, memor suæ infirmitatis, marito suo paret in omni re honestâ. *Gen.* 3. *v.* 16. *Rom.* 7. *v.* 1. 2. *Eph.* 5. *v.* 22. 23. 24. 1. *Tim.* 2. *v.* 11. 12. *Tit.* 2. *v.* 5. 1. *Petr.* 3. *v.* 1. 5. 6. *Virtutes vxori cum primis conuenientes*, sunt modestia, pudicitia, sobrietas, frugalitas &c. 1. *Tim.* 3. *v.* 11. *Tit.* 2. *v.* 3. 4. 5. 1. *Petr.* 3. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. Officium *adiumenti* est in eo, vt vxor marito suo auxilium ferat pro viribus. *Gen.* 2. *v.* 20. *Tob.* 8. *v.* 6. Officium *applicationis*, siue accommodationis, est, quo pia vxor se applicat ad animum ac mores mariti, quantum per religionem & conscientiam fieri potest, eique gratificatur omnibus honestis & licitis modis. *Prouerb.* 31. *v.* 12. *Eccles.* 26. *v.* 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Cæterùm exemplum bonæ mulieris sunt Sara 1. *Pet.* 3. *v.* 6. Abigail 1. *Sam.* 25. Hanna 1. *Sam.* 1. malæ, vxor Iobi & Tobiæ senioris. *Iob.* 2. *Tob.* 2.

XIX. Officium in societate patria est parentum erga liberos, liberorum erga parentes, & liberorum erga se inuicem.

XX. Officium parentum erga liberos est commune, vel proprium. *Officium commune* est vtriusque parentis, & consistit in φιλοστοργίᾳ, quâ fit, vt parentes summoperè ament suos liberos, illorumque saluti inde à momento conceptionis vsque ad eam ætatem, quâ sibi rectè consulere possunt, quàm solicitissimè prospiciant. *Esa.* 49. *v.* 15. *Matth.* 7. *v.* 9. 10. 1. *Reg.* 3. *v.* 26. Effecta huius philostorgiæ sunt, infantes recens natos Christo offerre per baptismum *Matth.* 19. *v.* 13. 14. in primâ pueritiâ illos

domi

domi suæ docere capita Catechetica & formulas precum *Deut.* 4. *v.* 40. *c.* 6. *v.* 2. 2. *Tim.* 3. *v.* 15. tempestiuè ipsos mittere in scholam. *Hebr.* 6. *v.* 1. ducere ipsos ad conciones sacras. *Deut.* 31. *vers.* 12. *Ioel.* 2. *v.* 16. *Matth.* 21. *v.* 15. 16. *Luc.* 2. *v.* 46. domi ab illis exigere conciones, & omninò fungi vicem præceptorum domesticorum. *Deut.* 6. *v.* 7. *Psal.* 34. *v.* 12. *Prou.* 4. *v.* 1. 2. 3. *& seqq.* item potestate patriâ & disciplinâ erga illos rectè vti *Prou.* 13. *v.* 24. *c.* 19. *v.* 18. *c.* 23. *v.* 13. 14. *c.* 29. *vers.* 15. *Hebr.* 12. *v.* 5. 6. *Eccles.* 30. *v.* 1. exploratis ipsorum ingeniis, ipsos ad certum vitæ genus dirigere. *Prou.* 20. *v.* 11. colligere ipsis thesauros, quantum possunt illæsâ conscientiâ. *Prou.* 19. *ver.* 14. 2. *Cor.* 12. *v.* 14. ita nempe, vt simul, & inprimis, relinquant ipsis thesauros in cœlo *Matth.* 6. *vers.* 20. *Prou.* 8. *v.* 10. 11. Officium proprium est patris, vel matris. *Proprium patris officium* est tum *defensionis*, quâ liberos suos pro viribus, quibus præ matre pollet, ab omnibus malis tutos præstat *Matth.* 2. *v.* 14. tum *authoritatis*, quâ ipsos in officio continet *Eph.* 6. *v.* 4. tum *solicitudinis*, quâ ipsos elocat, & post mortem quoque ipsis prospicit de alimentis, tutoribus &c. *Gen.* 24. *&* 49. 2. *Paral.* 21. *v.* 3. *Iohan.* 19. *v.* 26. 27. 1. *Maccab.* 2. *v.* 64. *& seqq. Proprium matris officium* est tum lactationis, tum familiaritatis. Illud in eo consistit, vt mater proprio lacte nutriat infantulum, si pet valetudinem possit. *Gen.* 21. *vers.* 7. 1. *Sam.* 1. *v.* 23. Hoc situm est in maternâ conuersatione & institutione. *Gen.* 24. *v.* 15. 16. *c.* 29. *v.* 6. Familiaritas ista temperanda est grauitate, ne degeneret in indulgentiam. *Esa.* 3. *v.* 17. *Eccles.* 42. *v.* 12.

XXI. Officium liberorum erga parentes est obedientiæ, obseruantiæ, & gratitudinis. In his enim posita est philostorgia liberorum erga parentes. *Obedientia* est, quâ liberi etiam ad nutus parentum, & interna animi sensa vel coniecturis cognita, prómtè actiones suas ex animo instituunt. *Prou.* 6. *v.* 20. *c.* 15. *v.* 5. *Eph.* 6. *v.* 1. 2. 3. *Col.* 3. *v.* 20. Sed cauto hîc est opus, ne ista obedientia sit cœca & nimia, putà impia & inhonesta. *Matt.* 10.

verſ. 37. *Luc.* 14. *v.* 26. 1. *Reg.* 2. *v.* 19. *& ſeqq. Obſeruantia* eſt, quâ liberi animum ſuum honorificum erga parentes aliis etiam declarant: putà comitate in verbis; induſtriâ in ſuſcipiendis & perficiendis iis, quæ parentib. ſciunt honori eſſe & delectationi; miniſteriis denique & officioſitate. *Leuit.* 19. *v.* 3. *Deut.* 27. *v.* 16. *Eccleſiaſtic.* 3. *v.* 2. *& ſeqq. Tob.* 4. *v.* 3. *& ſeqq.* Huius obſeruantiæ pars magna eſt tegere, & quaſi condonare infirmitates parentum, præſertim vbi conſenuerunt. *Gen.* 9. *verſ.* 23. *Prou.* 20. *v.* 20. *c.* 23. *ver.* 22. *c.* 30. *v.* 17. *Eccleſ.* 3. *v.* 13. 14. 15. *Gratitudo* eſt, quâ liberi parentes ſenio confectos, ſi neceſſitas poſtulat, viciſſim alunt ac iuuant, quod Græci eleganter dicunt *ἀντιτροφεῖα*. *Gen.* 47. *v.* 1. *& ſeqq.* 1. *Tim.* 5. *v.* 4. *Eccleſ.* 3. *v.* 15. 16. 17.

XXII. Officium liberorum erga ſe inuicem conſiſtit in mutuo amore & auxilio. Vide *Pſal.* 133. *Gen.* 37.

XXIII. Officium in ſocietate herili eſt dominorum erga ſeruos, ſeruorum erga dominos, & ſeruorum erga ſe inuicem. *Officium dominorum erga ſeruos* eſt directio ſeruorum ad exercitia pietatis, & operas vitæ neceſſarias. Directio ad exercitia pietatis inprimis in eo vertitur, vt heri hoc agant vt ſerui audiant conciones, & ſabbatum rectè tranſigant. *Exod.* 20. *v.* 10. 1. *Sam.* 1. *v.* 21. *Ioh.* 4. *ver.* 53. *Act.* 10. *v.* 2. Directio ad operas eſt, qua pater & materfamiliâs exigunt à ſeruis penſum ordinarium. *Eccleſ.* 33. *v.* 28. 29. & laborantibus dant competentem cibum & potum iuſto tempore. 1. *Tim.* 5. *verſ.* 18. *Matth.* 24. *v.* 45. *Eccleſ.* 33. *v.* 25. & numerant mercedem debitam. *Leuit.* 19. *v.* 13. *Deut.* 24. *v.* 14. *Luc.* 10. *v.* 7. & tuentur ſeruos contra iniuriam aliorum. *Eccleſ.* 33. *v.* 31. item ſequuntur ipſorum conſilia bona. *Eccleſ.* 10. *v.* 28. fidelitatem quoq; ipſorum compenſant præmiis, procuratione coniugij, curatione valetudinis aduerſæ &c. *Matth.* 25. *v.* 21. *Eccleſiaſtic.* 7. *v.* 20. 21. fugiunt inſuper indulgentiam in ſeruos,

& fa-

& familiaritatem cum iis. *Prou.29.v.19. Eccles.33.v.27.28.* neque tamen ideo rigorem adhibent. *Eph.6.v.9. Leuit.25.v.53.* sed debitam seueritatem; putà erga ignauos, contentiosos, temulentos &c. *Prou.14.v.vlt. Matth.20.v.13.14.* 5 *c.24.v.48. & seqq. Luc.16.v.1.2. Officium seruorum erga dominos* est triplex; venerationis, obsequij, & fidelitatis. *Veneratio* est, quâ serui honore debito prosequuntur patrem & matrem familiâs. *1. Tim.6.v.1.2.* dissimiles scil. Hagari. *Gen.16.v.4. Obsequium* est, quo serui ex animo suis domi- 10 nis obediunt. *Psal.123.v.2. Gen.16.v.9. Eph.6.v.5.6.7.8. Coloss.3.v.22.23.24.* Quòd si domini sint rigidiores & morosiores, patienter ista vitia ferunt. *1. Pet.2.v.18.19. Fidelitas* est, quâ serui omnia sua ministeria ad herorum commoda dirigunt, etiam sponte suâ. *Tit.2.vers.9.10. Luc.12.* 35 *v.42. c.16.v.13. Matth.6.v.24. Officium seruorum erga se inuicem* est amoris & auxilij mutui. *Matt.24.v.45.49. Luc.12. v.42.45.*

XXIV. Officium œconomicum erga vicinos est concordiæ & beneficentiæ. *Concordia* est, quâ 20 vicini ad mutuam beneuolentiam & pacem propendent. *Gen.13.v.8.9. Prou.27.v.10. Eccles.25.v.2. Beneficentia* est officium necessitatis & iucunditatis. *Officium necessitatis* cernitur in dando mutuo, siue pecuniam, siue supellectilem petat vicinus pius & egens. *Deut 15.v.7.8. Tob.1.* 25 *v.16. Luc.6.v.35. Eccles.29.v.2.* item in fideiussione prudenti & necessariâ. *Prou.6.v.1.2.3. Eccles.29.v.17.* item in commodis vicini promouendis, ita nempe vt vicinus adsit vicino temporibus tristibus, eique condoleat, lætis verò congratuletur. *Luc.1.vers.58. c.7.vers.12. Iohan.11.v.19.* 30 item hortetur vicini seruos & ancillas ad debitam erga dominum suum fidelitatem, non verò illos alienet aut corrumpat. *Exod.20. vers.17. Philem.v.13.14.* denique iumenta, domos, & agros vicini iuuet atque promoueat, 35 non verò lædat, vel auferat. *Exod.22.v.5.6. Deut.22.v.1. & seqq. c.27.v.17. Officium iucunditatis* est, quo vicinus er-

ga vicinum beneuolentiam & amorem ſuum interdum moderato conuiuio declarat. *Zach.* 3. *v.* 10.

XXV. Hactenus de familiâ, primâ domus parte, ſequitur res familiaris, quâ tanquam inſtrumento vtitur dominus familię, vt domus ſit beata. Intellige beatitudinem œconomicam.

XXVI. In re familiari conſideratur tum acquiſitio, tum conſeruatio, tum denique diſpenſatio.

XXVII. Acquiſitio rei familiaris eſt, quâ illa iuſtè comparatur. Hîc videnda eſt virtus acquiſitionis, & modus acquirendi. *Virtus acquiſitionis* eſt pia & prudens induſtria. *Deut.* 28. *Pſal.* 127. Inprimis hîc requiritur vigilantia patris & matris familiâs 1. *Tim.* 3. *verſ.* 5. *c.* 5. *v.* 8. *Prou.* 31. *v.* 10. *& ſeqq.* itemque accurata operarum diſtributio, pro commoditate & ratione temporis. *Eccleſ.* 3. *Rom.* 12. *verſ.* 11. vbi iubemur ſeruire tempori. *Modus acquirendi* rem familiarem eſt naturalis, vel artificialis. *Naturalis* eſt, qui ex terrâ & animantibus docet rem facere: vt eſt agricultura & pecuaria. *Agricultura* eſt antiquiſſimus acquirendi modus, ipſis patriarchis frequentatus. *Gen.* 2. *v.* 5. 8. *c.* 3. *v.* 17. *& ſeqq. c.* 9. *v.* 20. *Pecuaria* eſt agriculturæ proxima. *Gen.* 4. *v.* 2. *c.* 47. *v.* 3. *Exod.* 3. *v.* 1. Modus acquirendi *artificialis* eſt, qui conſiſtit in actionibus ciuilibus, quas artis induſtria & prudentia regit. Eius ſpecies multæ ſunt: videl. donatio, hæreditas, venatio, mercatura, operæ locatio &c. *Donatio* eſt modus acquirēdi facillimus. *Gen.* 24. *verſ.* 53. 1. *Sam.* 30. *v.* 26. *Hæreditas* ſimiliter. *Ioſ.* 17. & 19. *Prou.* 19. *v.* 14. *Venatio* eſt modus acquirendi, qui facilè reddit hominem ferum & agreſtem. *Gen.* 27. *v.* 5. *Mercatura* fit nauigatione, deuectione, emtione, venditione, permutatione, cambio &c. *Gen.* 37. 1. *Reg.* 5. Eſt autem hic acquirendi modus valde periculoſus, non tantùm propter iacturam, quam ſæpenumero patiuntur mercatores,

ſed

sed etiam propter multiplices fraudes, quibus id hominum genus est deditum. *Eccles.* 27. *v.* 1. 2. 3. *Leuit.* 19. *v.* 35. 36. *Prou.* 11. *v.* 1. *Ezech.* 28. *v.* 18. Inprimis hîc Deo displicent flagellatio annonæ *Leuit.* 25. *vers.* 35. *Prou.* 11. *v.* 26. *Amos.* 5. & 8. & vsura mordax. *Leuit.* 25. *v.* 36. 37. *Nehem.* 5. *Psal.* 15. *Operæ locatio* est, quando pro mercede opera hominis venditur. Ea fit exercitio artium liberalium & mechanicarum. *Gen.* 4. *v.* 21. 22. *Exod.* 36. *v.* 1. *Eccles.* 38. *v.* 1. 25. *& seqq.*

XXVIII. Conseruatio rei familiaris est, quâ bona legitimè parta piè possidentur, & ne dilabantur, prouidè custodiuntur. Hanc ad rem *primò* requiritur αὐτάρκεια, quæ facit, vt pater & materfamiliâs facultatibus suis, quas Dei benedictione & honesto suo labore pepererunt, sint contenti. 1. *Tim.* 6. *v.* 6. *& seqq. Prou.* 15. *&* 16. *Deinde* oportet, vt adsit parsimonia œconomica, cuius vis est longè maxima in conseruandâ & amplificandâ re familiari. *Iohan.* 6. *v.* 12. *Tertiò* requiritur laborum continuatio. *Prou.* 10. *v.* 4. 5. *Quartò* luxus est vitandus. *Eccles.* 19. *v.* 1. *Sextò* fiducia in diuitijs non est ponenda. *Prou.* 11. *v.* 28. *Psal.* 62. *v.* 11. *Septimò* non oportet insolescere opibus, contra Deum vel proximum. *Prou.* 30. *v.* 7. 8. 9. *Iacob.* 2. *v.* 1. 2. *& seqq.* 1. *Tim.* 6. *v.* 17.

XXIX. Dispensatio rei familiaris est eius vsurpatio legitima ad Dei gloriam, & nostrum, ac aliorum commodũ. Hanc suadet pietas erga Deum, vrget charitas erga nos & proximum, moderatur oculus œconomicus iuxta facultatum modum. Oportet autem rem familiarem siue possessionem in *tres partes* dispescere. *Prima pars* dispensetur Deo, hoc est, templis, ministris verbi, scholis, & alijs piis vsibus. *Exod.* 36. *v.* 4. *Mal.* 1. *v.* 7. *& seqq. Eccles.* 35. *v.* 5. 11. *Secunda pars* cedat in tuum tuorumque vsum, ita vt vnà cum tuis vtaris-fruaris bonis Dei cum gratiarum actione & frugalitate. *Psal.* 104. *vers.* 15. 1. *Tim.* 4. *v.* 5. 6. 5. *v.* 23. *Tertia pars* cedat proximo indigenti operâ tuâ 1. *Tim.* 5. *v.* 18. Hîc verò duplici opus est cautione.

Primò omnibus quidem est benefaciendum, qui indigent, maximè tamen domesticis fidei. *Gal. 6. v.* 10. Deinde ita est dandum, ne egrediamur dominio facultatum nostrarum. *Prouerb. 5. v. 16. 17.*

Atque hæc sunt generalia monita œconomica, quæ facili negotio accommodari possunt œconomiæ regiæ, satrapicæ, politicæ, priuatæ, Sophocléæ siue literatæ, splendidæ, mediocri, &c. quarum exempla passim in sacris occurrunt: vt regiæ. 1. *Reg.* 4. *&* 7. satrapicæ *Gen.* 41. *v.* 33. *& seqq.* priuatæ *Gen.* 13. *vers.* 5. *& seqq.* splendidæ *Iob.* 1. *& vlt.* &c. In his verò omnibus oportet meminisse catholicissimi huius canonis: *Decalogus est regula vitæ ethica, œconomica, politica*, &c.

XX.

POLITICA SACRA.

I. POlitica sacra est prudentia rectè constituendi & administrandi politiam siue rempublicam, è sacris literis hausta.

II. Partes ipsius sunt quatuor: videl. de reip. fundatione, conseruatione, amplificatione, & curatione. Si malis dichotomiam, dic primam partem tractare de reip. fundatione siue constitutione, secundam de administratione, quæ cernatur in statu reip. integro & turbato. In statu integro seu bene affecto est reip. conseruatio & amplificatio: in malè affecto curatio.

III. Fundatio reip. est, quâ incipit esse communitas rerum, personarum, & actionum ad vitam ciuilem pertinentium.

IV. Hîc considerantur quatuor causæ rempublicam constituentes.

V. Causa efficiens reip. prima est Deus, secunda

cunda consensus mutuus hominum. Et primò quidem Deus est, qui transfert & stabilit regna *Dan.2.v.21. c.4.v.14.* & ab ipso solo pendet felicitas reip. *Deut.4.v.40. c.6.v.1,8.12.18.c.28.2.Sam.5.v.10.c.6.v.12.c.8.1.Reg.10.v.8.2. Reg.18.v.7.2.Chron.27.28.29.31.33.34.36.Psal.37.72.85.144. 147.* Deinde consensus hominum mutuus effecit, vt coierint in societatem vitæ ciuilis. *Gen.11.* Vide paulò pòst de successionis cum electione temperaturâ.

VI. Finis reip. est tranquillitas publica coniuncta cum exercitio publico virtutis. Nam optimè imperandi & parendi præcepta omnia ad vnum eò redeunt, vt inter ciues pietas & iustitia regnet, & à subditis atque rege domi exerceatur, foris autem, vt subditi ab hostibus externis iustis armis à principe defendantur. *Psal.72.v.1.& 102.Prou.20.v.8.& 26.*

VII. Materia reip. sunt res & personæ ciuiles, ex quibus resp. constat. *Res ciuiles* sunt domus, vrbes, nummi, territorium, & similia, quæ pertinent ad vitam ciuilem commodè transigendam *Gen.4.& 11.1.Reg.4.& 5.* *Personæ ciuiles* sunt magistratus & subditi, & hi pauperes vel diuites, nobiles vel ignobiles, indigenæ vel inquilini seu peregrini. *Magistratus* in rep. est necessarius *Rom.13.* Est autem alius summus, alius inferior. *Magistratus summus* constituitur per electionem, vel successionem. Ita videmus Deum gubernasse populum à se electum, primò ductu Mosis, qui principio sine iudicibus & magistratibus volentem populum, ac senatum ad consilia vocabat, eisdemque iura reddebat. Postea soceri sui Iethronis consiliis & monitis elegit septuaginta duos seniores, ex singulis tribubus sex, qui leuiora negotia curarent. *Exod.18.* Deinde administrauit Deus eandem remp. operâ & ministerio iudicum, hoc est, gubernatorum. H enim dicebantur iudices, quòd penes eos esset authoritas & potestas dicendi ius, & remp. moderandi, sed nonnisi iuxta ipsius legis datæ præscriptum: vnde eorum potestas non

erat regia & arbitraria, sed iuxta Mosis leges & instituta. Diademate, aut sceptro, vti reges minimè vtebantur: hæreditarij non erant, sed partim consilio & authoritate prudentum hominum creabantur, partim singulari Dei vocatione designati eligebantur: bella suscipiebant, gerebant, ius dicebant, sed in omnibus legem Mosis sequebantur: tributa non imponebant. Vide passim *in libro Iudicum.* Postquam potestas iudiciaria commutata fuit in regiam, reges primò fuerunt electi, vt Saul & Dauid, sed postea Deus voluit, vt successionis iure ex certâ quâdam familiâ reges præessent populo. Et ideo hæc gubernationis forma censetur à multis optima, quòd Deus illam in populo suo constituerit. Sed hoc tenendum est, Deum probasse non simplicem successionem, sed successionis & electionis quasi temperaturam & mixturam. Hinc lex regia *Deut.* 17. sic habet: *Constitues super te regem, quem elegerit Iehoua Deus tuus.* Vbi electio regis Deo, constitutio, susceptio, vel comprobatio, populi suffragiis tribuitur. Atq; ita etiam, vbi ad reges ventum fuit, obseruatum legimus. Cùm enim populi seniores, qui vniuersum populũ repræsentabant, regem à Samuele postularent, consulenti Samueli retegit Deus, Saulem se regem elegisse. Samuel itaque Saulem vngit. Nihilominus tamen comitiis in Mispah indictis à Samuele, quasi re planè adhuc integrâ & infectâ, sorte agitur, quæ in Saulem cadit, actum demum, populo vniuerso acclamante, Saul rex nominatus dicitur 1. *Sam.* 10. *v.* 17. *& seqq. c.* 11. *v.* 14. 15. Saule deinde reprobato, Samuel Dauidem in regem Israel vngit 1. *Sam.* 16. *v.* 1. Verùm non priùs quàm Saule mortuo rex exiit, & vniuersi populi suffragiis, rex Iudæ primùm, septem autem annis pòst, vniuersi Israëlis consensu, rex Israëlis in Hebron vngitur 2. *Sam.* 2. *vers.* 4. *c.* 5. *v.* 1. Salomonem Dauid, senex & ægrotus, ipse regni successorem designat, quibusdam aulæ proceribus præsentibus 1. *Reg.* 1. *vers.* 30. 1. *Chron.* 28. *vers.* 5. Postea tamen Hierosolymis conuocat vniuersum Israëlis cœtum, vbi ab vniuerso populo Salomon

mon rex proclamatur, in regem vngitur, inque Israëlis solio collocatur, principibus & optimatibus ei sese iureiurando publicè devincientibus. 1. *Paral.* 29. *v.* 22. 23. 24. Mortuo Salomone vniuersus populus in Sichem venit, vt regem vngerent filium ipsius Roboamum, à quo onerum publicorum alleuiationē petunt, quam cùm ex sententiâ non obtinerent, decem tribus ab ipso ad Ieroboamum deficiunt 1. *Reg.* 12. *v.* 1. 4. 16. Cæso Amasiâ, Oziam, siue Azariam, filium ipsius, vniuersus Israel regem constituit. 2. *Reg.* 14. *v.* 21. 2. *Chron.* 26. *v.* 1. Simile exemplum est in Ioaso 2. *Paral.* 36. *v.* 1. & Ioâ 2. *Reg.* 11. *v.* 12. Insignis hanc in sententiam est locus 2. *Sam.* 16. *v.* 17. 18. vbi Husai ait: *Eius ero, quem elegit Iehoua, & populus iste, & omnes viri Israel, illius ero, & cum eo manebo.* Ex quibus omnibus concludere licet, regnum Israëlis hæreditarium fuisse, si stirpem vel familiam spectes, si verò personas, electitium ferè. Porrò magistratus solet inaugurari, vngi, proclamari, & alijs solennitatibus ornari atq; commendari, de quibus passim in libris Samuelis, Regum & Chronicorum. Qualitates summi magistratus quod attinet, illæ summatim describuntur *Deut.* 17. de quibus vide paulò pòst. Quæritur etiam hîc de imperio muliebri, an illud sit licitum? Resp. Per se non est illicitum, nisi si qua lex publica repugnet, vt patet in exemplo Deboræ. *Iud.* 4. *Magistratus inferior* est, qui pendet à summo, & proinde nullam sine ipsius consensu authoritatem habet. 1. *Reg.* 4. *Subditi* sunt vel omninò subditi, & merè passiuè se habēt, vt sunt singuli ciues per se & absque vllâ dignitate: vel sunt subditi secundùm quid, vt populus vniuersus, itemque magistratus inferiores. Nam populus vniuersus ita paret magistratui summo, vt possit in illum animaduertere, illumque deponere, si peccet contra leges fundamentales. 1. *Sam.* 12. *v.* 4. *c.* 13. *v.* 14. 2. *Reg.* 14. *v.* 19. Populum autem repræsentant Ordines siue Ephori alicuius regni & prouinciæ. Magistratus quoque inferiores possunt pro modo suę iurisdictionis resistere magistratui summo,

si tyrannus euadat, qui corrigi non possit. *Iud.* 3. *v.* 19. *c.* 9. *v.* 21. Cæterùm inter subditos alij sunt diuites, alij paupe-res. *Deut.* 15. *v.* 4. 6. 7. & rursus alij nobiles, alij ignobiles *Num.* 1. *v.* 16. *Esa.* 3. *v.* 5. 1. *Sam.* 9. *v.* 6. *Act.* 17. *v.* 4. alij indi-genæ, alij peregrini *Deut.* 15. alij ciues nati, alii scripti. *Act.* 22. *v.* 28.

VIII. Forma reip. est vnio rerum & perso-narum ciuilium in virtute ciuili. Estque vel monar-chia, vel polyarchia. *Monarchia* est, in quâ maiestas vni in-est. *Dan.* 2. *&* 4. *Polyarchia* est, cùm maiestas pluribus inest. Estque aristocratia, vel democratia. *Aristocratia* est, in quâ maiestas optimatibus inest. *Iudic.* 1. 2. 3. 4. &c. *Democratia* est, in quâ maiestas populo inest, ita nempe vt pars bona ciuium imperio præsideat. Omnibus his formis opponi-tur *Anarchia*, cuius mala sunt infinita: vnde meritò appel-latur Ierna & Ilias calamitatum publicarum & priuatarũ. *Iudic.* 17. *v.* 6. *c.* 18. *v.* 7. *c.* 19. *v.* 1. *c.* 21. *v.* 25. Monarchiæ op-ponitur *Tyrannis*, quæ à Nimrodo cœpit, & ab illo tem-pore infelici propagatione & successione ad nostra vsque tempora peruenit. *Gen.* 10. *Iudic.* 9. 1. *Reg.* 12. Aristocratiæ opponitur *Oligarchia*, quando ad paucos astringitur for-ma, quæ pluribus optimatibus debebatur: item *Timocra-tia*, quando habetur ratio pomposæ dignitatis, diuitiarũ, & similium. Democratiæ opponitur *Ochlocratia*, quando plebs, bellua illa multorum capitum, tumultuariè sedet ad clauum reip. Quæritur hoc loco, Quænam ex tribus reip. formis sit optima? Resp. Illa, quæ est ita mixta, vt conueniat genio populi. Huiusmodi mixtio potest esse multiplex. In Scripturis inueniuntur duo ipsius modi. Et primò quidem ratio reipublicæ, quâ per iudices populus Israëliticus regebatur, fuit mixta ex Aristocratiâ & De-mocratiâ. Nam vnus quidem præficiebatur tanquam o-ptimus, sed promiscuè ex populo, qui toti reipublicæ præerat: at monarcha, siue rex non erat, quia non arbitra-tu suo, sed legis præscripto omnia facere debebat. Et quia

isti iudices electione populi, vel saltem eius consensu, creabantur, catenus erat quodammodo Democratia, quâ ex populo quidam præficiuntur, modò hi, modò illi. Rursus quia nonnisi probi viri in iudices eligebãtur, ideò secundùm eam partem erat quædam ratio Aristocratiæ, quâ boni ratione probitatis & integritatis reip. præsunt. Tum quoque illud fuit aristocraticum, quòd iudices è populo electi non potuerunt sine Synedrio ius dicere. Synedrium illud constabat ex LXX. illis senioribus, siue optimatibus & magnatibus, quos Deus adiunxit Mosi, cũ solus vniuersum populum ferre non posset, & ipsis de spiritu Mosis dedit *Num.* 11. *v.* 14. 24. 25. Ho. seniorum horũ Synedrium perpetuum fuit in populo Dei, vsque ad Herodem Ascalonitam, teste Iosepho. Deinde tempore postatis regiæ monarchica reip. forma aristocratiâ quâdã fuit temperata. Nam vnus ad clauum gubernationis ita sedit, vt Senatu illo magno, cuius modò est facta mentio, fuerit stipatus, & ad illius consilia & deliberationes res regni graues & arduas reuocauerit. Sic Roboam habuit seniores illos, qui etiam coram patre ipsius Salomone steterunt. Sed cùm horum consilio repudiato, consilium iuuenum, qui cum ipso adoleuerant, audiret, inde regni scissura secuta est. 1. *Reg.* 12. *v.* 6. *& seqq.* Iosaphatus quoq; iudices in regno suo, ad omne negotium regium, constituit. 2. *Paral.* 19. *v.* 11.

IX. Conseruatio reip. est, quâ resp. pergit porrò esse. Eius causa est prima, vel secunda. *Causa prima* est Deus. *Prouerb.* 8. *v.* 15. *Causa secunda* est tum angelus, tum homo. *Angelus* præficitur reip. à Deo, vt constat ex *Dan.* 10. & *Act.* 16. *v.* 9. *Homo* conseruat rempublicam ordinando, administrando, & defendendo. *Ordinatio* est, quâ resp. conformatur ad exemplar magnæ illius & mundanæ reip. ita vt vbi sint summa, media, & infima; quæ certo quodam ordine prudẽtiæ ciuilis ita deuinciuntur, vt inde pulcherrima existat harmonia. *Exod.* 18. *ver.* 20. *& seqq. Num.* 1. *Administratio* est, quâ resp. gubernatur, ita vt

ſinguli ſuum faciant officium. Huius adminiſtrationis ſpectanda eſt tum norma, tum forma. *Norma adminiſtrationis politicæ* debet eſſe lex *Deut.* 17. *v.* 18. 19. *Exod.* 21. *& ſeqq.* Vide leges de religione, magiâ, mutuo, & ſimilibus, infrâ in Iuriſprudentiâ ſacra. *Forma adminiſtrationis* conſiſtit in eo, vt omnes faciant officium ſuum, parendo & obediendo, in genere, & in ſpecie. Et *in genere quidem* iſtæ virtutes requiruntur ad conſeruandum rempublicam. I. Verus veri Dei cultus. 1. *Reg.* 13. *v.* 1. *c.* 14. *v.* 22. *c.* 15. *v.* 13. *c.* 18. *ver.* 40. 2. *Reg.* 10. *v.* 16. *c.* 25. *v.* 29. 31. 33. *Pſal.* 112. 116. 119. 1. *Sam.* 2. *v.* 17. 1. *Chron.* 2. 2. *Chron.* 15. *v.* 16. 13. *c.* 24. *v.* 6. *c.* 34. *v.* 6. *c.* 17. *v.* 7. *c.* 30. *v.* 12. *Hoſ.* 1. *v.* 4. *Eſdr.* 2. *v.* 8. *c.* 1. *v.* 5. *c.* 3. *v.* 6. 7. *Nehem.* 3. *verſ.* 4. *&* 11. II. Concordia. *Pſal.* 133. III. Pax. 2. *Chron.* 1. *v.* 15. 1. *Reg.* 4. *v.* 24. *Gen.* 13. *Num.* 20. *v.* 14. *c.* 27. *v.* 4. *Deut.* 23. *v.* 7. 2. *Sam.* 3. *v.* 37. *Ioſ.* 11. *v.* 19. IV. Fides publica. *Gen.* 15. *verſ.* 13. *Exod.* 1. *&* 2. *Ioſ.* 9. *verſ.* 3. *&* 26. 2. *Sam.* 21. *v.* 6. 17. *Prou.* 20. *v.* 28. V. Societas cum vicinis & extraneis populis contracta. *Iud.* 18. *v.* 28. 1. *Sam.* 28. *v.* 2. *c.* 29. *v.* 2. *c.* 30. *v.* 2. *Iud.* 12. *v.* 1. *c.* 20. *v.* 7. 8. *c.* 21. *v.* 5. 11. *In ſpecie* requiruntur officia magiſtratus & ſubditorum, hoc modo. I. Officium cuiuslibet magiſtratus deſcribitur 1. *Chron.* 11. *v.* 19. 2. *Chron.* 13. *v.* 16. 24. 26. *c.* 29. *v.* 25. *Prou.* 26. *v.* 10. 12. *c.* 29. *v.* 14. *Exod.* 2. *v.* 13. *c.* 18. *v.* 21. 25. *Deut.* 1. *v.* 13. 14. *c.* 6. *v.* 7. *c.* 11. *v.* 19. *c.* 16. *v.* 19. 20. II. Officium ſummi magiſtratus. *Ioſ.* 1. *v.* 7. 2. *Sam.* 6. *v.* 1. *c.* 7. *v.* 1. 2. *Tim.* 2. 2. *Sam.* 23. *v.* 3. *c.* 9. *v.* 1. *c.* 15. *v.* 4. *c.* 17. *v.* 2. & nominatim *Deut.* 17. *v.* 18. *& ſeqq.* Vbi deſcribitur *lex regia*, quam Deus propoſuit populo ſuo, vt illam obſeruarent in electione regis. Continetur autem his nouem conditionibus. *Prima* eſt, vt rex nonniſi Dei conſilio & nutu creetur, ne ſit in populo ſeditio, dum rex eligitur. *Secunda*, vt non externus, ſed Hebræus rex conſtituatur, vt hâc ratione rex populum ſibi ſubiectum diligat, & viciſſim diligatur à populo, & ne ciues inducat ad alias leges, aliamue religionem. *Tertia*, vt cùm regnum acceperit, non multiplicet ſibi equos, nec amplum equitatum comparet. Ita voluit Deus, ne eſſet bello-

bellorum amator, sed pacis & quietis studiosus: & omnis prorsus hâc ratione Iudæis sublata fuit occasio eundi in Ægyptum, vnde equi comparabantur. *Quarta*, ne multiplicet sibi vxores: ne hâc videl. occasione nimium distrahatur à regni negotiis, & ne filios multiplicando, regno sit oneri. *Quinta*, ne auri argentiue copiam sibi comparet atque cumulet: ne scil. populum expilet, atque auarus fiat, lucrique cupidus. *Sexta*, vt curet sibi describi exemplar legis diuinæ quàm castigatissimum, hoc est, ad exẽplar legis eorum, qui erant legis periti, quales erant Sacerdotes & Leuitæ; vt sic ille assuescat Deum suum timere ac reuereri, ac discat seruare omnia legis mandata, & quod rectum est, iudicare. *Septima*, vt exemplar illud legis sic descriptum apud se habeat, & in eo legat cunctis vitæ suæ diebus; nempe vt bene præsit, & remp. administret. *Octaua*, ne extollat cor suum, contemnendo videl. vexando, & opprimendo subditos. *Nona*, ne vnquam ab æquo & iusto deflectat, vt ita suum cuique ius tribuat. Hæc sunt illa *iura regalia*, quæ Deus præscripsit, è quibus reliqua facillimo negotio deduci possunt. Exempla piorum regum sunt Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias. Hîc incidit quæstio, quid sibi velit ius illud regis 1. *Sam.* 8. *v.* 11. *& seqq.* Resp. Sunt qui existimant, hæc omnia, quæ ibi referuntur, regibus esse concessa, perinde ac si essent iura regalia; & omnia nostra bona esse regis, ita vt ipse sit dominus omnium nostrorum bonorum mobilium, se mouentium, & stabilium. Rursus sunt qui putant, ea omnia ibi referri tanquam per ironiam dicta: quasi Deus dicat, rex vester, quem tantopere desideratis, hæc & hæc faciet. Videte ergo quales soleant esse regis mores: his enim moribus, & hâc consuetudine vtentur erga vos reges. Alij existimant, hæc locum habere, quando publica necessitas postulat: alioqui tyrannica esse, non regia, ista iura. Nobis ita videtur. Ius regis, quod hoc loco describitur, est partim verum & legitimum, partim vsurpatum & tyrannicum. Et ius verum aut est mite, aut durum,

durum, in casu scil. necessitatis. Ius vsurpatum est, quod pugnat cum rectâ ratione, videl. cum iure diuino, naturæ, & gentium: quale v. g. est id, quod *v.* 14. dicitur, *Agros & vineas vestras accipiet.* Constat enim, Achabum grauiter peccasse, quando vineam Nabotho eripuit. Sed pergamus in recensendis officijs politicis. III. Officium magistratus inferioris describitur *Iudic.* 3. *v.* 19. *c.* 9. *v.* 21. *c.* 8. *v.* 23. 1. *Sam.* 27. *vers.* 1. *c.* 21. *v.* 14. *c.* 22. *v.* 1. 2. 4. *c.* 24. *v.* 5. *c.* 26. *v.* 16. 18. IV. Officium iudicum ciuilium. *Exod.* 18. *v.* 19. 20. *Deut.* 1. *ver.* 17. *c.* 16. *v.* 18. 1. *Reg.* 3. *v.* 27. 2. *Chron.* 19. *v.* 5. *Psal.* 82. *v.* 23. & 146. V. Officium iudicum criminalium. *Esdr.* 10. *v.* 8. *Deut.* 17. *v.* 6. *c.* 19. *v.* 11. 19. *c.* 24. *v.* 16. 2. *Reg.* 14. *v.* 6. *Ios.* 20. *v.* 9. 2. *Sam.* 12. *v.* 5. 1. *Reg.* 2. *v.* 26. 37. 1. *Sam.* 15. *v.* 33. *Nehem.* 13. *v.* 25. Vide passim leges de delictis & pœnis in Exodo, Numeris, & Deuteronomio. VI. Consiliariorum virtutes & officium. *Prou.* 11. *v.* 10. *c.* 14. 15. 16. 17. 25. 29. 1. *Sam.* 20. *ver.* 32. 2. *Sam.* 24. *v.* 3. 1. *Reg.* 12. *v.* 13. *c.* 15. *v.* 13. 2. *Chron.* 15. *v.* 16. *Psal.* 35. *ver.* 8. & 54. *v.* 5. 7. & 101. VII. Officium ciuium. *Exod.* 1. *v.* 17-20. *Act.* 4. *v.* 19. 1. *Sam.* 12. *v.* 16. *c.* 26. 2. *Sam.* 24. *v.* 4. *Iud.* 3. *v.* 15. *c.* 9. *v.* 30. 41. 51. 1. *Sam.* 31. *v.* 11. 2. *Sam.* 1. *v.* 14. 16. *c.* 16. *v.* 9. *c.* 19. *v.* 43. VIII. Officium piorum ecclesiæ doctorum. *Deut.* 9. *v.* 10. 11. *Iud.* 17. *v.* 10. 2. *Sam.* 12. *v.* 7. 13. 1. *Reg.* 17. *v.* 1. *c.* 18. *v.* 18. 2. *Reg.* 3. *v.* 13. *c.* 2. *v.* 24. 2. *Chron.* 29. *v.* 12. 34. Sequitur *defensio*, quâ resp. redditur tuta per bellum, munitiones, amicitiam cum vicinis & dissitis, & per fœdera cum amicis vel hostibus. De bello vide infra *Polemicam sacram.* De munitionibus & præsidiis vide 2. *Chron.* 11. *v.* 5. 6. *Neh.* 7. *v.* 3. *c.* 13. *v.* 19. 1. *Reg.* 9. *v.* 15. 19. De amicitiâ cum vicinis & dissitis 2. *Sam.* 5. *vers.* 11. 1. *Reg.* 4. *v. vlt. Iud.* 18. *v.* 28. 1. *Sam.* 28. *v.* 2. *c.* 29. *v.* 2. *c.* 30. *v.* 2. De fœderibus. *Gen.* 14. *v.* 13. *c.* 21. *v.* 27. 32. *c.* 26. *v.* 28. *c.* 31. *v.* 44. *Deut.* 7. *v.* 2. *Ios.* 9. *c.* 24. *v.* 24.

X. Amplificatio reip. est, quâ redditur magna & potens. Eius causa prima est benedictio Dei 1. *Reg.* 3. *vers.* 13. secunda est multiplex: putà incrementum familiarum *Exod.* 1. *Num.* 1. incrementum opum, pecorum &c. 1. *Reg.* 4. & 10. deditio hostium *Ios.* 9. *ver.* 3. expugnatio

gnatio hostium *Ios.* 12. 2. *Sam.* 5. & 8. metropolis. *Neh.* 7. *v.* 3. *c.* 13. *v.* 19. commercia cum extraneis. 2. *Chron.* 2. *vers.* 10. *Gen.* 23. *ver.* 16. *Act.* 12. *ver.* 20. mare & res nauticæ. 2. *Chron.* 8. *v.* 29. *c.* 9. *v.* 21. 1. *Reg.* 9. *v.* 26. artificia & agricultura. *Eccles.* 5. *v* 8. itinerum publicorum cura. *Deut.* 21. *v.* 4. *Esdr.* 8. *v.* 30. 2. *Chron.* 15. *v.* 5. *Deut.* 23. *v.* 24. archiua publica. 1. *Chron. per totum librum.* sumtus & reditus publici. 1. *Reg.* 4. *ver.* 7. 20. 25. 26. *c.* 10. *c.* 9. *v.* 25. multitudo populi. 1. *Reg.* 4. *vers.* 9. *Prou.* 14. *v.* 28. *c.* 14. *v.* 28. *Neh.* 3. denique ædificia publica. 1. *Reg.* 7. *v.* 1. 7. 2. *Reg.* 12. *v.* 5. 9. *c.* 22. *v.* 4. 2. *Chron.* 24. *v.* 3. *c.* 34. *v.* 8. 12.

XI. Curatio reip. est, quâ sanantur morbi ciuiles, qui malè afficiunt rempublicam. Hîc duo sunt obseruanda: quinam videl. morbi remp. infestent, & quomodo illi morbi curentur. Ad primum quod attinet, certum & ratum esse debet, politiam mutari posse, & sæpe solere. *Gen.* 47. *vers.* 21. 22. 23. *Exod.* 5. *ver.* 20. 21. *c.* 14. *v.* 12. 1. *Sam.* 18. *v.* 4. 5. *c.* 16. *v.* 1. 2. *Sam.* 10. *v.* 18. 1. *Reg.* 12. *v.* 4. 16. 24. 25. 28. 32. *Esa.* 60. *v.* 12. *Esdr.* 6. *v.* 12. *Prou.* 28. *v.* 28. *c.* 29. *v.* 8. 19. *Eccles.* 4. *vers.* 14. Hoc diligenter inculcandum est regibus & principibus, qui interdum sibi persuadent solium & regimen suum fore æternum, vt in Pharaone & Nebucadnezare videre est. Deinde morbi, qui politias euertunt, aut saltem mutationem illis adferunt, sunt atrocia peccata, quæ attrahunt pœnas varias. Peccata hîc summatim sunt contemtus Dei. 1. *Sam.* 12. *ver.* 17. 27. *Exod.* 8. *v.* 9. *c.* 14. *Ios.* 24. *v.* 11. *c.* 20. *Iudic.* 6. *v.* 6. 1. *Reg.* 11. *v.* 5. *c.* 9. *c.* 22. *v.* 44. *c.* 23. *v.* 8. 9. 2. *Reg.* 3. *v.* 2. *c.* 14. *v.* 4. *c.* 15. *v.* 4. *c.* 23. *v.* 4. 2. *Chron.* 30. *v.* 13. *c.* 31. *v.* 34. vera religio immutata *Ios.* 22. *ver.* 11. *c.* 2. *v.* 2. 18. 23. 29. 34. *Act.* 17. *v.* 11. maleficia ciuium. *Iudic.* 20. *v.* 1. 2. *Sam.* 11. *v.* 8. *c.* 22. *c.* 13. *v.* 1. 2. 3. 13. 23. 1. *Reg.* 19. *v.* 16. 17. *c.* 21. *v.* 7. 2. *Reg.* 17. *v.* 7. 8. 9. 2. *Chron.* 36. *v.* 14. crudelitas publica *Gen.* 37. *vers.* 27. *Iud.* 1. *v.* 6. *c.* 19. *v.* 19. 23. auaritia magistratus. *Neh.* 5. *v.* 15. *Prou.* 29. *v.* 4. *c.* 28. *vers.* 15. 16. seditio ciuium inter se, siue bellum ciuile. 2. *Sam.* 3. *v.* 10. 11. 13. *c.* 4. *v.* 1. coniuratio subditorum in principem. 1. *Sam.* 30. *v.* 6. defectio sociorum 2. *Reg.* 8. *v.* 20. 22. 28. tyrannis principis. *Iud.* 9. *v.* 56. mali aulici. 1. *Sam.* 18. *v.* 21.

*c.*21.*verſ.*8.*Pſal.*52.2.*Sam.*11.*v.*4.*c.*19.*v.*3.2.*Reg.* 9.*v.*32. *Eſth.*3. *&* 7. Porrò Deus peccata regis & populi punit, atque puniendo mutat vel euertit politiam. Huius loci ſunt multitudo hoſtium & nimia potentia vicinorum 1. *Reg.* 15.*v.*17. 18. 2. *Reg.*14.*v.*8.*c.*16.*v.*6.7.*c.*15.*v.*37.*c.*19.*v.*32.37. calamitates frequentes & ſæpiùs acceptæ 2. *Reg.*19. *Pſ.*123.129.137. ſterilitas mulierum *Gen.* 20. *verſ.* 17. *ἀπαιδία* principum. 1. *Sam.*2.*v.*33.34. mors piorum. 2. *Reg.* 25.*v.*28.2.*Chron.*35.*v.*25. *Eſa.* 3.*v.*5.*c.*57.*v.* 1. De peccatis & pœnis peccatorum coniunctim vide *Deut.* 28. vbi eſt catholicum prognoſticum mutationis & euerſionis rerumpubl. Videamus nunc ſecundo loco, quomodo ſanentur morbi ciuiles. Sunt autem hîc remedia vniuerſalia & particularia. Remedia vniuerſalia ſunt veluti quædam panacea: cuiuſmodi ſunt preces & pia vita. *Ion.*3.*v.*11. Remedia particularia ſunt varia. Nam in bellis ciuilibus, qui à nobis diſſident, comitate ac benignitate ad nos ſunt reuocandi & quantocyùs allicendi 2. *Sam.*2.*v.*7. ſimiliter duces & anteſignani bellorum ciuilium. *ibid.v.*17.18. in coniurationibus conſiliarij nobis ſunt conciliandi. 2. *Sam.* 15. *verſ.*14. in tyrannide, reſiſtendum eſt tyranno ab optimatibus *Iudic.*9. *verſ.*30. 41.51. qui hoſtes plurimùm nobis nocuerunt, iidem ſummo ſtudio nobis ſunt conciliandi. 2. *Sam.* 3. *v.*20.21.

Atque hæc eſt Politica ſacra, breuiter delineata. Facile iam erit regulas & exempla iuxta methodum hîc præſcriptam congerere ex libris Moſis, Ioſuæ, Iudicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, Eſdræ, Nehemiæ, Pſalmorum & Prouerbiorum. Oportet inſuper ante oculos habere rationem *Politiæ Iudaicæ*, quatenus illa fuit conſtituta partim à Moſe, partim à Dauide, & alijs regibus. Occurrunt autem hîc iſta tria: *Conſilia*, *Iudicia*, *& Magiſtratus. Conſilia* erant cœtus illi, qui ſtabuebant res pertinentes ad vniuerſum reip. ſtatum. Erant autem numero duo, Concio & Senatus. *Concio* erat populi congregatio, eaque partim popularis ſeu vniuerſalis, duodecim tribuum *Exod.*35. *Num.*37. *Deut.* 9. partim familiaris ſeu tribulis, ſingularum

rum tribuum *Ioſ.*19.*Iud.* 12. partim vrbana, ſiue particularis. 1. *Paral.* 30. 1. *Reg.* 8. *Senatus* erat congregatio optimatum, & is quoq; triplex: videl. popularis, in quem conueniebant ſeniores populi vniuerſi, numero LXX. *Num.* 15. familiaris, in quem conueniebant ſeniores ſingularum tribuum 2. *Reg.* 20. & vrbanus, in quem conueniebant ſenatores ſingularum vrbium. *Iudic.* 11. *Ruth.* 4. *Iudicia* erant cœtus illi, qui definiebant ſingularem æquitatem, quæ lege prouideri aut præſcribi non potuit. Erant autem alia ciuitatum *Exod.* 18. *Deut.* 1. 2. *Paral.* 19. quæ exercebantur in portâ cuiuſque ciuitatis *Deut.* 25. *Ioſ.* 8. *Ruth.* 3. *Prou.* 22. alia concilij Hieroſolymitani, quod inde à Moſe vſque ad Herodem durauit, & vſitatè appellatur *Sanhedrin.* Vide *Deut.* 17. & 19. 2. *Paral.* 19. *Magiſtratus* erant togati, vel bellici. *Magiſtratus togati* præerant tempore pacis. Erant autem vel vniuerſi populi, vt primò iudices, deinde reges, & tertiò poſt captiuitatem Principes & pontifices: vel ſingularum tribuum, iique tum phylarchi, principes 12. tribuum *Num.* 1. & 4. tum patriarchæ, principes familiarum *Num.* 26. vel ſingularum ciuitatum, iique chiliarchi, hecatontarchi, pentecontarchi, decarchi. h. e. præfecti 1000. 100. 50. vel 10. hominibus. *Exod.* 18. *Deut.* 1. *Magiſtratus bellici* adminiſtrabant rem bellicam. Erant autem præfecti exercitus vel politici, vel templi. *Præfecti exercitus politici* erant tum princeps militiæ, ſeu imperator, & dux belli 1. *Sam.* 14. *v.* 50. 2. *Sam.* 24. *v.* 2. tum duces inferiores, putà chiliarchi, hecatontarchi &c. 1. *Paral.* 12. & 24. 2. *Paral.* 28. *Præfecti exercitus templi* præerant cuſtodiæ templi. 1. *Maccab.* 4. *v. vlt.*

XXI.

SCHOLASTICA SACRA.

I. SCholaſtica ſacra eſt prudentia bene conſtituendi & regendi ſcholam ex præſcripto S. literarum.

II. Eius partes sunt duæ: prima est de exemplari, altera, de modo vtendi hoc exemplari.

III. Exemplar scholæ Christianæ (*de illâ enim nobis est sermo*) est schola piorum in V. & N. T. Hoc enim exemplar intueri debent magistratus Christiani, itemque præceptores & discipuli, vt rite constituant, ornent, amplificent vel restituant scholas. *Principiò* autem hìc se offerunt *scholæ domesticæ & publicæ patriarcharum*, inde ab Adamo vsque ad constitutam politiam Mosaicam. Talis fuit *schola illa priuata Adami*, in quâ institutus fuit Abel *Heb.* 11. *v.* 4. & post hunc Seth. Fides enim cùm sit ex auditu, sanè Abel & Seth instituti fuerint necesse est in scholâ fidei & pietatis. Talis quoque fuit *schola illa publica Adami & Sethi*, in quâ nomen Iehouæ cœptum est inuocari, publicè scil. constitutâ ecclesiâ & scholâ. *Gen.* 4. *ver.* 26. cùm antea in familiis tantùm inuocaretur nomen Domini. Cùm enim Adam & Seth animaduerterent, Cainitas passim inualescere, moribusq; suis corruptis & corrumpentibus multos inficere, cœperunt pios contrahere in corpus ecclesiæ & scholæ, vt illos prædicatione verbi, institutione catechismi, & exercitatione pietatis ab impietate palam grassante vindicarent. Scholam istam Sethi propagatam fuisse continuâ successione inde cōstat, quòd Seth mortuus est anno M. 1042. Lamech an. 1651. Mathusalem an. 1656. quodque Noah natus an. M. 1056. vixit cum Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Mathusalem, Lamech, Sem, Arphaxad, Salah, Heber, Peleg, Regu, Serug, Nahor, Thorâ & Abraham. Mortuus enim est an. M. 2005. Verisimile ig. est Noam propagasse scholam Sethi post Mathusalemum, vsque ad Abrahamum: ita tamen, vt Sem quoque habuerit scholam suam eodē tempore. Is enim mortuus est anno M. 2158. De *scholâ Abrahami* legimus *Gen.* 18. *ver.* 19. vbi Deus facit mentionem priuatæ & catecheticæ institutionis Abrahami. Confer *Gen.* 20. *v.* 17. *c.* 21. *v.* 33. *c.* 22. *v.* 14. 15. *c.* 26. *v.* 5. Scholam Abrahami continuauit

Isaac,

Isaac, & posteris suis tradidit. *Gen.* 25. *v.* 2. *c.* 26. *v.* 25. *c.* 28. *v.* 1. 2. 3. 4. Iacob quoque habuit scholam suam priuatam: *Gen.* 31. *v.* 11. *& seqq. c.* 33. *v.* 20. *c.* 35. *v.* 1. *& seqq. c.* 46. *v.* 1. 2. *c.* 48. *&* 49. Post Iacobum scholæ priuatæ, siue domesticæ institutiones, in Ægypto perdurarunt vsque ad mortem Iosephi. *Gen.* 50. *v.* 23. Post Iosephum verò, cùm populus Israëliticus mirum in modum augeretur, ita vt domestica institutio sufficere non posset, quælibet tribus proculdubio habuit scholas suas, non sublatis tamen domesticis. Porrò postquam populus ex Ægypto in desertum fuit eductus, Moses & Aharon fuerunt primi doctores scholæ publicæ & vniuersalis. *Deut.* 4. *vers.* 14. *c.* 5. *v.* 1. 7. Confer *Exod.* 20. *& seqq.* Interim tamen scholæ priuatæ domesticæ non fuerunt sublatæ, sed confirmatæ. *Deut.* 6. *v.* 6. *c.* 4. *v.* 10. *c.* 11. *v.* 19. *Exod.* 12. *v.* 24. *& seqq.* Schola Mosis & Aharonis peperit *scholas Leuitarum*, quæ fuerunt ordinariæ, & duratunt vsque ad excidium Hierosolymitanum per Titum. *Act.* 13. *v.* 14. *& seqq. Deut.* 17. *v.* 8. *c.* 18. *v.* 7. 1. *Chron.* 23. 24. 25. 27. Præter has Leuitarum scholas ordinarias fuerunt etiam *scholæ extraordinariæ prophetarum*, vt constat ex 1. *Sam.* 1. *v.* 25. 26. *c.* 3. *v.* 20. 21. *c.* 19. *v.* 20. 21. *& seqq.* 1. *Reg.* 18. *v.* 13. 2. *Reg.* 2. *v.* 5. 7. 15. 16. 17. *c.* 4. *v.* 1. 2. *& seqq. c.* 6. *v.* 1. Videamus nunc scholas N. T. vbi præter scholas Iudæorum, & nominatim Pharisæorum *Matth.* 22. *v.* 15. 16. *Iohan.* 3. *v.* 10. primò occurrit schola Iohannis Baptistæ *Matth.* 11. *vers.* 2. *Ioh.* 1. *v.* 28. deinde schola Christi *Iohan.* 18. *v.* 19. 20. denique scholæ apostolorum *Act.* 13. 15. 20. 2. *Tim.* 2. *&* 3.

IV. Modus vtendi his exemplaribus continetur sequentibus regulis. 1. Patres familiâs & magistratus Christiani debent in hoc incumbere, vt instituant & foueant scholas: exemplo patriarcharum, Mosis, Samuelis, Dauidis, & Salomonis. *Gen.* 18. *v.* 19. *Deut.* 4. *v.* 14. 1. *Sam.* 3. *v.* 20. 1. *Chron.* 23. *&* 24. 2. *Chron.* 8. *v.* 26. *c.* 23. *v.* 8. *c.* 29. *v.* 25. *& seqq.* 2. Scholæ aliæ sint priuatæ & domesticæ, aliæ publicæ. Illæ his subseruiant, hæ illas confirment.

Confer *Deut.6.v.6.& c.4.v.14.* 3. Peculiaria loca assignẽtur scholis. Ita videmus Leuitas habuisse scholas suas in peculiaribus vrbibus, quarum erant quadraginta octo *Num.35. Ios.21.* & postea in singulis ciuitatibus synagogas. *Act.15.v.21.& c.13.* 4. Prouentus sufficientes constituantur docentibus in scholis. Ita videmus Leuitas habuisse amplissimos reditus, vt liberati curis & negotiis huius vitæ animalis liberiùs & commodiùs docendi muneri & studiosæ iuuentuti vacare possent. 5. Distincti sint labores docentium & discentium. Sic Leuitarum quidam discebant, quidam docebant, h. e. quidam discipuli, quidã doctores erant. Discipuli erant primò theorici, hoc est, incumbebant theoriæ siue studio legis vsque ad annum vigesimum: ab hoc vsque ad annum 30. erant intermedij: post annum verò trigesimum fiebant practici, h.e. admittebantur ad officia ecclesiastica *Num. 4. vers.3. c.8.v.24. 1. Chron.23.v.26. Esdr.3.v.8.* 6. Inter docentes sint certi gradus. Sic varij erant gradus & ordines Leuitarum. Quidã ex iis populo prælegebant Scripturam, eamque interpretabantur *Neh.8.v.3.& seqq.* quidam operabantur sacris. *1. Chron.23.v.4.5.* quidam ferebant arcam, illique ministrabant. *1. Chron.15.& 26.* quidam pro populo precabantur *Num.9.v.6.* quidam erant ianitores. *1. Chron.23.* quidam musici. *ibid.* Quidam iudices. *Deut.17.v.9.10.11.12. 1. Chron.19.v.8.9.* Vide 24. classes Leuitarum, quas constituit Dauid *1. Chron.23.24.25.27.* Huc pertinent tituli illi in N. T. Rabbi, Rabboni, Archisynagogus, Magister in Israël &c. *Ioh.3.v.10. Marc.5.v.22. Matth.23.v.7. Luc.13.v.11. Iohan.20. vers.16. Act.13.v.15.c.18.v.8.* 7. Distincta sint in scholis subsellia docentium & discentium. Ita videmus in synagogis Iudæorum fuisse cathedras superiores & inferiores, quas docentes & discentes, & conferentes inter sese, occupabant. *Matth.23.v.6. Act.22.v.3.* 8. Præceptor induat animum parentis erga discipulum, & discipulus animum filij. Quò pertinet, quòd discipuli prophetarum appellantur ipsorum filij. *1. Reg.20.v.35. 2. Reg.2.v.3.5.7.15.*

cap.4.

cap. 4. *v.* 38. *c.* 5. *v.* 22. *c.* 6. *v.* 1. 9. 1. *v.* 1. & quòd in Prouerbiis toties occurrit hæc formula, *Fili mi:* vt *c.* 1. *v.* 8. 10. 15. *c.* 2. *v.* 1. quodq; apoſtolus Paulus Timotheum appellat filium ſuũ 1. *Tim.* 1. *v.* 2. *c.* 2. *v.* 1. ſimiliter Titum. *Tit.* 1. *v.* 4. & Philemonem. *Philem.* *v.* 10. Confer 1. *Petr.* 5. *v.* 13. Quemadmodum itaque pater gignit filium, & genito proſpicit de neceſſarijs; ita præceptor debet gignere diſcipulum, inſtillando ipſi ſemen pietatis & eruditionis, & hoc ſemen fouendo, irrigando, educando &c. vt arboreſcat. Hoc ſenſu apoſtolus dicit, ſe genuiſſe Philemonem. *Philem.* *v.* 10. & Corinthios, 1. *Cor.* 4. *v.* 15. Conſiſtit autem hæc generatio in communicatione doctrinæ, & gubernatione morum. Illa eſt τεχνοσοφία, hæc βιοσοφία. Vtrobique requiritur lenitas paterni affectus, & prudens attemperatio ſeu accommodatio. 9. A' compendiis fiat initium in ſcholis. Hic enim eſt cibus ille facilis concoctionis, ſiue lac, quod optimè conuenit primæ ætati. 1. *Pet.* 2. *v.* 2. *Heb.* 5. *v.* 12. 13. 10. Præceptores non ſolùm doceant continuè legendo & explicando, ſed etiam interrogando, itemque colloquendo, ita vt diſcipulis dent facultatem placidè interrogandi de iis, quæ non ſatis intelligunt, itemque reſpondendi ad interrogata. Exempla vide *Matth.* 5. vbi Chriſtus ſolus loquitur *Iohan.* 9. vbi à diſcipulis interrogatur. *Matth.* 16. vbi diſcipulos ipſe interrogat. Confer *Luc.* 2. *v.* 46. 1. *Cor.* 14. 11. Scholæ ſic inſtituantur, vt omnes diſcant non ſcholæ, ſed vitæ, id eſt, vt ex ſcholis ſumi queant, qui publicè ſint vtiles in vitâ eccleſiaſticâ, politicâ, œconomicâ & ſcholaſticâ. Quid multis? Schola Chriſti, in quâ fuerunt 12. apoſtoli, & 70. diſcipuli, & alij quidam homines frugi, *Ioh.* 4. *v.* 1. 2. *Matth.* 10. *v.* 2. *Luc.* 10. *v.* 1. hæc, inquam, ſchola ſemper nobis obuerſetur ante oculos tanquam exemplar omni exceptione maius. Nam inde cognoſcemus, quanta fidelitas requiratur in præceptore, quàm laboriosa ſit hæc functio, quòd non vno impetu doctrina inſtilletur, quòd ſint gradus conſtituendi inter diſcipulos, quid deceat diſcipulos, & denique quid potiſſimum ſit

docendum & discendum. Confer hæc cum *Didactică* & *Mnemonicâ*.

XXII.

LEXICA SACRA.

I. LExica sacra est ars de modo adornandi Lexicon Scripturæ sacræ. Si malis, appella Lexicographiam.

II. Lexicon Scripturæ sacræ est veteris vel noui testamenti.

III. Lexicon veteris testamenti est Hebraicum. Eius methodus hæc erit. Radices siue voces primæ distinguantur à vocibus ortis, quemadmodum in Concordantiis Hebraicis R. Mordechai Nathan, Thesauro Pagnini, & Lexico Hebraico Buxtorfij factum est. Deinde singulis vocibus, tum primis tum ortis, subiiciãtur ea quæ sunt singularia & insignia per totum V. T. canonem. e. g. רָשָׁע est impius, qui est instabilis, nec manet in eâdem dispositione, nec conquiescit nisi prauis rebus gestis, quibus alios inquietat. חָטָא est peccator, qui non animo solùm & clam, sed etiam nudo, quod aiunt, capite, coram cœlo & Iehouâ peccatis se commaculat. לֵץ est irrisor, qui sibi strenuè gratulatur de peccato, ita vt Deum & homines insuper habeat. חָסִיד significat eum, in quo est חֶסֶד quique adeò est beneficus erga alios. Quòd si voces singulæ, vnà cum phrasibus, quæ in V. T. Hebraicæ editionis occurrunt, ita explicẽtur, non est dubium quin Lexicon Hebraicum fit futurum penu locupletissimum, ex quo disputatores & concionatores possint depromere vberrimam piæ & patheticæ dissertationis materiam.

IV. Lexicon noui testamenti est Græcum. Eius methodus debet esse eadem cum Lexico V. T. Distinguantur itaque themata, siue voces primitiuæ, à derivatis

uatis & compositis, & singulis subijciantur ea, quæ sunt singularia & insignia per totum N. T. canonem, e.g. εὐδοκέω est valde delector, summam voluptatem percipio, vt cùm Deus Pater dicit de Christo filio suo dilecto *Matt.* 3. v. *vlt.* ἐν ᾧ εὐδόκησα, non satis plenè vertitur *In quo acquiesco*: quia sæpe acquiescimus in aliquo inuiti. Sic itaq; vertendum fuerit, *In quo valde delector*, *Qui est mea summa voluptas*. Ἀναλύω est idem quod resoluo, migro, reuertor. Sic cùm apostolus *Phil.* 1. v. 23. ait τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, hic est illorum verborum sensus, *Desiderium habens ad migrandum*, vel *reuertendum*; non autem iste vulgaris, *Cupio dissolui*. Nam ἀναλύειν hîc est, domum redire, in cœlestem videl. patriam. De his & similibus tum vocibus, tum phrasibus vide in nostro Lexico theologico, quod propediem ξὺν Θεῷ in lucem proferemus. Interea temporis euolue Lexicon Noui Testamenti authore Georgio Pasore.

XXIII.

GRAMMATICA SACRA.

I. GRammatica sacra est ars purè loquendi verbis Scripturæ.

II. Estque duplex, vna Hebraica pro V. T. altera Græca pro nouo. Quemadmodum plenum Lexicon tum Hebraicum, tum Græcum, adornari potest ex canone V. & N. T. ita quoque Grammatica omnibus numeris absoluta, tum Hebraica, tum Græca, ex eodem canone, plenis præceptis & infinitis exemplis instrui potest. Vide Thesaurum Hebraicæ Grammaticæ Buxtorfij. Grammaticam Græcam N. T. nondum licuit videre. Vt verò huic compendio inferatur, non patitur studium breuitatis. Itaque sufficiat indicasse modum operis.

(:)

XXIV.

RHETORICA SACRA.

I. RHetorica ſacra eſt ars ornatè loquendi ſ verbis Scripturæ.

II. Eius partes duæ ſunt: prima eſt de elocutione, ſecunda de actione.

III. Elocutio eſt exornatio orationis. Eſtque tropus, vel figura. Quæ duo ſæpe concurrunt. e.g. in exclamatione metonymicâ, metaphoricâ.

IV. Tropus eſt mutatio natiuæ ſignificationis.

V. In eo ſpectantur affectiones & ſpecies.

VI. Affectiones troporum ſunt quinque: emphaſis, catachreſis, hyperbole, allegoria & concurſus. *Emphaſis* eſt, quâ tropus eſt inſignis: vt emphatica eſt illa metaphora, quâ Chriſtus diſcipulos ſuos appellat *ſal terræ Matth. 5. v. 13. Catachreſis* eſt, cùm tropus eſt durior vt *Heb. 11. v. 5.* Per fidem Enoch fuit translatus, ne *videret mortem*, i. e. ne ſentiret ſeu experiretur. *Hyperbole* eſt, cùm tropus eſt audacior in augendo, vel minuendo: vt *Exod. 13.* Dabo vobis terram *fluentem lacte & melle. Iob. 25. verſ. 6.* Quantò minùs mortalis, *vermis*? & filius hominis, *lumbricus*? *Allegoria* eſt continuatio tropi: vt *Matth. 3. v. 10. Arbor mala, quæ fructus bonos nõ fert, exciditur, & in ignem conijcitur.* & *v. 12. Cuius ventilabrum in manu ipſius, & permundabit aream ſuam, & coget triticum in horreum ſuum, paleam autem exuret igni inextinguibili.* Huc pertinent parabolæ Chriſti, quæ nihil ſunt aliud quàm metaphoræ allegoricæ: item apologi, vt *Iudic. 9.* & ænigmata, vt *Iudic. 14. De comedente exiuit ſonus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*: & prouerbia, vt *Matth. 23. Excolatis culicem, camelum autem deglutitis. 1. Cor. 5. Modicum fermenti totam maſſam inficit. 2. Petr. 2. Canis reuerſus*

eſt ad

est ad vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni. Concursus troporum est, quando duo vel plures tropi in vnâ voce concurrunt: vt, *Gen.* 14. *v.* 21. *Da mihi animam*: hîc est synecdoche membri gemina: quia primùm positus est singularis pro plurali, deinde anima pro homine. *Psal.* 16. *v.* 10. *Non derelinques animam meam in sepulchro*: hîc est synecdoche membri & integri: quia anima ponitur pro Dauide, & Dauid pro corpore ipsius. *Gen.* 21. *v.* 1. *Iehoua visitauit Saram*: hîc Deus dicitur visitare per metaphoram, quæ appellatur ἀνθρωποπάθεια: & visitare ponitur pro benefacere, cùm suâ naturâ sit vocabulum μέσον siue generale, quod specialiter nunc bonam, nunc malam in partem accipitur.

VII. Species troporum sunt quatuor: metonymia, ironia, metaphora, & synecdoche.

VIII. Metonymia est causæ & effecti; subiecti & adiuncti; antecedentis, connexorum, & consequentis. *Metonymia causæ* est efficientis, finis, materiæ, & formæ. *Metonymia efficientis* est, cùm efficiens ponitur pro effecto: vt Christus pro beneficiis ipsius *Gal.* 3. *v.* 29. Spiritus sanctus pro donis ipsius. *Ioel.* 2. *v.* 28. Israel pro Israelitis *Exod.* 5. *ver.* 2. membra corporis Deo tributa, pro actionibus, quæ proficiscuntur ab istis membris, vt oculus pro prouidentiâ. *Psal.* 33. *v.* 18. sic affectus, pro effectibus affectuum, vt ira Dei pro vindictâ. *Psal.* 6. *v.* 1. *Metonymia finis* est, cùm finis ponitur pro finito seu destinato: vt, 1. *Cor.* 11. *v.* 10. Propter hoc debet mulier *potestatem habere in capite* propter angelos, id est, velamen in signum potestatis, hoc est, quòd potestati viri sit subiecta. *Metonymia materiæ* est, cùm ex materiâ significatur materiatũ: vt, terra, cinis & puluis pro ipso homine. *Gen.* 3. & 18. aurum & argentũ pro nummis aureis & argenteis *Matt.* 10. *v.* 19. semen pro filijs & posteris. *Gen.* 3. *Psal.* 18. *Metonymia formæ* est, cùm ex formâ intelligitur formatum: vt *Gen.* 6. *v.* 11. Terra impleta erat *violentiâ*, id est, hominibus violentis. *Metonymia effecti* est, cum ex effecto causa intelligi-

tur: vt, 2. *Reg.* 4. *v.* 40. *Mors* est in ollâ, id est, res mortifera. *Luc.* 11. *vers.* 14. Eiecit Christus dæmonium, quod erat *mutum*, id est, quod hominem, quem possidebat, reddebat mutum; 1. *Cor.* 1. *v.* 30. Christus est nobis factus à Deo *sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemtio*, hoc est, istarum rerum author seu effector. Pertinet huc *metonymia destinati*, cùm finitum ponitur pro fine: vt, *Gen.* 20. *ver.* 16. ait rex Abimelech ad Saram de Abrahamo: *Ipse tibi est operimentum oculorum*, id est, maritus. Nam propter maritum velatur vxor in signum subiectionis. *Metonymia subiecti* est, cùm ex subiecto significatur adiunctum: vt, *Gen.* 3. *vers.* 1. *Serpens locutus est cum Euâ*; id est, diabolus in serpente. *Genes.* 6. *vers.* 11. *Terra corrupta erat*; id est, homines in terrâ. *Iohan.* 3. *vers.* 16. *Sic Deus dilexit mundum*, id est, homines electos in mundo. *Matth.* 5. *vers.* 29. *Si oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum, & abÿce abs te*; id est, resiste libidini, quæ se in oculo exerit, eamque extingue. Huc pertinet *metonymia signati*: vt, *Gen.* 40. *vers.* 12. *Tres illi palmites, tres dies sunt*, id est, significant tres dies. Similiter *vers.* 18. *Tria canistra illa, tres dies sunt.* Sic *Gen.* 41. *vers.* 26. *Septem illæ vaccæ bonæ, septem anni sunt &c. Metonymia adiuncti* est, cùm ex adiuncto significatur subiectum: vt, *Rom.* 11. *Electio assecuta est*, id est, electi. *Hos.* 9. *vers.* 16. *Etiamsi genuerint, tamen occîdam ventris ipsorum desideria*, h. e. desideratissimos eorum liberos. Huc pertinet *metonymia signi*: vt, *Gen.* 49. *Non recedet sceptrum à Iudâ*, id est, potestas ἡγεμονική. *Matth.* 10. *vers.* 34. ait Christus, *Non veni missurus pacem, sed gladium*, id est, discordiam, cuius signum est gladius. *Metonymia antecedentis* est, cùm ex antecedente intelligitur consequens: vt *Gen.* 4. *Adam cognouit vxorem.* Quod etiam est exemplum tropi verecundi. *Metonymia consequentis* est, cùm ex consequente intelligitur antecedens: vt, *Deut.* 34. *vers.* 5. *Mortuus itaque est Moses, iubente Iehouâ*, id est volente. *Metonymia connexorum* est, quando connexa inter se permutantur; vt, *Iud.* 3. *vers.* 24. *Pedes tegere*, id est, aluum leuare.

uare. Quod ipsum etiam est exemplum tropi verecundi.

IX. Ironia est, cùm ex contrario significatur contrarium. Eius genera sunt varia, hoc modo. 1. *Antiphrasis*; cum vox affirmatiua ponitur pro negatiuâ: vt, *Iob. 1. vers. 5. Peccauerunt filij mei, & benedixerunt Deum*, id est, non benedixerunt. 2. *Mimesis*; cùm dictum alterius illusoriâ quâdam imitatione exprimimus: vt, *Psal. 22. v. 9. Deuoluit se ad Iehouam, liberet eum, eripiat eum, quandoquidem delectatur eo.* 3. *Sarcasmus*; qui est hostilis irrisio, per contrarium alicui in præsentissimo periculo conuitium faciens: vt, *Matth. 28. v. 29. Aue rex Iudæorum.* 4. *Ironia nuda*; cùm simpliciter, sine antiphrasi, mimesi, sarcasmo, vel simili modo, significatur contrarium ex contrario: vt, *Gen. 3. v. 22.* ait Deus de Adamo & Euâ, *Ecce homo euasit sicut vnus ex nobis. Matth. 26. v. 45.* Christus ad discipulos ait: *Dormite quod supereſt, & requiescite. 1. Cor. 4. v. 8.* Paulus ad ambitiosos quosdam sic ait: *Iam saturati estis, iam ditati estis, absque nobis regnum adepti estis. Marc. 7. v. 9.* Christus Scribis & Pharisæis ait: *Sanè bene abrogatis mandatum Dei, vt traditionem vestram seruetis.*

X. Metaphora est, cùm ex simili significatur simile. *Gen. 2. v. 1.* Itaque perfecti sunt cœli & terra, & omnis *exercitus* eorum. *Gen. 4. ver. 10.* Ecce vocem sanguinum fratris tui, *clamantium* ad me de terrâ. *Gen. 15. vers. 1.* dicit Deus Abrahamo, *Ego sum tibi clypeus. Gen. 22. vers. 1.* Deus *tentauit* Abrahamum. Huc itaque pertinet ἀνθρωποπάθεια, quâ Deo tribuuntur membra, affectus, sensus, passiones, & similia. Quanquam hæc exempla etiam possunt subijci metonymiæ causæ efficientis. Porrò & hæc sunt metaphorica. *Matth. 16. v. 6.* Cauete à *fermento* Pharisæorum & Sadducæorum. *Iohan. 11. v. 11.* Lazarus amicus noster *dormit*, id est, mortuus est. *1. Cor. 3. v. 16.* An nescitis vos esse *templum Dei*, & Spiritum Dei *habitare* in vobis. *Iohan. 1. v. 1.* In principio erat λόγος.

XI. Sy-

XI. Synecdoche est totius vel partis. Ibi est synecdoche integri & generis, hîc membri & speciei. *Synecdoche integri* est, cùm ex integro intelligitur membrum: vt, *Gen.* 16. *v.* 2. Sara ait, *Occlusit me Iehoua*, id est, vterum meũ. Per hunc tropum pluralis ponitur pro singulari: vt, *Gen.* 21. *v.* 7. *Certò lactabit filios Sara*, id est, filium. Huius loci est κοινωνία ἰδιωμάτων, quæ sic dicitur theologis: vt *Iohan.* 3. *v.* 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Sic 1. *Cor.* 2. *v.* 8. *Dominum gloriæ crucifixerunt.* Et, *Act.* 20. *v.* 29. *Deus ecclesiam acquisiuit proprio sanguine.* Theologi dicunt hæc prædicari de Christo κατ' ἄνθρ. *Synecdoche generis* est, cùm ex genere significatur species: vt *Gen.* 31. *v.* 21. Iacob traiecit *flumen*, id est, Euphratem. Huc pertinent ea dicta, in quibus vocabulo Dei (quod generale & tribus personis commune est) intelligitur vna aliqua persona Trinitatis: interdum Pater, idque frequentissimè, propter principatum originis: vt, *Iohan.* 3. *ver.* 16. Sic *Deus* dilexit mundum. *Gal.* 4. *v.* 4. Cùm venit plenitudo temporis, emisit *Deus* Filium suum. *ibid. v.* 6. Quoniam estis filij, emisit *Deus* Spiritum Filij sui in corda vestra: interdum Filius; vt *Act.* 20 *v.* 28. *Deus* acquisiuit suo sanguine ecclesiam: interdum Spiritus S. vt *Act.* 5. *vers.* 4. Non es mentitus hominibus, sed *Deo. Synecdoche membri* est, cùm ex membro significatur integrum: vt, *Gen.* 6. *v.* 12. Corruperat omnis *caro* viam suam. *Ezech.* 18. *v.* 20. *Anima*, quæ peccat, ipsa morietur. Per hunc tropum numerus singularis pro plurali ponitur *Gen.* 12. *v.* 3. Erat *Cananæus* in eâ regione. *Synecdoche speciei* est, cùm ex specie intelligitur genus: vt *Gen.* 3. *v.* 19. In sudore vultus tui vesceris *pane* tuo. *Gen.* 4. *v.* 20. Iabal fuit *pater* degentium in tentoriis. *Gen.* 14. *v.* 14. Cùm audisset Abraham, captiuum esse *fratrem* suum, id est, agnatum suum Loth. Per hunc tropum numerus certus pro incerto ponitur: vt, *Gen.* 33. *vers.* 3. Iacob versus fratrem suum Esau incuruabat se in terram *septies*, id est, multoties. *Gen.* 31. *v.* 7. ait Iacob, Labanem mutasse mercedem suam *decies*.

XII. Fi-

XII. Figura est habitus sermonis elegantior. Estque dictionis vel sententiæ.

XIII. Figura dictionis est artificiosa verborum collocatio. Estque primaria, vel secundaria.

XIV. Figurarum dictionis primariarum genera sunt decem, hoc ordine. I. *Epizeuxis* est, cùm idem sonus continuè iteratur, in eâdem sententiâ: vt, *Esa. 6. v. 3. Sanctus, sanctus, sanctus Iehoua Zebaoth. Psal. 22. vers. 1. Deus meus, Deus meus, quare deseruisti me?* II. *Anadiplosis* est, quâ idem sonus repetitur in fine præcedentis, & initio sequentis sententiæ: vt, *Psal. 121. v. 1.* Leuo oculos meos ad montes, vnde veniat *auxilium meum: auxilium meum* à Iehouâ, qui fecit cœlum & terram. *Ps. 98. v. 4. 5.* Iubilate Iehouæ tota terra, vociferamini, & *psallite: psallite* Iehouæ *in citharâ: in citharâ* & voce cantus. III. *Climax* est, quâ idem sonus repetitur ad connectendum varia gradatim: vt, *Rom. 8. v. 28.* vbi nectitur aurea salutis catena: *Quos prædecreuit, hos & prædestinauit: quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, illos & iustificauit: quos iustificauit, illos etiam glorificauit.* Hîc sunt quinq; gradus, nimirum προγνωσις, προορισμὸς, κλῆσις, δικαίωσις, δοξασμός. *Rom. 5. v. 3. 4. 5. Vt qui sciamus, quòd afflictio tolerantiam efficiat: tolerantia verò experientiam, experientia autem spem: Porrò spes non pudefacit. 2. Petr. 1. v. 5. 6. 7. Vos autem curam omnem adhibentes, præstate in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientiâ abstinentiam, in abstinentiâ pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem.* Vide etiam *Hoseæ 2. v. 21. 22. Iacob. 1. v. 13. 14. Ioel. 1. v. 3. 4.* IV. *Anaphora* est, cùm idem sonus iteratur in principiis sententiarum: vt, *Psal. 118. ver. 8. Melius est confidere in Domino*, quàm confidere in homine. *Melius est confidere in Domino*, quàm in principibus. *Ibid. v. 15. 16. Dextra Iehouæ* fecit fortiter. *Dextra Iehouæ* excelsa. *Dextra Iehouæ* facit fortia. *Psal. 148. v. 1. & seqq. Laudate* Deum de cœlis: *Laudate* eum in excelsis: *Laudate* eũ omnes angeli eius &c.

Psal. 29.

*Pſal.*29.per totum ferè pſalmum repetuntur hæc duo vocabula, *Vox Domini. Pſal.* 150. *verſ.* 1. *& ſeqq. Laudate* Deum fortem deſanctitate eius : *laudate* eum de expanſo &c. *Pſal.* 118. *v. 6. Iehoua mecum*, non timebo; quid faciat mihi homo? *Iehoua mecum*, & ego deſpiciam inimicos meos. *Rom.* 8. *verſ.* 33. *& ſeqq. Quis* intentabit crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt is, qui iuſtificat. *Quis* eſt qui condemnet? &c. *Deut.* 28. continuantur hæc duo vocabula: *Benedictus*, *Maledictus.* Vide etiam 1. *Cor.* 13. *verſ.* 4. *cap.* 12. *verſ.* 10. V. *Epiſtrophe* eſt, cùm idem ſonus in clauſulis ſententiarum iteratur: vt, *Pſalm.* 115. *verſ.* 9. 10. 11. Iſrael fide Iehouæ : *auxilium & clypeus eorum eſt.* Domus Aharon fidite Iehouæ : *auxilium & clypeus eorum eſt.* Qui timetis Iehouam, fidite Iehouæ : *auxilium & clypeus eorum eſt. Pſalm.* 136. in ſingulis verſibus repetitur hæc clauſula : *Quoniam in ſeculum miſericordia eius*: atque adeo ſexies vicies ibi occurrit epiſtrophe. *Philem. verſ.* 11. Quondam tibi *inutili*, nunc verò tibi & mihi *perutili.* VI. *Symploce* eſt, cùm idem ſonus iteratur in principiis, & idem in clauſulis : vt, *Pſalm.* 47. *verſ.* 7. *Pſallite* DEO, *pſallite* : *pſallite* regi noſtro, *pſallite. Pſalm.* 118. *verſ.* 2. 3. 4. *Dicat nunc* Iſrael, *quòd in ſeculum miſericordia eius. Dicat nunc* familia Aharon, *quòd in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc* qui timent Iehouam, *quòd in ſeculum miſericordia eius. Rom.* 14. *verſ.* 8. *Siue viuimus, Domino viuimus*: *ſiue morimur, Domino morimur. Siue igitur viuamus, ſiue moriamur, Domini ſumus.* Eſt etiam hîc παρίσωσις & ἀντίθεσις. VII. *Epanalepſis* eſt, cùm idem ſonus in principio & clauſulâ repetitur: vnde appellari ſolet *circulus oratorius*, quia nempe ab vno ſono incipit, & facit reuerſionem ad eundem. Sic *Pſalm.* 8. *verſu vltimo* Pſaltes repetit primum pſalmi pronuntiatum κατὰ κύκλον : *Iehoua Domine noſter, quàm magnificum eſt nomen tuum in vniuersâ terrâ!* Similiter *Pſalm.* 103. *verſ. vlt.* repetuntur prima verba pſalmi: *Benedic anima mea Iehoua. Phil.* 4. *verſ.* 4. eſt epanalepſis in vno & eodem verſu: *Gaudete* in Domino ſemper:

per: rursum, inquam, *gaudete*. VIII. *Epanodus* est, cùm ordine retrogrado repetuntur soni proximè antegressi: vt, *Esa.* 5. *vers.* 20. Væ dicentibus *malum bonum*, & *bonum malum*: qui ponunt *tenebras lucem*, & *lucem tenebras*: qui ponunt *amarum dulce*, & *dulce amarum*. *Marc.* 2. *Sabbatum propter hominem* factum est, non *homo propter sabbatum*. vide etiam *Rom.* 3. *vers.* 21. *cap.* 2. *vers.* 1. IX. *Paronomasia* est commutatio quantitatis, literæ, vel syllabæ: vt *Psalm.* 96. *vers.* 5. dij gentium, אֱלֹהִים, dicuntur, אֱלִילִים quasi dicat, nondij. *Habac.* 2. *versic.* 18. Ad faciendum אֱלִילִים id est, idola, אִלְּמִים, id est, muta. *Esaiæ* 25. *vers.* 6. Faciet Iehoua conuiuium שְׁמָנִים *pinguium*, conuiuium שְׁמָרִים *facium*. *Roman.* 1. *vers.* 29. est paronomasia in vocibus φθόνου, φόνου: item πορνεία, πονηρία: & *vers.* 31. in vocibus ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους. X. *Polyptoton* est, cùm repetitur eadem vox in alio casu & tempore: vt, *Genes.* 2. *vers.* 7. *Moriendo morieris*. *Genes.* 50. *vers.* 2. *Visitando visitabit vos*. *Hab.* 2. *vers.* 3. *Veniendo veniet*. *Eccles.* 1. *vers.* 1. *Vanitas vanitatum*. *Iob.* 21. *vers.* 2. *Audite audiendo*. *Matth.* 18. *vers.* 22. *Dicit* ei Iesus, Non *dico* tibi vsque septies. 1. *Thess.* 1. *vers.* 5. ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς. 2. *Tim.* 3. *vers.* 13. πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, Dum & *seducunt*, & *seducuntur*.

XV. Figuratum dictionis secundariarum genera sunt XXVI. hoc ordine: Antanaclasis, Ploce, Synonymia, Exergasia, Tautotes, Paregmenon, Antithesis, Antitheta, Antimetathesis, Antistrophe, Synœceiosis, Oxymoron, Isocolon, Parison, Hendiadys, Tmesis, Synthesis, Homœocatalecton, Parechesis, Erotesis, Parembole, Parenthesis, Synantesis, Hyperbaton, Hypallage, Hysterologia. Nos illas attingemus, quæ in Biblijs sæpiùs occurrunt. I. *Antanaclasis* est, cùm vox eadem repetitur, sed diuersâ significa-

ficatione. Eius exempla vide *Matth.*1.v.22.c.5.v.19.c.8.v.22. c.10.v.39.c.12.v.38.49.c.15.v.3.c.16.v.4.18.c.26.v.52. *Luc.*9. *verſ.*26.60.c.12.v.8. *Ioh.*1.v.10.c.2.v.42.c.3.v.6.13.17.31.c.12. v.44.c.13.v.8.c.19.v.22.c.21.v.18. *Rom.*2.v.21.28.c.3.v.19.21. 27.c.4.v.18.c.8.v.24.c.9.6.c.11.v.6.7.1. *Cor.*1.v.21.c.7.v.20.22. c.8.*verſ.*3.2. *Cor.*10.v.3. *Gal.*4.v.9.21. *Eph.*1.v.3.23. *Phil.*3.v.12. 1. *Theſſ.*5. *verſ.*10.2. *Tim.*1.v.18.c.2.9.13. *Hebr.*6.v.19.c.11.v.35. *Iac.*3.v.18.c.5.v.12.1. *Petr.*3.v.9.19.1. *Petr.*4.v.1.1. *Ioh.*3. *verſ.*19. Duo ex his exemplis adducam. *Ioh.*2. vox πιστεύειν diuerſimodè ſumitur: πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, θεωροῦντες αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει. Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς. i.e. Multi *crediderunt* in eum viſis ſignis, quæ edebat. Ipſe autem Ieſus non *credebat* ſemet iis. *Rom.*12. apoſtolus ait, τὴν φιλοξενίαν διώκοντες, *Hoſpitalitatem ſectantes*: tum ſubiicit, εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς, *Benedicite iis, qui vos inſectantur.* Hîc verbum διώκειν ſignificat rem perſequi ſtudio obtinendi eam: mox, aliquem perſequi animo lædendi. II. *Exergaſia* eſt, cùm orationes idem ſignificantes coniunguntur: vt *Ion.*2.v.2.3. *Inclamaui ex anguſtiâ meâ, & exaudiuit me: è ventre ſepulchri vociferatus ſum, exaudiuiſti vocem meam. Nam proiecerat me in profundum, in intimam partem marium. Pſal.*117. *Laudate Iehouam omnes gentes, celebrate eum omnes populi.* Hæc figura non eſt confundenda cum ἐπιμονῇ: vtpote quæ eſt accurata & continuata eiuſdem rei tractatio, qualis eſt *Rom.*9.10. & 11. *Eph.*2. *verſ.*1. *Phil.*2.v.2. *Coloſſ.*1.v.17. III. *Antiſtrophe* eſt, cùm poſitum quippiam retorquemus. Dicitur etiam βίαιον & ἀνθυπαλλαγὴ βολή. Exemplum elegans eſt in reſponſione Cananitidis, *Matth.*15. v.26.27. vbi Chriſtus ad illam ſic ait: *Non eſt honeſtum, ſumere panem filiorum, & obijcere catellis.* Illa inuertit: *Imò, etiam canes comedunt de micis cadentibus à menſis dominorum.* Artificium rhetoricum tale eſt in hoc exemplo: Quia canis es, ait Chriſtus, non conuenit tibi porrigi panem. Imò, inquit Syrophœniſſa, Quia canis ſum, non denegabis mihi micas de menſâ cadentes. IV. Ὀξύμωρον, ſiue ὀξυμωρολογία, q.d. *acutifatuum*, alijs ἀνακόλουθον, eſt ſpecies apparen-

tis

tis contradictionis: vt, *Matth.* 10. *v.* 39. *Qui inuenerit animã suã, perdet eam: & qui perdiderit animam suam meâ causâ, inuenet eam.* 1. *Tim.* 5. *v.* 6. *Vidua, quæ lasciuit, ea viuens mortua est.* *Hebr.* 11. *vers.* 27. *Vt qui videret inuisibilem illum.* *Iacob.* 1. *v.* 9. 10. *Qui est humilis, glorietur in sublimitate suâ. Contrà qui diues est, in demissione sui.* V. *Parison* est, cùm orationis partes habent totidem dictiones, ac dictiones ipsæ totidem syllabas: vt, *Rom.* 14. *v.* 8. *Siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur.* VI. *Hendiadys*, seu ἐνδιὰ δυοῖν, est, cùm res vna diuiditur in duas: vt, *Matth.* 4. *v.* 16. Populus positus in tenebris, vidit lucem magnam: & positis in *regione & vmbrâ mortis*, lux exorta est; pro, *in regione vmbrosâ mortis.* Sic *Matth.* 20. *v.* 20. Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, *adorans & petens* aliquid ab eo; i. e. adorando petens. VII. *Interrogatio*, siue ἐρώτησις, est, cùm sermonem ad aliquid inquirendum artificiosè inflectimus: vt, *Rom.* 8. *vers.* 37. *Quis nos separabit à dilectione Christi? num tribulatio? num angustia?* &c. Hæc interrogatio maiorem ornatum & motum adfert orationi, quàm si apostolus dixisset, Nulla res nos separabit à dilectione Dei, neq; tribulatio, neque angustia &c. VIII. *Hyperbaton* est, cùm verba cohærentia transponuntur. Exemplum insigne est *Eph.* 2. *v.* 1. vbi verba ista, *Et vos*, cohærent cum illis verbis *v.* 5. *Vnà viuificauit cum Christo.* Versus interjecti dicuntur *Parembole*, quæ in medio orationis circumstantiam aliquã interponit. Similes figuræ, videl. tum hyperbaton, tum parembole, occurrunt *Eph.* 3. *v.* 1. vbi enuntiatum primo versu inchoatum, mox *versu seq.* interrumpitur, & absoluitur demum *ver.* 14. IX. *Hypallage* est, cùm dictiones inter se alternantur ordine inuerso: vt, *Matth.* 8. *v.* 3. Statim igitur *purgata fuit eius lepra*, id est, purgatus fuit ille à leprâ. X. *Hysterologia* est, cùm id quod primo loco poni debebat, in oratione secundo loco ponitur. Dicitur alio nomine ὕστερον πρότερον, *postero-prius.* Exemplum est *Matth.* 11. *v.* 4. 5. vbi Christus dicit: Renuntiate Iohanni quæ *auditis & videtis.*

detis. Hæc duo deinceps κατ' ὑστέρωσιν, *ordine inuerso*, commemorantur: *Cæci vident, surdi audiunt* &c.

XVI. Figura sententiæ est totius orationis ornatus. Estque primaria, vel secundaria.

XVII. Figurarum sententiæ primariarum genera sunt decem, hoc ordine. 1. *Exclamatio* est, quâ oratio exornatur per particulam exclamandi, idque explicitè, vel implicitè. *Explicitè*: vt, *Rom.* 7. *vers.* 24. *Miser ego homo! quis me liberabit ex isto corpore mortis?* *Implicitè*: vt, *Rom.* 11. *vers.* 33. *O profundas diuitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt eius iudicia, & viæ eius imperuestigabiles!* Hęc figura est magnum prorsus animi commouendi instrumẽtum & quidem variorum affectuum: videl. admirationis *Psal.* 133. *v.* 1. *Matt.* 15. *v.* 28. desperationis, vel acerbissimi doloris. *Esa.* 1. *v.* 4. *Matt.* 27. *v.* 46. optationis *Esa.* 64. *v.* 1. 1. *Chron.* 11. *v.* 17. *Num.* 14. *v.* 2. indignationis *Malach.* 1. *v.* 6. *Matt.* 17. *v.* 17. *Luc.* 24. *v.* 25. obtestationis 2. *Tim.* 4. *v.* 1. 2. commiserationis *Ezech.* 9. *v.* 8. 2. *Sam.* 14. *v.* 5. 2. *Reg.* 3. *v.* 10. *Esa.* 1. *v.* 4. execrationis & imprecationis *Ps.* 69. *v.* 33. 34. & 109. *v.* 8. Exclamationi subijciuntur Epiphonema & Licentia. *Epiphonema* est acclamatio, quæ tractato aliquo argumento subijcitur: vt, 2. *Tim.* 2. *v.* 7. *Considera quæ dico. Det verò tibi Deus intelligentiam in omnibus. Iob.* 18. *vers.* 21. *Profectò ista sunt tabernacula, iniqui; & iste locus viri non agnoscentis Deum sortem.* Vide etiam *Psal.* 46. *v.* 8. 12. & 109. *v.* 20. & 111. *vers.* 9. & 128. *v.* 4. *Licentia*, Græcis παρρησία, est, quâ quis confidenter dicit, ita vt rem odiosam liberè absque vllâ circuitione & occultatione eloquatur. Illustre exemplum est *Esa.* 1. & *Matth.* 23. 11. *Apostrophe* est personæ commutatio, quâ orator ad aliam se cõuertit personam: videl. ad Deum. *Psal.* 33. *v.* 22. & 82. *v.* 8. *Ioel.* 1. *v.* 19. ad reges *Psal.* 2. *v.* 10. ad hostes. *Psal.* 6. *v.* 9. ad mortuos 2. *Sam.* 1. *v.* 26. ad bestias *Ioel.* 2. *v.* 22. ad res sensu destitutas *Deut.* 32. *v.* 1. *Psal.* 114. *v.* 5. *Esa.* 1. *v.* 1. *Ioel.* 2. *v.* 21. 1. *Cor.* 15. *v.* 55. *Luc.* 23. *v.* 3. *Matth.* 11. *v.* 21. III. *Prosopopœia* est personæ commutatio, quâ is qui dicit,

cit, mutatur. Estq; imperfecta, vel perfecta, Prosopopœia imperfecta est, quâ sermo alienæ personæ leuiter & obliquè repræsentatur: vt, *Baruch.* 3. *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus.* Sic *Luc.* 23. *vers.* 3. *Dicent montibus, Cadite super nos; & collibus, Tegite nos.* Prosopopœia perfecta est, quâ personam nostram omnino deponimus, & aliam introducimus loquentem: putà Deum *Psal.* 82. *v.* 2. *Psal.* 50. *v.* 16. *Prou.* 8. *v.* 4. *Luc.* 12. *v.* 20. hominem *Luc.* 12. *v.* 17. res sensu destitutas *Iudic.* 9. *vers.* 7. *& seqq.* 2. *Reg.* 14. *vers.* 9. IV. *Epanorthosis* est, quâ antecedens aliquid in oratione corrigitur: vt, *Esa.* 49. *v.* 15. *Iohan.* 16. *v.* 32. 1. *Cor.* 15. *v.* 10. 2. *Tim.* 4. *vers.* 7. *Gal.* 4. *vers.* 9. 1. *Ioh.* 2. *v.* 2. vbi apostolus ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis.* V. *Aposiopesis* est, quâ sententiæ inchoatæ cursus ita abrumpitur, vt inde pars aliqua eius non dicta subintelligatur: vt, *Psalm.* 6. *vers.* 4. *Anima mea turbata est valde: & tu Domine vsquequò?* scil. differs opem. *Matth.* 9. *vers.* 6. *Vt autem sciatis, potestatem habere Filium hominis in terrâ remittendi peccata.* Hîc est ἀναπόδοτον. Nam subaudiendum est consequens hoc: *Audite quid sim facturus.* Rhetores vocant ἀποκοπὴν τῆς περιόδου. *Luc.* 19. *vers.* 41. *Videns ciuitatem fleuit super illam, & ait. Si cognouisses in die tuâ hâc, ea quæ ad pacem tuam:* scil. pertinerent. *Gal.* 1. *vers.* 1. *Paulus neque ab hominibus, neque per homines:* scil. vocatus, vel missus. *Genes.* 3. *vers.* 22. *Nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat viuatque in æternum:* subintellige, Exturbabo hominem de horto, adituque in eum prohibebo. *Psal.* 95. *vers.* 11. *Si introibunt in requiem meam:* subaudi, Non ero Deus, aut verax. Talis aposiopesis est *Esa.* 5. *v.* 9. Aposiopesis ἐπετλιαστικὴ, i. e. indignantis & reprehendentis est *Psalm.* 4. *vers.* 3. *Quo vsque gloriam meam in ignominiam?* scil. vertitis. Aposiopesis vehementis amoris est *Ruth.* 1. *vers.* 17. *Ita faciat mihi Iehoua, & ita pergat:* scil. nisi fecero quod dixi. VI. *Addubitatio* est deliberatio nobiscum: vt, *Psalm.* 139. *vers.* 7. *& seqq.*

Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tuâ fugiam? &c. *Rom.* 7. *ver.* 24. 52. *Miser ego homo? quis me eripiet ex isto corpore mortis? Gratias ago Deo per Iesum Christum.* Vide etiam *Phil.* 1. *v.* 22. VII. *Communicatio* est deliberatio cum alijs: vt, *Ier.* 23. *v.*23.24. *Numquid Deus de propinquo ego sum, dixit Iehoua, & non Deus de longinquo? num occultabit se quispiam in occultis, & ego non videbo eum, dixit Iehoua?* Sic & *vers.* 29. *Nonne sic est verbum meum tanquam ignis?* Vide quoque *Malach.* 1. *vers.* 6. *Esa.* 58. *v.* 21. *Psal.* 94. *v.* 7. 8. 10. 1. *Cor.* 10. *v.* 15. 16. Sic *Act.* 4. *v.* 19. *Vos ipsi iudicate, an iustum sit in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum?* Item *Act.* 9. *v.* 4. 5. 6. VIII. *Occupatio* est, cùm alieni consilii interrogationem ita anteuertimus, vt ad eam respondeamus: vt, *Rom.* 9. *vers.* 19. 20. *Dices ergo mihi, Quid adhuc succenses nobis? nam voluntati illius quis resistit? Imò verò ô homo, tu quis es, qui ex aduerso respondas Deo. Num dicet figmentum fictori, Cur me tale fecisti? Matth.* 11. *v.* 26. *Etiam, pater, quia ita placuit tibi. Rom.* 9. *v.* 6. 1. *Ioh.* 2. *v.* 1. 2. *Cor.* 4. *vers.* 16. *Hebr.* 5. *ver.* 8. *Rom.* 2. *v.* 17. *& seqq. Esa.* 49. *v.* 14. *Ezech.* 18. *vers.* 2. *Apoc.* 3. *v.* 17. *Rom.* 13. *v.* 59. IX. *Permissio* est, quâ permittitur aliquid fieri: vt, *Rom.* 2. *v.* 17. *& seqq. Ecce, tu cognominaris Iudæus, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo. Et nosti eius voluntatem* &c. Vide etiam *Iudic.* 10. *v.* 14. X. *Concessio* est, quâ dictum aliquod conceditur: vt, *Ioh.* 5. *vers.* 31. *Si ego testor de meipso: testimonium meum non est verum.* Hoc Christus dicit per concessionem. 1. *Cor.* 1. *vers.* 23. 25. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem offendiculum, Græcis autem stultitiam. Nam stultitia Dei sapientior est, quàm homines: & infirmitas Dei robustior est quàm homines.* Vide etiam *Gal.* 2. *v.* 6. *Iacob.* 2. *v.* 18.

XVIII. Figurarum sententiæ secundariarum genera sunt XXVIII. hoc ordine: Auxesis, Digressio, Transitio, Ratiocinatio, Aetiologia, Periphrasis, Extenuatio, Reiectio, Translatio, Dialogismus, Definitio, Distributio, Congeries, Incrementum, Diatyposis, Hypotyposis, Paradigma,

digma, Imago, Collatio, Comparatio, Paradoxum, Paromologia, Paradiastole, Anthypophora, Crama, Gnoma, Noëma, Chria. Ex his figuris illas attingemus, quarum vsus in Scripturis est paulò frequentior. I. *Auxesis* est, cùm gradibus aliquot peruenitur ad summum: vt, *Phil.3.v.5.6. Circumcisus octauo die, ex gente Israëlis: tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus.* Vide etiam *Rom.5.v.7.8. Eph.2.v.11.12.15. Ioſ.7.v.1. Eph.1.v.19.20.* II. *Digreſſio*, παρέκβασις, est alienæ rei, sed ad vtilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio: vt, *2.Cor.11.v.20.* Paulus in suorum pro ecclesiâ Dei laborum commemorationem excurrit, quam digressionem etiam *cap. seq.* persequitur. Vide etiam *Gal.1.v.17. & seqq.c.2.v.2. & seqq. Coloſ.3.v.11. Matth.14.v.3 & seq.* III. *Transitio*, μετάβασις, quâ connectuntur partes orationis: vt, *Rom.9.v.10.* Neque *hoc solùm, sed & Rebecca.* q.d. Non solùm autem hoc accidit quod narraui de duob. filijs Abrahæ; sed & Rebecca hoc idem experta est in filiis suis. Quibus verbis Paulus transit à doctrinâ de iustificatione & sanctificatione ad tractatum de prædestinatione. *Phil.3. vers.1. Quod superest, fratres, gaudete.* IV. *Aeticologia* est breuis redditio causæ: vt, *Gal.3.v.18. Nam si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione. Coloſ.1.v.16.* V. *Periphrasis* est, quâ multis verbis rem obumbramus, sic tamen vt cerni possit: vt, *Iohan.3.v.26. Is qui tecum erat trans Iordanem, cui tu testimonium dedisti, ecce baptizat*: id est, Iesus baptizat. *Iohan.vlt.v 20. Conuersus Petrus videt illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem; qui & recubuerat in cœnâ super pectus eius, & dixerat, Domine quis est ille qui te prodit?* hoc est, videt Iohannem. VI. *Definitio*, ὁρισμὸς, est magnifica rei explicatio: vt, *Gal.3. vers.24. Lex est pædagogus ad Christum.* VII. *Congeries* est, quando plures coaceruantur species: vt, *Gal.5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, &c. VIII. *Hypotyposis* est, quâ rem velut ob oculos ponimus: vt, *Psal.7.v.13.14.* Deus καθ' ὑποτύπωσιν depingitur cum arcu & sagittis paratus, & in hostes intentus.

tentus. IX. *Anthypophora* est, cùm vnum argumentum conceditur, oppositò fortiori. Dicitur alio nomine ἀνταπόδοσις & ἀντεισαγωγὴ, compensatio. Exemplum insigne est *Matth.* 21. *vers.* 23. 24. 25. vbi Christus Phariſæis quærentibus, *Quâ potestate hoc facis?* respondet, *Interrogabo & ego vos quiddam: Baptismus Iohannis vnde erat? ex cœlone an ex hominibus?*

XIX. Actio est ornata elocutionis prolatio; conueniente scil. voce & gestu. *Vox conueniens* est, quæ debitam habet quantitatem & qualitatem. Ratione quantitatis vox est intensa & remissa, item tarda, distincta, expedita, & denique firma, non decrescens, sed sæpe augescens. Ratione qualitatis vox est exilis, flebilis, exultans, aspera, acuta, grauis, horrida, suauis &c. Vtrobique oportet vt vocis sonus sit accommodatus rebus. Sic in miseratione debet esse vox flebilis, flexibilis, plena, & interrupta: in iracundiâ, acuta, incitata, & crebrò incidens: in metu & verecundiâ, contracta, hæsitans, & lenta: in dolore grauis, pressa & lachrymabilis: in risu & lætitiâ, clara, pura, & exultans. *Esa.* 58. *vers.* 1. *Dan.* 6. *vers.* 21. *Iud.* 8. *vers.* 1. *& seqq.* 2. *Reg.* 18. *v.* 28. *Matth.* 23. *per totum. Gestus conueniens* est, qui rebus, affectibus, voci, & consuetudini est accommodatus. Sic demissio capitis est habitus conueniens luctui, dolori, & humiliationi *Esa.* 58. *v.* 5. Oculi in aliquem conuersi indicant captationem attentionis *Luc.* 6. *v.* 20. Lachrymæ indicant mœrorem. *Luc.* 19. *v.* 41. Percussio pectoris & deiectio oculorum est signum humilitatis. *Luc.* 18. *ver.* 13. Vide infrà Ciuilem conuersationem.

XXV.

LOGICA SACRA.

I. LOgica sacra est ars bene differendi exemplo Scripturæ sacræ. Bene differere est meditari,

tari, inuenire, disponere, disputare, colloqui, & similia rationis munia obire.

II. Partes logicæ sunt duæ, inuentio & dispositio.

III. Inuentio est quâ colligitur materia dissertationis. Estque thematis & argumenti. Hæc duo enim sunt materia omnis dissertationis.

IV. Thema est, de quo disseritur. Ita nempe, vt explicetur, vel probetur. Est autem thema *primò* simplex, vel compositum. *Thema simplex* est, quod proponitur explicationis causâ: vt sunt omnia vocabula & omnes res vocabulis istis significatæ, vt *Gen.* 1. cœlum, terra, lux, sol: item omnes quæstiones, ad quas non potest responderi ita vel non, quales sunt in isto versu:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Thema compositum est, quod proponitur demonstrationis causâ: cuiusmodi sunt omnes quęstiones, ad quas responderi potest ita vel non: vt *Rom.* 4. An homo iustificetur fide? *Deinde* thema est thesis, vel hypothesis. *Thesis* est thema generale: vt, Omnis homo mendax *Psalm.* 116. *Hypothesis* est thema speciale: vt sunt omnes historiæ, putà de Adamo, Euâ, Enocho, Mose &c. Huiusmodi themata multa sunt *Heb.* 11. *Tertiò* thema est theoreticum, vel practicum. Thema theoreticum est, quod cognitionis causâ proponitur: estque didascalicum, vel elencticum. *Didascalicum thema* est, quod facit ad verum docendum: vt est *Psalmus* 1. *Thema elencticum* est, quod facit ad redarguendum falsum: vt est *caput* 3. *ad Galatas.* Thema practicum est, quod actionis causâ proponitur. Estque pædeuticum, epanorthoticum, vel paracleticum. *Thema pædeuticum* est, quod proponitur ad instituendum in bono: vt est *caput quintum posterioris epist. Petri.* *Thema epanorthoticum* est, quod ꝓponitur ad vitandum malũ: vt est *caput 6. Rom.* *Thema paracleticũ* est, ꝙ consolationis causâ proponitur: vt 1. *Thess.* 4. *v.* 13. 14. Postrema hæc thematis diuisio sumta est ex

2.*Tim.*3.*v.*16.*&* *Rom.*15.*v.*4. & est propria thematis theologici. Quoties itaque disserendum est de themate sacro, quinque ista genera oportet percurrere, & simul obseruare loeum communem theologicum, ad quem thema propositum pertinet. e.g. si disserendum sit ex *Luc.* 1. de angelo Gabriele, thema illud est didascalicum, & pertinet ad locum communem de angelis.

V. Argumentum est, quod facit ad euolutionem thematis. Ita nempe, vt illud declaret, vel demonstret, vel amplificet. Nam hæc triplex vis & facultas inest argumento.

VI. In argumento spectantur affectiones & species.

VII. Affectiones argumenti sunt consensio & dissensio, necessitas & contingentia, affirmatio & negatio, vis primitiua vel deriuatiua, consideratio simplex vel comparatio: quæ omnia fundantur in relatione. Omnibus enim argumentis accidit vt sint relata, idque secundum species modò enumeratas, putà consensionem, dissensionem, necessitatẽ &c. Hinc argumenta logica consentiunt vel dissentiunt, idq; vel necessariò & immutabiliter, vel contingenter & mutabiliter. Deinde argumenta aliquid affirmant siue ponút in rerum naturâ, vel negant siue tollunt. Tertiò argumenta sunt originis primæ vel ortæ. Deniq; considerantur vel simpliciter extra collationem, vel in collatione siue comparatione. Hæ affectiones sparguntur per argumenta logica siue loca inuentionis non aliter atque sanguis & succus per totum corpus; hoc est ita, vt, quemadmodum singula quidem membra neque sunt exsanguia, neq; exsucca, neque tamen ideò æqualiter sanguine & succo prædita, sic quoque argumenta logica participent de illis affectionibus, sed inæqualiter. Hinc est, quòd argumenta quædam appellantur consentanea, dissentanea, comparata,

rata, & orta, quia in illis eminet istiusmodi affectio. Sic v.g. consensio principaliter & primò inest causæ & effecto; subiecto & adiuncto; antecedenti, connexis, & cõsequenti; reliquis autem nonnisi propter illa. Quare consensio inter definitionem & definitum erit vel causæ & effecti, vel subiecti & adiuncti &c. Similiter dissensio principaliter & primò inest diuersis, disparatis &c. Ideò si dicam inter causam & effectum cerni dissensionem aliquam, oportet vt videam an causa & effectum dissentiant vt diuersa, disparata, relata &c. De comparatis & ortis idem est iudicium.

VIII. Species argumenti sunt, quòd sit insitum vel assumtum. Illud etiam artificiale, hoc inartificiale dicitur.

IX. Argumentum insitum est, quod suâ vi facit ad euolutionem thematis.

X. Estque primum, vel ortum.

XI. Argumentum primum est suæ originis: Estque simplex, vel comparatum.

XII. Argumentum simplex est, quod extra comparationem consideratur. Estque consentaneum, vel dissentaneum.

XIII. Argumentum consentaneum est, quod cum suo themate consentit. Consentit autem summè, vel remissè.

XIV. Argumentum summè consentaneum est causa & effectum.

XV. Causa est, cuius vi res est.

XVI. Causa est externa, vel interna. Illa est efficiens & finis, hæc materia & forma.

XVII. Efficiens est causa, à quâ res est. Hæc *primò* est procreans, vel conseruans. *Procreans* est, quæ rem facit esse; vt *Gen. 1. v. 1. In principio creauit Deus cœlum*

& terram. Efficiens *conseruans* est, quæ rem facit porrò esse: vt, *Hebr.1.v.3.* Christus omnia portat verbo suo potente. *Deinde* efficiens est solitaria, vel socia. *Solitaria*, siue totalis, est, quæ sola ad rem efficiendam sufficit: vt Christus solus calcauit torcular *Esa.63.v.3.* Solus Deus potest remittere peccata *Luc.5.v.21.* Efficiens *socia*, siue partialis, est, quę cum aliis agit. Estque principalis, vel minùs principalis. Efficiens *principalis* agit primariò: *minùs principalis* secundariò: vt 1. *Cor. 3. vers. 6. 7. Ego plantaui, Apollos rigauit: sed Deus dedit incrementum. Itaque neque is qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed Deus, qui dat incrementum.* Ad causam minus principalem refertur instrumentum & causa impellens. *Instrumentum* est, quod à causâ principali motum adiuuat actionem: vt 1. *Cor. 3.v.9. Dei administri sumus. Causa impellens* mouet efficientem principalem vel minùs principalem. Estque προηγουμένη vel προκαταρκτική. Προηγουμένη est in ipsâ efficiente: vt *Matth. 11. vers.26. Etiam Pater, quia sic placuit tibi.* Προκαταρκτικὴ est extra efficientem: vt *Rom. 8. vers. 32. Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quî non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Tertiò efficiens agit per se, vel per accidens. Efficiens *per se* agit suâ facultate: estque naturalis vel voluntaria. *Naturalis* est, quæ agit ex naturæ suæ vi: vt, *Genes. 1. vers. 11. Proferat terra herbulas. Voluntaria* est, quæ agit certâ præcognitione & consilio: vt, *Psalm. 115. vers.3. Deus noster in cœlis est, quidquid placet, facit.* Efficiens *per accidens* est, quæ alterius facultate efficit: vt, 1. *Corinth.1. ver. 23.* Christus crucifixus Iudæis est offendiculum, Græcis stultitia.

XVIII. Finis est cuius gratiâ res est. Estq; principalis, vel minùs principalis. *Finis principalis* est, qui primariò intenditur ab efficiente. Estque summus, vel summo subordinatus. *Finis summus*, aliis vltimus, est vniuersalis; vel particularis. *Finis summus vniuersalis* est, ad quem omnia in vniuerso mundo ordinantur: 1. *Cor. 10. v.31. Omnia ad Dei gloriam facite. Finis summus particularis* est, ad

quem

quem omnia referuntur in certâ aliquâ materiâ: vt ſummus finis Logicæ eſt bene diſſerere. *Finis ſummo ſubordinatus* eſt, qui tanquam intermedius ad ſummum refertur: vt Chriſtus 1. *Cor.* 11. *v.* 24. 25. præcipit ſacram ſuam cœnã celebrare ad ſui recordationẽ. *Finis minùs principalis* eſt, qui ſecundariò intenditur ab efficiẽte: vt, qui ſeruiunt altari, ſecundariò hoc debẽt ſpectare vt viuãt de altari 1. *Cor.* 9. *v.* 13.

XIX. Materia eſt cauſa ex quâ res eſt. Eſtque præexiſtens, vel coexiſtens. *Materia præexiſtens* antecedit materiatũ: vt *Gen.* 2. Adam ex terrâ formatus eſt, & Eua ex coſtâ Adami. *Materia coexiſtens* eſt, ex quâ conſtat materiatum: vt *Gen.* 2. *v.* 1. exercitus cœli & terræ, i.e. omnes creaturæ, ſunt materia ex quâ conſtat mundus. Sic membra corporis ſunt eius materia. *Eph.* 4. *v.* 16.

XX. Forma eſt, per quam res eſt id quod eſt. Particula *per* notat intimam περιχώρησιν. Eſt autem forma interna, vel externa. *Forma interna* eſt, quæ ſenſibus non ſubijcitur. Hanc Deus implantauit omnibus rebus *Gen.* 1. quando illis peculiares & diſtinctas naturas inſeuit. *Forma externa* eſt naturalis, vt eſt forma arboris vitæ *Gen.* 2. vel artificialis, vt forma arcæ Noë *Gen.* 6.

XXI. Effectum eſt, quod à causâ exiſtit. Sic à Deo, tanquam efficiente procreante, per Deum, tanquã efficientem conſeruantem, & ad Deum, tanquam cauſam finalem, ſunt omnia. *Rom.* 11. *v. vlt.* Effecta Chriſti ſunt miracula varia, vt *Iohan.* 2. aquæ in vinum conuerſio.

XXII. Argumentum remiſsè conſentaneum eſt ſubiectum & adiunctum; antecedens, connexum, & conſequens.

XXIII. Subiectum eſt, quod alicui ſubiicitur. Eſtq; recipiẽs, vel occupans. *Subiectũ recipiens* eſt, qꝙ recipit adiunctũ vel in ſe, vt Chriſtus ſapientiam *Luc.* 2. *v. vlt.* vel ad ſe, vt Chriſtus togã, coronam ſpineam, & alia eiusmodi. *Subiectum occupans* eſt, circa quod verſatur adiunctum, vt verus Chriſtianus circa Chriſti mortem 2. *Tim.* 2. *v.* 8.

XXIV. Ad-

XXIV. Adiunctum est, quod accedit suo subiecto. Estque receptum, vel occupatum. *Adiunctum receptum* est, quod subiecto vel inhæret, vt sapientia Salomoni 1. *Reg.* 3. vel adhæret, vt purpura & byssus diuitiepuloni *Luc.* 16. Porrò adiunctum receptum est proprium, vel commune. *Proprium adiunctum* est, quod competit omni subiecto, soli, & semper: vt Deus est omnipotens. *Gen.* 17. *v.* 1. *Adiunctum commune* est, quod contingenter inest: vt, Abel erat pastor. *Gen.* 4. *Adiunctum occupatum* est, quod versatur circa subiectum: vt Christus *Luc.* 2. *vers.* 49. circa ea, quæ sunt Patris ipsius; & fides *Heb.* 11. *vers.* 1. circa res inaspectabiles.

XXV. Antecedens est, quod rem antecedit, non vt causa vel subiectum, sed vt merum antecedens. Sic *Gen.* 1. primus dies antecessit secundum; & passio Christi ipsius resurrectionem *Matth.* 27. & 28.

XXVI. Connexum est, quod simul est cum re. Sic omnia Dei attributa sunt connexa. *Exod.* 34. *vers.* 6. 7. item eclipsis & passio Christi *Luc.* 23.

XXVII. Consequens est, quod rem sequitur, non vt effectum vel adiunctum, sed vt merum consequens. Sic *Gen.* 1. dies secundus secutus est primum; & *Act.* 1. ascensio Christi resurrectionem.

XXVIII. Argumentum dissentaneum est, quod à re dissentit. Deus indidit rebus consensiones, quia omnia voluit pendere ab vno aliquo, & tendere ad vnum aliquid: dissensiones verò, ne multa essent vnum, & hoc non esset illud, & illud non esset hoc.

XXIX. Estque diuersum, vel oppositum.

XXX. Diuersum est, quod dissentit faciendo distinctionem. Hinc diuersa sunt fons omnium bonarum distinctionum. Exemplum huius loci est 2. *Cor.* 4. *v.* 8. 9. *Premimur quidem, sed non opprimimur: æstuamus, sed non exæstuamus: vexamur, sed non deserimur: deijcimur, sed non perimus.*

XXXI. Op-

XXXI. Oppositum est, quod dissentit faciendo oppositionem, siue repugnantiam. Itaque opposita non possunt tribui eidem, secundùm idem, ad idē, & eodem tempore. Si verò quatuor ista sint diuersa, putà subiectum, pars, respectus, & tempus, nulla est oppositio.

XXXII. Oppositio est disparatorum, relatorum, aduersorum, contradicentium, vel priuantium.

XXXIII. Disparata sunt, quorum vnum multis pariter opponitur. Sic 1. *Petr.* 1. *v.* 18. 19. *Non caducis rebus, auro aut argento, ex vanis moribus patriis estis redemti: sed pretioso sanguine Christi, tanquam agni immaculati.* Hîc aurum, argentum, & sanguis Christi disparantur.

XXXIV. Relata sunt, quæ amicè opponuntur. Sic Christus arguit *Matth.* 22. *vers.* 45. Si Christus est dominus Dauidis, non erit eius filius, h. e. potestati subiectus.

XXXV. Aduersa sunt, quæ perpetuò dissident. Sic *Matth.* 6. *v.* 24. *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Vide etiam 1. *Cor.* 10. *v.* 21.

XXXVI. Contradicentia sunt, quorum alterum negat vbique. Sic *Rom.* 9. *vers.* 25. *Vocabo populum meum: & eam, quæ dilecta erat, dilectam.*

XXXVII. Priuantia sunt, quorum alterum negat in subiecto habili. Sic *Rom.* 6. *v.* 2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo?* q. d. non viuemus in eo.

XXXVIII. Argumentum comparatum est, quod confertur cum suo themate in aliquo tertio. Hoc sæpe notis ostenditur: interdum protasi & apodosi pleniùs explicatur, vt in exemplis patebit.

XXXIX. Comparatum est in quantitate siue gradu,

gradu, *vel in qualitate extra gradum. Ibi est par & impar, hic similе & dissimile.*

XL. Par est, quod cum alio confertur in vno eodemque gradu. Sic *Philip. 2. v. 6. Christus non duxit rapinam, parem esse cum Deo.* Ita tres personæ sacrosanctæ Trinitatis sunt pares essentiâ & proprietatibus essentiæ *1. Ioh. 5. vers. 7.*

XLI. Impar est, quod cum alio confertur in diuerso gradu, eoque maiori vel minori. Hinc impar est maius, vel minus. *Maius* est, cuius gradus excedit: vt *Act. 5. v. 29. Oportet Deo potiùs obedire quàm hominibus. Minus* est, cuius gradus deficit: vt *Psal. 89. v. 7.* nemo cum Iehouâ potest comparari. *Matt. 6. v. 26.* lilia & aues cœli sunt infra hominem longo interuallo.

XLII. Simile est, quod cum alio confertur in vnâ qualitate. Sic *Psal. 1. v. 3.* pius dicitur esse instar arboris iuxta riuos plantatæ. *Eph. 5. v. 24. Sicut ecclesia subdita est Christo: sic vxores viris suis sint subditæ.*

XLIII. Dissimile est, quod cum alio confertur in diuersâ qualitate. Sic *Ioh. 10.* pastor bonus vitam ponit pro ouibus suis: mercenarius autem fugit. *Psal. 1. v. 4. Non sic impij*: scilicet vt pij. *Esa. 54. v. 10. Montes commouebuntur, & colles contremiscent: fœdus autem pacis meæ non mouebitur in æternum, dicit Dominus.*

XLIV. Argumentum ortum est, quod perinde arguit, sicut primum, à quo oritur. Estque nominale, vel reale. Illud arguit vocem, vt Coniugatum & Notatio. hoc arguit rem, vt Distributio & Definitio.

XLV. Coniugatum est vox à voce deducta Logicè. Sic iustus à iustitiâ est Logicè: contrà iustitia est à iustus Grammaticè. *Ioh. 3. v. 31. Qui è terrâ est, terrenus est, & terrena loquitur. 1. Cor. 13. vers. 11. Dum puer eram, puerilitèr loqui-*

loquebar, pueriliter sentiebam, pueriliter cogitabam: sed vir factus, puerilia deleui.

XLVI. Notatio est vocis è suâ origine explicatio Logica. Logica dico, non Grammatica. Hæc spectat vocem, quâ vox est: illa, quâ est symbolum rei, & quatenus ad intellectum refertur: vt *Adam* nomen habet à rubrâ terrâ *Genes.* 2. notatio est à materiâ. *Eua* sic dicta est, quòd esset mater viuentium *ibid.* notatio est ab effecto.

XLVII. Distributio est resolutio totius in partes. *Totum* est, quod partes habet. Estq; proprium vel improprium. *Totum proprium* est, quod habet partes propriè dictas. Estque genus vel integrum. *Genus* est totum, quod essentiam communicat speciebus: vt, animal est genus hominis & bestiæ. *Integrum* est totum, quod essentiam accipit à partibus. Estq; essentiale, vel materiale. *Integrum essentiale* est, quod constat partibus essentialibus: vt homo cõstat animâ & corpore *Gen.* 2. *Integrum materiale* est, ꝙ constat partibus integrantibus: vt hominis corpus variis membris. 1. *Cor.* 12. *v.* 14. *& seqq.* Estq; similare, vel dissimilare. *Similare*, quod constat partib. homogeneis: vt aqua *Gen.* 1. *Dissimilare*, quod constat partibus heterogeneis: vt corpus hominis 1. *Cor.* 12. *Totum improprium* est, quod habet partes impropriè dictas: quale est causa respectu suorum effectorum, & contrá: subiectum respectu adiunctorum, & contrá. *Pars* est, quæ sub toto continetur. Estque similiter propria, vel impropria. *Pars propria* est species, indiuiduũ vel membrum. *Species* est pars generi subiecta. *Indiuiduum* est pars speciei subiecta. Sic *Gen.* 1. *&* 2. Deus creauit species & indiuidua. *Membrum* est, quod constituit integrũ: estq; essentiale, vel integrale. *Membrum essentiale* est, quod constituit totum essentiale: vt materia & forma. *Membrum integrale* est, quod constituit totum integrale. Estq; homogeneum seu similare, vel heterogeneũ seu dissimilare: & hoc est principale, vel minus principale. *Principale*, ꝙ ad totius cõstitutionem simpliciter est necessarium: vt

cor in homine. *Minùs principale*, quod à toto abesse potest citra ipsius interitum: vt digitus in homine. *Pars impropria* est cùm diuiditur causa per effecta, & contrá; vel subiectum per adiuncta, & contrá. Hinc iam pendet distributionis diuisio, quòd sit primaria, vel secundaria. *Distributio primaria* est totius proprij. Estq; vel generis in species: vt, animal est homo vel bestia *Psal. 32. v. vlt.* vel integrii in membra: vt, hominis partes sunt anima & corpus. *Gen. 2.* templum Salomonis distribuitur in porticum, sanctum, & sanctum sanctorum. *2. Chron. 3. Distributio secundaria* est totius impropij. Estque vel causæ in sua effecta, & effecti in suas causas: vel subiecti in sua adiuncta, & adiuncti in sua subiecta. e.g. *ex efficiente*, Scriptura est partim à prophetis, partim ab apostolis exarata *Eph. 2. v. 20. ex materiâ*, Vasa templi Salomonis erant alia ex auro, alia ex argento *1. Reg. 4. ex formâ*, Vasa sunt quadrata, vel rotunda: *ex fine*, Omnis Scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, *2. Tim. 3. ex effectis*, Verbum Dei occidit, vel viuificat *2. Cor. 3. ver. 6. è subiectis*, Semen aliud cecidit in viam, aliud in petrosa, aliud in spinas, aliud in terram bonam. *Matth. 13. v. 4. ex adiunctis*, Ministrorum in ecclesiâ alij sunt apostoli, alij prophetæ, alij pastores, alij doctores. *Eph. 4.*

XLVIII. Definitio est, quâ explicatur quid res sit. Seu, est definiti explicatio. Est autem definitio perfecta, vel imperfecta. *Definitio perfecta* constat terminis essentialibus: vt, Peccatum est ἀνομία *1. Ioh. 3.* Vide etiam definitionem fidei *Hebr. 11. v. 1. Definitio imperfecta* constat terminis non-essentialibus: vt, *Gal. 3. v. 24. Lex est pædagogus noster in Christum respiciens.*

XLIX. Hucusque expositum est argumentum insitum: restat assumtum, quod vim suam ab alio mutuatur, & dicitur Testimonium. Testimonium est diuinum, vel humanum. *Testimonium diuinum* est, quod Deum authorem habet: estque immediatum, quod

Deus

Deus protulit sine ministerio creaturæ, vt illud *Matth. 3. & 17. Hic est filius ille meus dilectus, in quo valde delector. Hunc audite*: vel mediatum, ad quod perhibendum Deus aliorum ministerio est vsus *Hebr. 1. v. 1. Testimonium humanum* est, quod hominem authorem habet. Huc pertinet obligatio, *Gen. 44. v. 32.* confessio, *Iohan. 1. v. 20.* iusiurandum, *Rom. 1. v. 9.* & similia multa.

L. Adhuc fuit inuentio, sequitur dispositio, altera Logicæ pars, de disponendis thematibus & argumentis, ad bene iudicandum.

LI. Estque axiomatica, syllogistica, vel methodica.

LII. Dispositio axiomatica regit compositionem & diuisionem in axiomate, vt discernatur verum à falso.

LIII. Axioma est, quo vnum de alio enuntiatur.

LIV. Axioma consideratur in genere, & in specie.

LV. Axioma in genere habet partes, diuisiones generales, & affectiones.

LVI. Partes axiomatis sunt subiectum & prædicatum, quæ vinculo, ceu adstrigmento, coaptantur. *Subiectum* est prior pars axiomatis, de quâ aliquid dicitur: aliâs *antecedens*. *Prædicatum* est posterior pars axiomatis, quæ de subiecto dicitur: aliâs *consequens*. In subiecto itaque quærendum est thema, idque simplex: in prædicato argumentum, idque declarans. Multiplex autem hîc est crypsis, quæ facilè soluitur, si attendatur natura thematis & argumenti, itemque vis constructionis & articuli Græci. e. g. *Iohan. 1. v. 1.* Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Articulus ὁ monstrat subiectum. In plenis comparationibus protasis continet argumentum, apodosis thema. Itaque protasis

eſt ſubiectum, apodoſis prædicatum. e.g. *Pſalm.* 103. *v.* 13. *Vt miſeretur pater liberorum, miſeretur Iehoua timentium ipſum.* Analyſis logica, expendens naturam thematis & argumenti, ſic tollit crypſin, *Deus miſeretur timentium ipſum, vt pater miſeretur liberorum.* §

LVII. Generales diuiſiones axiomatis ſunt, quòd ſit affirmatum vel negatum, verum vel falſum, neceſſarium vel contingens, vniuerſale vel ſingulare. *Axioma affirmatum* eſt, cuius vinculum affirmatur, hoc eſt, cuius prædicatum cum ſubiecto cõiungitur: vt 1. *Cor.* 13. *verſ.* 4. *Charitas eſt patiens. Negatum eſt,* cuius vinculum negatur, h. e. cuius prædicatum à ſubiecto diuellitur: vt 1. *Cor.* 13. *verſ.* 5. *Charitas non quærit ſua.* Vtrumque, affirmatum inquam & negatum, eſt purum, vel modale. *Purum* eſt, cuius prædicatum conuenit ſubiecto ſine modo: vt, *Deus eſt ſpiritus. Iohan.* 4. *Modale* eſt, quod vnum habet ex his modis, *Neceſſe, contingens, impoßibile, poßibile*: vt *Matth.* 18. *v.* 7. *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala. Axioma verum* eſt, quod pronuntiat vti res eſt: ita nempe vt conſentanea affirmet, & diſſentanea neget. Nam quæ in rerum naturâ ſunt cõiuncta vel diſiuncta, in oratione quoque, tum ἐνδιαθέτῳ tum προφορικῇ, oportet coniungere vel diſiungere. *Axioma falſum* eſt, quod non pronuntiat vti res eſt: ita nempe vt conſentanea neget, & diſſentanea affirmet: vt *Gen.* 3. *verſ.* 4. *Dixit ſerpens mulieri, Non moriemini. Axioma neceſſarium* eſt, in quo prædicatum tribuitur ſubiecto immutabiliter: *contingens*, in quo mutabiliter. In axiomate vero tres ſunt gradus neceſſitatis, videl. κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθ' ὅλου προτάσεως. Neceſſarium κατὰ παντὸς eſt, cuius prædicatum omni ſubiecto ſemper ineſt: vt *Iohan.* 3. *v.* 16. Omnis qui credit in Chriſtum, habet vitam æternam. Neceſſarium καθ' αὐτὸ eſt, cuius partes inter ſe ſunt eſſentiales. Eſtque primi, vel ſecundi modi. Καθ' αὐτὸ primi modi eſt, cuius prædicatum eſt de eſſentiâ ſubiecti: vt, Homo eſt animal rationale. Καθ' αὐτὸ

ſecundi

secundi modi est, cuius subiectum est de essentiâ prædicati: vt, Homo est risibilis. In primo modo prædicatur causa essentialis, seu essentiale à priori: in secundo proprium, seu essentiale à posteriori. Necessariũ καθ' ὅλου πρῶτον est, cuius prędicatum cum subiecto disponitur recipi ocè. Hîc τὸ καθ' ὅλου respicit prædicatum, significans illud cum subiecto sic cohærere, vt eo nec sit γενικώτερον, nec εἰδικώτερον: πρῶτον autem conuenit subiecto, indicans illud esse οἰκεῖον & germanum, ratione prædicati, quod illi non δι' ἄλλο, sed immediatè conueniat: vt, Deus est omnipotens. *Gen.* 15. *v.* 1. *Axioma vniuersale* est, cuius prædicatum tribuitur subiecto vniuersaliter. Estq; generale, vel speciale. *Axioma generale* est, cuius prædicatum tribuitur omni subiecto: vt, *Matt.* 15. *v.* 13. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Matt.* 6. *Nemo potest duob. dominis seruire. Axioma speciale* est, in quo prędicatũ tribuitur subiecto cuidam: vt, Quidã Pharisæi crediderunt in Christũ *Iohan.* 2. *&* 3. Nõ omnes vocati sunt electi *Matt.* 20. *Axioma singulare*, siue propriũ est, cuius prædicatũ vni duntaxat subiecto tribuitur: vt, Nicodemus credidit in Christũ *Iohan.* 3. Memineris *axiomata singularia* aliter etiã dici quę sunt inusitata philosophis: vt, Deus est homo, Panis est corpus Christi.

LVIII. Affectiones axiomatis sunt consensio & dissensio vnius axiomatis cum alio. *Cõsensio* axiomatis est æquipollentia & cõuersio: *dissensio*, oppositio. *Æquipollentia* est cõueniẽtia axiomatũ in sensu, verbis diuersis: vt, Panis est corpus Christi, Panis est sacramentũ corporis Christi. 1. *Cor.* 11. *Conuersio* est subiecti & prædicati transpositio, saluâ veritate. Fit autem tribus modis. 1. Per simplicẽ transpositionẽ: vt, Deus est omnipotens, &, Qui est omnipotens, est Deus. 2. Per trãspositionẽ, & vocularũ *Omnis* & *Quidã* mutationẽ: vt, Omnis electus est vocatus, Quidã vocatus est electus. 3. Per trãspositionẽ, & cõtrapositionẽ, i. e. pmutationẽ affirmationis & negationis: vt, Omnes electi sunt vocati, Qui nõ sunt vocati, nõ sunt electi. *Oppositio* est pugna duorũ axiomatũ; quib. nempe idem de

eodē ſecundùm idē, ad idē, & eodē tempore affirmatur & negatur. Oppoſitio iſta eſt contraria, vel contradictoria. *Oppoſitio contraria* eſt inter generale affirmatum & negatū. Et hîc vtraque pars poteſt eſſe falſa: vt, Nullus diues introibit regnum cœlorum, Omnis diues introibit regnum cœlorum. *Oppoſitio contradictoria* eſt inter generale affirmatum & ſpeciale negatum, aut contrà; vel ſingulare affirmatum & negatum: vt, Nihil eſt ignoſcendum, Aliquid eſt ignoſcendum: Paulus fuit apoſtolus, Paulus non fuit apoſtolus. Et hîc neceſſe eſt alteram partem eſſe veram, alteram falſam. Hinc Scholaſtici: *Contradictio non eſt in ſinu Dei*, qui non miſcet ea, quæ ſunt & non ſunt.

LIX. Axioma in ſpecie diuiditur in ſimplex, & compoſitum. *Axima ſimplex* eſt, in quo vnum de vno prædicatur: ſeu, quod continetur vinculo verbi: vt, Chriſtus eſt filius Dei *Iohan.* 3. *Axioma compoſitum* eſt, in quo duo minimùm ſimplicia, vinculo coniunctionis, cōiunguntur. Eſtque congregatiuum, vel ſegregatiuum. *Congregatiuum* eſt, cuius partes coniunctione vinciuntur; ſiue conſentanea, ſiue diſſentanea enuntiet. Eſtque copulatum, vel connexum. *Axioma copulatum* eſt, cuius coniunctio eſt copulatiua: vt, *Eccleſ.* 12. *v.* 3. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & diuitiæ à Domino proficiſcuntur.* Coniunctioni copulatiuæ æquipollent particulæ relatiuæ: vt, *Matth.* 24. Vbi cadauer, ibi aquilæ. *Axioma connexum* eſt, cuius coniunctio eſt connexiua, ſeu conditionalis: vt, *Gen.* 3. *v.* 3. *Si veſcemini de fructu arboris, moriemini.* Hoc axiomate diſponi poſſunt omnis generis argumenta, exceptis diuerſis. Hinc rectè procedit iſta connexio: *Rom.* 8. *v.* 17. *Si ſumus filij, etiam hæredes*: item illa *Rom.* 11. *ver.* 6. *Si ſalus eſt per gratiam, iam non ex operibus.* Sed hæc non procedit: Si homo eſt diues, etiam Deo placet: vel, Si eſt diues, Deo non placet. *Axioma ſegregatiuum* eſt, cuius partes coniunctione ſeparantur. Itaque enuntiat tantùm diſſentanea. Eſtque diſcretum, vel diſiunctum. *Axioma diſcretum* eſt, cuius coniunctio eſt diſcretiua. Dicitur etiam prolepti-

cum,

cum, quia fermè occupat obiectionem. Hoc axiomate sola diuersa enuntiantur: vt, 1. *Cor.* 8. *v.* 5. *Quanquam multi dicantur dij: nobis tamen vnus est Deus. Axioma disiunctum* est, cuius coniunctio est disiunctiua. Enuntiat tantùm opposita: vt, Aut fide iustificamur, aut operibus. *Rom.* 4. Dicitur etiam *propositio alternatiua.*

LX. Sic fuit dispositio axiomatica: sequitur syllogistica, quæ regit discursum in syllogismo, vt discernatur consequens & inconsequens.

LXI. Syllogismus est, quo thema compositum disponitur cum argumento probante, vt positis præmissis sequatur conclusio.

LXII. In syllogismo spectantur fundamenta, partes & species.

LXIII. Fundamenta siue principia syllogismi sunt duo. *Prius* est dictum de omni, & nullo. *Dictum de omni* est, quando sub subiecto nihil potest sumi, cui non tribuatur prædicatum: vt, Omnis homo est mendax *Psal.* 116. Ergo & Abraham, & Dauid, & Petrus. *Dictum de nullo* est, quando sub subiecto nihil potest sumi, de quo non remoueatur prædicatum: vt, Nullus homo est Deus. Ergo nec Herodes. *Alterum* syllogismi fundamentum est dictum proportionis: *Quæ conueniunt vel non conueniunt in vno tertio, inter se conueniunt vel non conueniunt*: vt, Christus est omnipotens. Ergo est Deus. Hîc Christus & Deus conueniunt in illo tertio, *omnipotens.* Itaque inter se conueniunt. Homo non est omnipotens. Ergo non est Deus. Hîc homo & Deus non conueniunt in isto tertio, *omnipotens.* Ergo nec inter se conueniunt. Atq; hæc sunt principia regulatiua cuiusuis syllogismi.

LXIV. Partes syllogismi sunt materia & forma. *Materia syllogismi est tum remota*, vt sunt tres termini, è quibus duo sunt in conclusione seu quæstione, tertius est ipsum argumentum; *tum propinqua*, vt duæ præmissæ, putà

maior & minor, seu propositio & assumtio; & conclusio. *Forma syllogismi* est apta medij termini cum extremis dispositio.

LXV. Species syllogismi sunt, quòd alius sit manifestus, alius crypticus. *Syllogismus manifestus* est, in quo nulla est anomalia. Estque simplex, vel compositus. *Syllogismus simplex* est, in quo prædicatum quæstionis est in propositione, subiectum in assumtione. Eius figuræ sunt tres. *Prima figura* est, in quâ argumẽtũ antecedit in propositione, sequitur affirmatũ in assumtione: vt, *Rom.* 1. & 2.

Omnes peccatores sunt rei iræ diuinæ.
Omnes homines sunt *peccatores*.
Ergo omnes homines sunt rei iræ diuinæ.

Secunda figura est, in quâ argumentum semper sequitur, negatum in alterâ parte: vt, *Rom.* 8.

Nulli in carne viuentes *Deo placent*.
Omnes iuxta spiritum versantes *Deo placent*.
Ego nulli iuxta spiritum versantes viuunt in carne.

Tertia figura est, in quâ argumentum semper antecedit, affirmatum in assumtione: vt, *Rom.* 8.

Omnes iustificati glorificantur.
Omnes iustificati sanctè viuunt.
Ergo quidam qui sanctè viunt, glorificantur.

Syllogismus compositus est, in quo tota quæstio disponitur cum argumento in propositione. Estque connexus, vel disiunctus. *Syllogismus connexus* est, cuius propositio est connexa. Estque primi, vel secundi modi. *Connexus primi modi* est, qui assumit antecedens, & concludit consequens: vt *Rom.* 8. *v.* 17.

Si sumus filij DEI, sumus etiam hæredes regni cœlorum.
Atqui sumus filii Dei.
Ego etiam sumus hæredes regni cœlorum.

Connexus secundi modi est, qui tollit consequens, vt tollat antecedens: vt, *Gal.* 2. *v. vlt.*

Si per

Si per legem iustitia obueniret, Christus frustra esset mortuus.

Sed Christus non est frustra mortuus.

Ergo iustitia non obuenit per legem.

Syllogismus disiunctus est, cuius propositio est disiunctiua. Estque primi, vel secundi modi. *Disiunctus primi modi* est, qui tollit vnum, & reliquum concludit. Itaq; habet conclusionem affirmatam: vt, *Rom.* 4.

Aut ex merito Deus nos saluat, aut ex gratiâ.

Sed non ex merito nos saluat.

Ergo saluat nos ex gratiâ.

Disiunctus secundi modi est, qui assumit vnum, & reliquum tollit. Itaque habet conclusionem negatam: vt, *Matth.* 6.

Aut Deo seruiendum, aut Mammonæ.

At Deo seruiendum.

Ergo non Mammonæ.

Syllogismus crypticus est, qui admittit anomaliam. Estq; defectus, redundans, vel inuersus. *Syllogismus defectus* est enthymema, exemplum, vel inductio. *Enthymema* est, in quo deficit propositio, assumtio, vel conclusio: vt 1. *Cor.* 6. *v.* 20. *Emti estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro.* Hîc deest propositio. Sic 1. *Tim.* 6. *v.* 17. *Exemplum* est, quo hypothesis transfertur ad thesin syllogisticè: vt *Rom.* 4. Abraham fuit iustificatus fide. Ergo & nos fide iustificamur. *Inductio* est, quâ ex singularibus omnibus ritè collectis infertur conclusio vniuersalis: vt *Heb* 11. Abel, Enoch, Noë, & similes sancti placuerunt Deo per fidem. Ego fieri non potest, vt quisquam Deo placeat sine fide. *Syllogismus redundans* est sorites & dilemma. *Sorites* est, in quo coacernantur plura axiomata, ita vt semper prædicatum præcedentis sit subiectum sequentis, donec conclusio inferatur, in quâ prædicatum vltimi axiomatis tribuatur subiecto primi: vt, *Rom.* 8. *v.* 29. 30.

Quos Deus prænouit, illos prædestinauit.

Quos prædestinauit, eos etiam vocauit.

Quos vocauit, eos etiam iustificauit.

Quos iuſtificauit, eos etiam glorificauit.

Egò quos Deus prænouit, eos glorificauit.

Si malis, ita enuntia: Omnes præſciti ſunt prædeſtinati. Omnes prędeſtinati ſunt vocati. Omnes vocati ſunt iuſtificati. Omnes iuſtificati ſunt glorificati. E. omnes præſciti ſunt glorificati. *Dilemma* eſt, in quo ex oppoſitis immediatis ita concluditur, vt vtroque cornu feriatur aduerſarius: vt *Iohan.* 18. *v.* 20. eſt eiuſmodi dilemma Chriſti: Aut malè loquutus ſum, aut bene. Si malè, teſtare de malo. Sin bene, cur me cædis? Huc etiam pertinet illud. Si homines legem Dei implent, aut damnati, aut electi eam implebunt. Non illi: quia damnantur. Non hi: quia ipſis opus eſt morte Chriſti. *Syllogiſmus inuerſus* eſt, in quo propoſitio, aſſumtio & concluſio vel ſingulæ, vel vniuerſæ ſunt transpoſitæ: vt, *Rom.* 8. *v.* 4. 5. 9. transponuntur partes ſyllogiſmi, quarum ordo naturalis hic eſt.

Qui ſunt ſecundùm carnem, ij ambulant ſecundùm carnem. *v.* 5.

Vos autem non eſtis ſecundùm carnem. *v.* 9.

Ergo vos non ambulatis ſecundùm carnem. *v.* 4.

Ibidem continetur alius ſyllogiſmus eiuſdem ſententię in contrariis, hoc modo.

Qui ſunt ſecundùm ſpiritum, ij ambulant ſecundùm ſpiritum. *v.* 5.

Vos eſtis ſecundùm ſpiritum. *v.* 9.

Ergo vos ambulatis ſecundùm ſpiritum. *v.* 4.

LXVI. Diſpoſitio methodica regit diſcurſum in methodo, vt diſcernatur ordo & confuſio.

LXVII. Methodus eſt, quâ diſponuntur varia axiomata homogenea procedendo à generalibus ad ſpecialia. *Axiomata homogenea* ſunt, quæ ad vnũ ſcopum tendunt. *Generalia* verò ſunt, quę ſine aliis cognoſci queunt, & ſine quibus alia cognoſci non poſſunt. Sic hiſtoria lapſus *Gen.* 3. non potuit cognoſci ſine hiſtoriâ creationis *Gen.* 1. Sed hæc ſine illâ potuit cognoſci. Cæterùm

rùm methodus est vnica ratione formæ modò expressæ. Sed modi & gradus eius sunt varij. Est enim methodus didascalica, vel historica: exquisita, vel popularis: synthetica, vel analytica. Didascalicæ exemplum est in epistolâ ad Hebræos: historicæ *Gen.* 1. 2. *& seqq.* exquisitæ *Rom.* 9. 10. 11. popularis *Rom.* 12. 13. 14. 15. 16. syntheticæ *Rom.* 9. *&* 10. *Eph.* 1. analyticæ. *Iacob.* 2.

XXVI.

ORATORIA SACRA.

I. ORatoria sacra est ars copiosè dicendi ad imitationem scripturæ sacræ.

II. Eius partes sunt quinque: Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, & Pronuntiatio. Si velis, ita reuoca ad dichotomiam: Partes oratoriæ facultatis duæ sunt, Formatio orationis, & Promulgatio. Formatio respicit tum res in Inuentione & Dispositione, tum verba in Elocutione. Promulgatio est ratione Memoriæ & Pronuntiationis.

III. Inuentio est, quâ orator cogitat de themate & argumento idoneo. Confer cum Logicis.

IV. Thema est illud ipsum, de quo dicendum est oratori.

V. Estque generis demonstratiui, deliberatiui, vel iudicialis: quibus accidit character. Hæc vsitatè dicuntur tria causarum genera.

VI. Genus demonstratiuum vertitur in didascaliâ, laude, & vituperio. *Didascalia* est, quâ orator docet. Eius exempla sunt *Esa.* 66. de vero Dei cultu: *Matth.* 6. de prouidentiâ Dei: *c.* 13. de diligenti auscultatione & meditatione verbi Dei: *c.* 24. 25. de fine seculi: *Rom.* 2. 3. 4. de iustificatione: *Gal.* 3. similiter: 1. *Cor.* 15. de

resurrectione mortuorum: *Heb.*1.2. de duabus in Christo naturis: *c.*5.6.7.8.9.10. de abrogatione sacerdotij legalis, & successione sacerdotii æterni Iesu Christi: *Laus* est personæ, rei, vel facti. Personæ: vt Cyri *Esa.* 42. Iohannis Baptistæ *Luc.* 7. Rei: vt verbi Dei *Psalm.* 19. *&* 119. ecclesiæ *Psalm.* 87. concordiæ *Psal.* 133. donorum Dei 1. *Cor.* 12.13. 14. Ad laudem personæ pertinet δοξολογία: vt *Esa.* 12. *Psal.* 103. *&* 104. *Rom.*1.*vers.*27.1.*Tim.*1.*v.*17. Facti: vt *Heb.*11. *Vituperium* similiter est personæ, rei, vel facti. Personæ: vt *Matth.*23.*Gal.*3.*vers.*1.*Luc.*24.*v.*25. Rei: vt *Gal.*6.*vers.*19.20. Facti: vt 1. *Cor.* 5.

VII. Genus deliberatiuum positum est in institutione, correctione, & consolatione. Hinc thema est vel institutiuum *Esa.* 40. 49. 55. 56. *Ier.* 3. 4. 18. 27. 33. *Marc.* 9. 10. 12. 1. *Cor.* 16. 2. *Cor.* 8. vel correctiuum *Esa.* 1. 28. 58. 59. *Ier.* 2. 5. 6. 7. 8. 9. *Ezech.* 11. 13. 14. 16. 19. 20. 22. 23. 28. 34. *Hos.*1.2.3.4. *Matth.* 11. 12. 16. 21. 23. *Marc.* 2. 8. 11. vel consolatorium *Esa.* 32. 35. 40. *& octo seqq. Ier.* 29. 30. 31. *Ezech.* 38. 40. *Ioh.* 14. *& seqq. Rom.* 8. *Hebr.* 10.

VIII. Genus iudiciale positum est in refutatione. Hinc thema est redargutiuum *Esa.* 8. 28. 29. 31. 44. 46. 47. *Matth.* 5. 6. 7. 15. *Rom.* 1. 2. *& seqq.* 1. *Cor.* 8. 9. 10. 15. Ex his patet esse quinque status thematis, ita vt alius sit διδακτικὸς (sub quo ἐγκωμιαστικὸς καὶ ψεκτικὸς, i.e. laudatiuus & vituperatiuus) παιδευτικὸς, ἐπανορθωτικὸς, παρακλητικὸς, καὶ ἐλεγκτικὸς. Itaque dispiciat orator in deligendo themate, vt illud sit distinctum, non confusum, aut implicatum. Tametsi enim oratio fermè miscet varia themata: tamen semper habet principalem aliquem statum vel doctrinæ, vel institutionis, vel correctionis, vel consolationis, vel refutationis.

IX. Character thematis est sublimis, medius, vel humilis. *Character sublimis* est rerum magnarum: quales sunt Deus, vita æterna, pulchritudo & ascensio Christi. Vide *Exod.* 34. 1. *Cor.* 2. *vers.* 9. *Act.* 1. *Psal.* 45. *Character*

Character medius est rerum mediocrium: quales sunt homo, terra, piscis. *Gen.* 1. *Character humilis* est rerum minutarum & vilium: quales sunt Cain, Cham, opilio. Triplicem hunc characterem diligenter expendet orator, vt videat qualia argumenta & ornamenta debeat adferre in medium. Si enim v. g. de templo Salomonis sint verba facienda, character sublimis ostendit, qualis debeat esse tractatio argumentosa.

X. Argumentum est, quo thema euoluitur. Ita nempe vt explicetur vel disputetur.

XI. Argumentum consideratur in genere, & in specie.

XII. In genere argumentum est docens, delectans, vel mouens: vel, vt alij loquuntur, logicum, ethicum, & patheticum. *Argumentum docens* est, quo natura rei ita ponitur ob oculos, vt intelligatur. Estque declarans, probans, vel amplificans. *Argumentum declarans* est, quo thema simplex explicatur: *probans*, quo thema compositum demonstratur: *amplificans*, quo vtrumque thema dilatatur. Sumuntur autem hæc argumenta ex locis inuentionis Logicæ. Nam causa, effectum, subiectū &c. faciunt ad declarandum, probandum, & amplificādum. Præ cæteris tamen ad amplificandum faciunt antithesis, syncrisis, distributio, & testimonium: *Argumentum delectans* est, quo conciliatur animus auditoris. Hoc sumitur ex locis ethicis virtutum: videl. à personâ dicentis & audientis: si & ille prudentem, si probum, si sui ipsius memorem, si beneuolum se oratione probet: & hic se digna audiat, & ętati, moribus, & studiis suis conuenientia. *Rom.* 9. v. 1 2. 3. 4. 5. 1. *Iohan.* 2. v. 1. *Argumentum mouens* est, quo excitatur vel sedatur affectus in auditore. Hoc sumitur ex locis affectuum, putà iræ, amoris, odij, timoris, pudoris, indignationis, inuidiæ, æmulationis. *Gal.* 3. v. 1. 1. *Cor.* 5.

XIII. Argumentū in specie consideratur, quātum ad genera thematis, & speciales affectus.

Quan-

Quantum ad genera thematis, loca præcipua didaſcaliæ ſunt definitio, diſtributio, cauſæ, effecta, cognata, & pugnantia: *laudis & vituperij*, quantum ad *perſonas*, genus, natio, natales, educatio, bona malaue animi, corporis, & fortunæ; res geſtæ, earumque præmia & pœnæ; mors: quantum ad *res*, cauſæ, adiuncta bona & mala, & effecta: quãtum ad *facta*, honeſtum & turpe, vtile & inutile, facile & difficile. Deinde *loca generis inſtitutiui* præcipua ſunt, ab honeſto, iuſto, æquo, pio, vtili, tuto, decoro, laudabili, neceſſario, facili, poſſibili, præceptis & promiſſionibus Dei, conſilio ſanctorum prophetarum & apoſtolorum, exemplis & factis ſanctorum, vtilitate quæ redibit ad nos vel vniuerſam eccleſiam, illuſtratione gloriæ Dei, ædificatione aliorum, etiam integrarum eccleſiarum; à gloriâ expectandâ apud Deum, angelos, & homines; à metu ignominiæ, certitudine & magnitudine præmiorum. Tertiò *loca generis correctiui* ſunt contraria locis generis præcedentis: e.g. ab inhoneſto, iniuſto, inutili &c. Quartò præcipua *loca generis conſolatorij* ſunt ab honeſto, iuſto, æquo, vtili, inutili, decoro, laudabili, facili, neceſſario, genere malorum, prouidentiâ Dei, præſidio ſanctorum angelorum, iuſtitiâ Dei, rectitudine conſcientiæ; eò quòd credentibus omnia adiumento ſint ad bonum; ab effectu afflictionum, promiſſionibus Dei, neceſſario ſigno & effecto diuinæ electionis, exemplo Chriſti, exemplis ſanctorum, certitudine præmiorum, ædificatione aliorum, præſenti auxilio Spiritus ſancti, naturâ ſpei & patientiæ, effectu meritorum Chriſti. Quintò præcipua *loca generis elenctici* ſunt ab inutili, iniuſto, periculoſo, diſſentaneis, & diſſimilibus. Quantum attinet ad *ſpeciales affectus*, ad excitandam *ſolicitudinem adipiſcendi ſalutem æternam* conducunt argumẽta ab honeſto, à peccatorũ turpitudine & magnitudine, ab agnitione humanæ fragilitatis, à miſeriis internis & externis, quæ comitantur vitam peccatis obnoxiã; à bonis innumerabilibus, quæ à melioris vitæ propoſito cõtingunt; à damnis, quæ vitæ turpitudinem

dinẽ comitantur; à necessario; à facili, v.g. quòd Dei gratiâ opitulante possimus resistere diabolo: ad concitandũ *odium & detestationem peccati* faciunt loci ab authoritate, magnitudine, & diligentiâ piorum; à personarum, quæ vitiis deditæ sunt, vilitate; à vitiorum formâ, modo, & reliquis circumstantiis; à magnitudine malorum, quæ ex præsentibus peccatis iam enata sunt, quæque in posterum accedere possunt; ab eo, quòd tam sordidi & abiecti esse non debemus, qui hosti nostro diabolo velimus animos & corpora nostra submittere, ad seruiendum impiis eius suggestionibus; ab eo, quòd perfidiæ, imò & læsæ maiestatis Dei incurrimus crimen, si à Christo deficiamus ad Belial; ab eo, quòd sit summa ingratitudo & crudelitas, Christum peccatis suis denuò crucifigere; ab eo, quòd peccatis nos inquinando cõtristamus Spiritum sanctum, sanctosque angelos custodes nostros, itemque vniuersam ecclesiam infamamus; ab eo, quòd si acquiescimus suggestionibus diaboli, nobis ipsis nostræque malitiæ omnis culpa imputabitur, neque vllam prætexere licebit excusationem, & nos ipsi luituri sumus pœnas pro his, quæ suadente diabolo designauerimus: ad excitandum *amorem & studium virtutis* faciunt loca à religioso, pio, glorioso, necessario, circumstantiis, signis, antecedentibus, connexis, consequentibus, exemplis, imitatione Dei, Christi, angelorum & hominum sanctorum: ad imprimendum *metum diuini iudicij* argumentabimur à nostrâ indignitate, propriâ culpâ, nostrâ imbecillitate; à grauitate pœnarum; ab eo, quòd necessarium sit promissiones & comminationes Dei perfici; ab exemplis eorum, qui iustitiæ vel misericordiæ Dei effecta experti sunt; ab eo, quòd etsi Deus non statim mulctat, tamen post breue aut longum tempus, vel certè post hanc vitam digna rependit factis supplicia; ab eo, quòd nulla sapientiæ vel industriæ humanæ rima ad euadendum emergendumque ex iudicio Dei patet: ad faciendam *spem misericordiæ Dei* faciunt loca,

à pec-

à peccati confessione; à nostri humiliatione & mortificatione; ab assiduâ diuinæ gratiæ imploratione; à virtute Spiritus nos adiuuantis in nostris precationibus; à promissionibus diuinis; ab ingenitâ Dei bonitate, quâ vult rogari, & petita præstare; ab eo, quòd Deus promissis stare gaudet, neminemque vult fallere; ab intercessione Christi mediatoris; ab effectu mortis omniumq; meritorum Christi; ab eo, quòd Deus nouit nostras necessitates, etiam antequam petamus; à nostri electione, vocatione, iustificatione; ab eo, quòd Deus nunquam suos prorsus deserit, sed priùs paterno affectu succurrit, quàm extremè periclitemur: *ad nobis & aliis imprimendum affectum misericordiæ* faciunt argumenta, ab ætate, sexu, conditione, impotentiâ; à vitæ innocentiâ; à priore fortunâ; à genere calamitatis; à magnitudine calamitatis; à comparatione præsentis mali cum aliis incommodis; à loco, tempore, aliisque circumstantijs; à prouidentiâ Dei sapienter omnia ordinãte; à dignitate eius, qui affligitur, quòd nimirum sit noster frater, eiusdem regenerationis nobiscum particeps; ab eo, quòd qui calamitate premitur frater noster, non propter sua tantùm peccata, sed magis propter exemplum aliorum patiatur; à metu parium malorũ nobis impendentium; à præceptis Dei, quæ iubent vt misericordiâ erga alios moueamur; à promissionibus, quæ propositæ sunt iis, qui misericordiam exercuerint; à commi-nationibus erga immisericordes; à vitandis contemnendisq; insidiis carnis, mundi, & diaboli, qui nos à bene agẽdo auocant. In *alijs affectibus* excitandis vel sedandis sumũtur argumenta à membris ad caput, à capite ad membra, à comminatione Dei ad effectum, à promissione Dei ad affectum, à personâ vnius pij ad personas omnium piorum, à personâ vnius impij ad personas omnium impiorum, exaggeratione pœnarum & præmiorum, magnificâ descriptione attributorum Dei &c.

XIV. Dispositio est, quâ thema cum suis argumẽtis aptè distribuitur in sex partes, vt sunt Exordium,

ordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Cõfutatio, & Peroratio. *Exordium* est orationis principium, animum auditoris ad reliqua præparans. Eius fines sunt tres, Beneuolentia, Attentio, Docilitas: quæ petuntur à rebus, vel personis, idq; ex locis inuentionis Logicæ. Exempla vide *Act.2.v.14.22.29.c.13.v.16.c.22.v.1.c.10.v.34. c.24.v.20.c.26.v.2.26. Rom.1.v.8.1. Cor.1.v.4. Coloss.1.v.3. Esa. 1.v.1.10. Rom.9.v.1.c.10.v.1. Narratio* est rei gestæ expositio. Itaque exordio statim subiicitur, si propositio sit inde ducēda; vel præmittitur ei propositio, si hanc declarare possit. Exempla vide *Act.2.v.22. & seqq. c.22.v.3. Apoc.1.v.9. & seqq. Propositio* est, quæ continet thema & summam orationis. Illa si fuerit multiplex, partitio dicitur. Rarò autem in plures quàm tres vel quatuor partes debet diuidi. Exemplum partitionis est *Apoc.1.v.19. Scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & post hæc futura sunt.* Quibus verbis apocalypsis diuiditur in duo summa capita, videl. tractationem rerũ præsentiũ & futurarũ. *Confirmatio* est argumentorũ diductio: vt nẽpe propositio rectè persuaderi possit. *Confutatio* est cõtrariorum argumentorum solutio. Quæ confirmationi præmittitur, si auditor sit occupatus insigni præiudicio. Vtriusque exemplum vide 1. *Cor.* 15. *Peroratio* est artificiosus terminus orationis. In hâc vt plurimum est *ἀναχεφαλαίωσις & παθοποιία*, h.e. recapitulatio & affectuũ concitatio. Vide *Philip.4.v.1. & seqq. Hebr.13.v.20.21.* In confutatione peculiares quidã modi adhibentur: putà regestio *Rom.* 9. Dices ergo mihi &c. *Matth.*21. Nec ego vobis dicam, quâ authoritate &c. item reiectio & obiurgatio *Rom.*3. Faciamus mala &c. item *μίμησις Coloss.*3. Ne tetigeris &c. item oppositio sententię Dei contra sententiam hominũ *Matt,* 15. Quare vos transgredimini &c. deniq; germana expositio seu vindicatio Scripturæ *Matt.*4. Scriptũ est &c. Porrò in genere correctiuo adhibetur confutatio vel obliquè, vt Christus *Luc.* 13. Herodem vocat vulpem, & eodẽ stratagemate vtitur Nathan 2. *Sam.*13. & Esaias *c.*5. Ieremias *c.*24. Ezechiel *c.*17. vel apertè, vt cùm Iohannes reprehendit Herodem, *Non licet tibi &c. Marc.6.v.*18.

XV. Elocutio est, quâ res conuenienti stilo ornatur. Quò pertinent tropus, figura, & copia. *Tropus* est venusta vocis commutatio. *Figura* est venusta habitus orationis commutatio. Estque dictionis, vel sententiæ. Illa colorem & gratiam, hæc vehementiam & affectum conciliat orationi. *Copia* est, quâ oratio amplitudinem & magnificentiam aliquam consequitur. Estq; verborum, vel rerum. Copia verborum consistit in synonymis, epithetis, & variatione sententiæ grammaticâ, rhetoricâ & logicâ. Copia rerum consistit in aptâ diuisione materiæ, & singularum partium diductione ex locis inuentionis Logicæ. Exempla elocutionis sunt in toto Scripturæ corpore. Stilus namque Scripturæ non est nisi eloquentissimus, idque hanc ob causam, quòd ἡ ἀφέλεια ἢ τὸ ἀπέρι-τον, h. e. *simplicitas & superfluitatis neglectus*, veritatis colorem ita conciliant sermoni Spiritus sancti, vt omnem diligentiam omnemque artem aliorum scriptorum longè superet.

XVI. Memoria est vis animi, quâ orator rem cognitam, sæpeque repetitam probè meminit. Dico *rem cognitam*; quia requiritur omnium primò rerum memorandarum intellectio. Addo, *sæpe repetitam*: quia hoc vno artificio imaginatio, memoria, affectus, totusq; adeo homo veluti repletur. Vide Mnemonicam infra.

XVII. Pronuntiatio est, quâ orator orationem suam aptè enuntiat. *Voce* scil. clarâ, distinctâ, firmâ, mediocri, æquabili, variâ: & *gestu*, qui vocem subsequitur, & animo paret vnà cum voce.

XXVII.

POETICA SACRA.

I. POëtica sacra est ars efficiendi poëma ad imitationem S. Scripturæ.

II. Poë-

II. Poëma dicitur sensu lato & stricto. Poëmatis nomen non à fingendo, vt putarunt, quia fictis vteretur, sed à faciendo, ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, dictum est: scil. per excellentiam, vt rectè obseruat *Scaliger lib. 1. poët. c. 2.* Sumitur autem poësis, & poëmatis, & poëtæ nomen nunc latiùs, nunc strictiùs, vt iam patebit. Idem de hâc voce *carmen* esto iudicium.

III. Poëma sensu lato est oratio charactere poëtico animata. h. e. oratio soluta, quæ stilo est pathetico, qualis poëticus, etsi non numeroso. Et hoc laxo sensu theologi numerant quinq; libros poëticos, *Iobum, Psalmos, Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum canticorum.* Eodé sensu multa cantica sacra, multæ conciones propheticæ, & maximè threni Ieremiæ ad scripta poëtica reuocantur. Huius loci sunt ista cantica. I. *Canticum siue carmen εὐχαριστικὸν Mosis, Exod. 15.* quod Mose diuinitùs dictata præfante, hinc quidem succinente virorum choro, inde verò præeuntem Mosis sororem Mariam prophetissam, insecutis & amœbeum carmen repetentibus mulieribus, pôpâ certè longè celeberrimâ, decantatum fuit. II. *Carmen Mosis προφητικὸν, Deut. 32.* Hebræi scribunt, canticum istud esse summarium totius legis: vtpote in quo Moses faciat mentionem de magnificentiâ Dei, de creatione mũdi, de vno Deo colendo, de generatione diluuij, de diuisione linguarum & terrarum, de electione populi Israëlitici, de beneficiis in deserto exhibitis, de futurâ mortuorum resurrectione, & vocatione gentium illarumque consociatione cum Israële restituto, vt interpretatur apostolus *Rom. 15. v. 10.* vt verè affirmari possit prophetas, qui sunt Mosis ætatem secuti, nihil aliud fuisse, quàm istius cantici interpretes, prout ipsis idem Spiritus peculiarem, & temporum, personarum, ac locorum circumstantiis accommodatam, eorum quæ hîc vniuersaliter scripta sunt, explicationem suggessit. III. *Canticum ἐπινίκιον Deboræ, ab ipsâ & Baraco decantatum, Iudic. 5.* quo celebratur

insignis victoria, quam Baracus de Iabino Cananæorum rege reportauit. Hoc carmen, præterquam quòd tum propter ipsius argumenti dignitatem, tum ob elegantiam ac diuinam planè μεγαλοπρέπειαν dignissimum est, quod omnes assiduè legant & admirentur; doctrinam etiam continet, hisce præsertim temporibus admodum necessariam. IV. *Canticum Hannæ matris Samuelis*, εὐχαριστικὸν simul & διδακτικὸν & προφητικὸν, 1. *Sam.* 2. Hoc carmine ostendit prophetissa, quæ & quantæ sint Dei opt. Max. vires, elegantissimâ simul & certissimâ illarum descriptione: & graphicè describit rerum humanarum vicissitudinem: denique insignem propheriam extremo cantico apponit de Christo, ita vt Mariæ virgini tot seculis posteà nascituræ, totidem penè verbis præiuisse videri possit. V. *Carmen lugubre Dauidis, super cæde Saul & Ionathan, & populi Dei*, 2. *Sam.* 1. Hâc lamentatione nihil flebilius, neque παθητικώτερον cogitari potest. Eiusmodi etiam exemplum, quamuis in re dissimili, præbent *Psal* 39. & 88. VI. *Canticum* εὐχαριστικὸν *Dauidis*, 2. *Sam.* 7. In hoc carmen Dauid erupit, postquam per os Nathanis accepit promissionem de Messiâ ex ipsius posteris nasciturо. VII. *Canticum Dauidis eucharisticum* 1. *Chron.* 16. quod cantauit in deportatione arcæ. VIII. *Canticum Esaiæ* ἐπιλημπτικὸν καὶ προφητικὸν, *Esa.* 5. Hoc carmen Esaias suis obiurgationibus inseruit, quò facilius audiẽtium animis infigeretur, & memoriæ mandaretur: Mosis in eâ re exemplum, & verba penè ipsâ secutus *Deut.* 32. atque adeò tum illius, tum Asaphi *Psal.* 80. interpres. IX. *Canticum Esaiæ* παραμυθητικὸν καὶ προφητικὸν, *Esa.* 26. Hoc canticum Esaias apposuit concioni præcedentis capitis tanquam sigillum, vt facilius pij res tantas memoriæ mandarent, quibus sese, tum in exilio, spe reditus sui, consolarentur, tum post reditum, certâ venturi Messiæ expectatione sustentarent. X. *Canticum Ezechiæ regis*, εὐχαριστικὸν, *Esa.* 38. Hoc carmine rex piissimus compectitur miseriam suam, & mirificam liberationem, & gratiarum actionem: quæ tria continent

summam

ſummam doctrinæ Chriſtianæ. XI. *Canticum Ionæ εὐχαριστικὸν, Ion.* 2. Mirabile prorſus eſt hoc carmen : quippe quod Ionas compoſuit & recitauit in ventre ceti poſitus. XII. *Canticum εὐχλικὸν Habacuc prophetæ, Habac.* 3. Hoc carmen in primis hodiè nobis eſt vſurpandum, vbi ſub cruce plus quàm Babylonicâ ingemiſcunt pij. XIII. *Canticum beatæ virginis Mariæ εὐχαριστικὸν, Luc.* 1. *verſ.* 46. *& ſeqq.* XIV. *Canticum εὐχαριστικὸν καὶ προφητικὸν Zachariæ ſacerdotis & prophetæ Luc.* 1. *v.* 68. *& ſeqq.* XV. *Canticum Simeonis εὐχαριστικὸν καὶ προφητικὸν, Luc.* 2. *v.* 19. *& ſeqq.* His adde ex Apocryphis, *Canticum Iudithæ. Iudith.* 16. *& Hymnum triũ puerorum. Adiect. ad Daniel.* Atque hæc omnia cantica vſitatè appellantur carmina, latè ſumto vocabulo, non quòd ſint ἔμμετρα, ſed μετροειδῆ, vt ita dicam.

IV. Poëma, ſiue carmen, ſtrictè, eſt oratio numeroſa : eaque tum rhythmus, tum metrum, ſiue verſus.

V. Rhythmus eſt modulatio ſine ratione mẽſuræ pedum. *Scaliger lib.* 2. *poët. c.* 2. valde commendat definitiones rhythmi authore Bedâ. Illę ſic habent: *Rhythmus eſt metris conſimilis verborum modulata compoſitio, non metricâ ratione, ſed numero ſyllabarum ad iudicium aurium examinata, vt ſunt carmina vulgarium poëtarum. Et quidem rhythmus ſine metro eſſe poteſt, metrum verò ſine rhythmo eſſe non poteſt.* Item : *Metrum eſt ratio cum modulatione : rhythmus modulatio ſine ratione. Plerumque tamen caſu quodam inuenies etiam rationem in rhythmo, non artifici moderatione ſeruatam, ſed ſono & ipſâ modulatione ducente, quem vulgares poëtæ neceſſe eſt faciant ruſticè, docti faciant doctè.* Hæc Beda, quo nemo veterum meliùs explicauit quid ſit rhythmus, vt ait Scaliger d. l. Idem ibidem hæc habet. *Solum canticum Moſis extremo Deuteronomio, Prouerbia Salomonis, & totus ferè liber Iob, quâdam rhythmi neceſsitate cohibentur, qui rhythmus eſt inſtar duarum dimetriarum iambicarum, & tinnulus accidit ad aures. Sed aliquando pauciorum ſunt ſyllabarum, aliquando plurium, quales*

Græcorum στίχοι καταληκτικοὶ, βραχυκαταληκτικοὶ, ὑπέρμετροι: non vtique quòd compensatio fiat κατὰ ἰσοχρονίαν, vt in Græcis solet: neque enim hoc exprimi potest idiomate Hebraico: sed quantum sententia postulat, rhythmus nunc longior, nunc breuior est. Et paulò post: *Politici Græcorum versus, qui syllabarum numero, non temporum ratione constant, nihil aliud quàm rhythmi sunt. Sic liber Iob, prouerbia Salomonis, merè rhythmus est, non metrica modulatio: in quibus & plurimùm versus sunt duæ dimetriæ iambicæ, aliquando tres dipodiæ, aliquando mira est inæqualitas, vt ne rhythmi quidem legem sequantur.* Ibidem de libro Iobi ait: *Pura puta poësis rhythmica est, non metrica, generosa, & masculæ, & supra omnes Pindaricos modos. Neque verò putaueris, genus illud rhythmi, quo Prouerbia & liber Iob constant, esse simile ei, quod Iudæis hodiè est in vsu. Nam hodierni versus Iudaici sunt planè rhythmi nostri vulgares, ὁμοιόπτωτοι καὶ ὁμοιοτέλευτοι: quod à nobis Christianis ante annos 500. didicerunt, nos autem ex leoninis hexametris, quæ vocant, eos effinximus: quanquam & Iudæi habent aliud genus, in quo non numeri syllabarum, sed similis desinentiæ ratio habetur. Aliquando enim versus antecedens longior est dimidio: in ὁμοιοτελεύτοις autem καὶ ὁμοιοπτώτοις tantùm conueniunt, quas desinentias in Hebraismo, Syriasmo, & Arabismo non est operosum reperire. Sponte enim occurrunt etiam aliud agentibus. Quare critici Arabici, qui cola & cæsa in Alcorano designarunt, ij nunquam ea terminant, nisi, vbi occurrit verbum similiter desinens, vt finis antecedentis. Vnde factum, vt cola siue commata Alcorani sint admodum inæqualia.* Ibidem: *Versus Iob & Salomonis sunt quatuor dipodiæ, aut quasi duæ dipodiæ, sed aliquando decurtatæ, aliquando productiores, prout sententia postulat. A metro enim sententia legem accipit, à sententiâ rhythmus: & propterea metrum nunquam excedit legem suam, rhythmus excedit, cùm sententia postulat.* Ex his Scaligeri verbis patet, rhythmum, qui in libro Iob & Prouerbiis occurrit, non esse positum in simili desinentiâ, sed in numero syllabarum citra mensuram pedum. Priori enim modo nulla pars Scripturæ rhythmicè est composita.

VI. Metrum est ratio certâ pedum mensurâ con-

constans cum modulatione. Huiusmodi metra in Scripturis occurrere asserit *Hieronymus*, non vno loco. Prologo 1. in Iobum sic ait: *A principio itaque voluminis vsq; ad verba Iob, apud Hebræos prosa oratio est. Porrò à verbis Iob, in quibus ait*, Pereat dies, in quâ natus sum, & nox, in quâ dictum est, Conceptus est homo: *vsque ad eum locum, vbi ante finem voluminis scriptum est*, Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauillâ & cinere: *hexametri versus sunt dactylo spondæoque currentes, &, propter linguæ idioma, crebrò recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque ipse rhythmus dulcis & tinnulus fertur numeris pedum solutis: quod metrici magis quàm simplex lector intelligunt. A supradicto autem versu vsque ad finem libri, paruum comma quod remanet, prosâ oratione contexitur. Quòd si videtur cui incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphûs, vel Psalterium, vel Lamentationes Ieremiæ, vel omnia fermè Scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio me verum dicere comprobabit.* Idem præfat. in chronic. Eusebij ait: *Psalterium in morem Flacci & Pindari nunc iambo currit, Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur.* Ad hæc verba Scaliger lib. 2. poët. c. 2. sic adnotat: *Pindari poësim iambico & Alcaico metro aut Sapphico currere, credent fortasse, qui nunquam Pindarum legerunt, aut nesciunt, quid sit iambicum, Alcaicum, Sapphicum metrum. Idem leges & in præfatione in Iob. De Psalterio magis miror, cùm neque in eo, neque in threnis, vllum canticum sit metricis legibus astrictum, sed merè soluta sit oratio, charactere poëtico animata. Quin Esaiæ, & aliorum prophetarum, oratio instar poësios aliquando figurata est, quam tamen propterea poësim non rectè dixeris.* Et paulò post ait: *Vt in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyssino idiomate vlla metri species concipi possit, nemo efficere possit, quia id natura sermonis non patitur. Itaq; præfatione in Iob nullâ ratione nititur, quod ait*, versus illius libri hexametros esse, dactylo spondæoque currentes, & propter linguæ idioma crebrò recipientes & alios pedes,

non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum, *id eſt*, οὐκ ἰσοσυλλάβους, ἀλλὰ ἰσοχρόνους: *nos negamus, tale quid in eo libro extare: imò contrà dicimus, ne metra quidem eſſe, ſed metrorum inſtar. Itaque librum Iobi conſtare hexametro carmine non magis conceſſerim, quàm, quod poſtea adjicit, eum librum eſſe mixtum ex Hebraiſmo, Syriaſmo, & Arabiſmo: quod miror homini Hebraicè perito excidiſſe. Merus enim Hebraiſmus eſt, quanquam pura puta poëſis rhythmica eſt*, &c. Idem Scaliger ibidem ait: *Hebraiſmus, Syriaſmus, & Arabiſmus nullo modo ad Græcorum & Latinorum regulam reuocari poſſunt, etiamſi cœlum mari miſceatur.* Et paulò infra de eodem Hieronymo ita ſcribit: *In epiſtolâ ad Paulam Vrbicam tetrametra meliùs vocat, quæ hic hexametra. Nam verſus Iob & Salomonis ſunt quatuor dipodiæ, aut quaſi duæ dipodiæ &c.* Nos in re intricatâ paucis aphoriſmis complectemur noſtrum iudicium de poëſi librorum ſacrorum. 1. *In linguâ Hebraicâ V.T. & Græcâ N. T. eſt poëſis tripliciter: primò*, ſublimitate ſtili tantùm, vt in omnibus canticis paulò ante recitatis, excepto primo & ſecundo: *deinde* ſublimitate ſtili & membris orationis rhythmicè temperatis, vt in cantico ſecundo, prouerbiis Salomonis, & libro Iob: *denique* ſublimitate ſtili & membris orationis metricè temperatis, vt in cantico primo & libro pſalmorum. 2. *Sublimitas ſtili poëtici, ſiue character poëticus, facit, vt ſcriptum poſſit appellari poëticum laxo ſenſu.* Non itaque probamus illud Scaligeri, quod paulò ante recitauimus: *Eſaiæ & aliorum prophetarum oratio inſtar poëſios aliquando figurata eſt, quam tamen propterea poëſim non rectè dixeris.* Quaſi verò non rectè dicatur, quod latè dicitur. 3. *Rhythmus & metrum in omnibus linguis locum habere poſſunt: etſi non ſit eadem ratio, facilitas, & copia in omnibus linguis.* Sic quia Græci & Latini abundant vocibus breuium & longarum ſyllabarum varietate conſtantibus, diuerſa metrorum genera ibi locum habent. At Hebræa lingua plurimas ſyllabas longas habet, vt & Germanica. Non itaque tanta metri varietas ibi ceſnitur. 4. *Rhythmus, qui Deut. 32. in libro Iob, & Prouerbiis Salo-*

Salomonis occurrit, non consistit in simili desinentiâ, sed in dimetriâ & dipodiâ, h. e. non cernitur in ὁμοιοπτώτῳ καὶ ὁμοιοτελεύτῳ, vt in nostris rhythmis fit, sed in duabus dimetriis iambicis catalecticis, brachycatalecticis, & hypermetris, cuiusmodi dimetria siue dipodia cernitur in istis versibus iambicis:

Hei hei paterna terra!
Bello fero succumbere
Te cerno, proh dolor, pudorque!

Aliquando etiam sunt quatuor dipodiæ vt in iambicis tetrametris. 5. *In libris sacris occurrunt carmina hexametra, iambica, spondaica, & similia, etsi non sunt similia Græcis & Latinis. Iosephus libro 2. antiq. Iud. cap.* 14. facit mentionem hexametri, quo vsum esse Mosen in suâ ode post Israelitarum ex Ægypto egressum & Pharaonis interitum testatur. Sed nequaquam istud metri genus conuenit cum ratione, quæ Græcis & Latinis est vsitata. *Idem libr. 7. c. 12. & 15.* meminit non tantùm organorum musicorum, quæ à Dauide instituta sint, sed hymnos quoque vario metro ab eo compositos fuisse affirmat: rationem tamen neque compositionis, neque diuersitatis vllam ostendit, nisi quòd alios quidem trimetros, alios verò pentametros fuisse refert. Hoc Iosephi testimonium non temere est reijciendum. Tametsi enim verum est, Hebræos nevnum quidem hexametrum posse condere more Latinorum & Græcorum: non tamen ideò concludendum est, ipsos nullâ ratione posse effingere carmen hexametrum. Sanè argumentum à negatione modi ad negationem rei est ἀσυλλόγιστον. Ideo non rectè fecit Scaliger, quòd Hieronymi sententiam de hexametris, lyricis, jambicis, Sapphicis, & Alcaicis Scripturæ metris reprehendit. Docuit enim hoc Hieronymus ex authoritate Philonis, Iosephi, Origenis & Eusebij Cæsarienſis, quos citat. Et verò quan-

quam certas leges, quibus isti Scripturæ versus ligentur, neque Hieronymus, neque alij vel ante vel post eum adnotauerint & ad nos transmiserint: non tamen desperandum est ingenio excitato de aliquâ saltem veteris poëticæ in libris sacris demonstratione. Sic. v. g. *Psal.* 118. *v.* 25. occurrit metrum elegantissimum:

אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא
אָנָּא יְהוָה הַצְלִיחָה נָּא׃

6. Totum Psalterium carminibus comprehenditur, seu numeris includitur. Cuius rei hæ videntur potissimum esse causæ. *Primò* nullum est scriptum in veteri canone, in quo de omnibus articulis fidei nostræ tam multa & illustria extent testimonia, quàm in Psalmis. Quare vt testimonia illa certa & incorrupta extarent, & transmitterentur ad posteros, Spiritus sanctus voluit hanc doctrinam numeris includi. Nam quæ numeris comprehensa sunt, ita cohærent, itaque mutuo nexu colligata sunt, vt si vel syllabam mutes, vel dictionem demas aut transponas, mox error deprehendatur. Turbatur enim harmonia, quam mens humana vt facilè agnoscit, ita mirabiliter eâ capitur, & quasi constringitur, vt discedere ab eâ nequeat. Vt igitur firma, certa, & deprauationibus minimè obnoxia traderentur doctrinæ Christianæ testimonia, Spiritus sanctus quasi ex omnibus scriptis propheticis collecta hæc embammata his numeris inclusit, & ecclesiæ commendauit. Nec dubium est diabolum, vt est operum Dei insidiosus μιμητὴς, hanc ipsam ob causam oracula sua versibus seu numeris inclusisse, vt scilicet authoritatem scriptis suis conciliaret, & scisitatum missis occasionem vel mutandi vel deprauandi responsa præcideret. De Sibyllarum versibus idem est iudicium. *Altera causa est*, quia propter concinnitatem numerorum multùm iuuant memoriam, nec ita facilè effluunt, quæ numeris adstricta sunt, quàm soluta oratio. Vt igitur faciliùs comprehendi hæc doctrina à vulgo, & ad posteros propagari posset, hoc quasi admini-

miniculo fulcire imbecillitatem ingenij humani, & consulere perpetuitati voluit Spiritus sanctus. Videmus enim cantilenas per multa secula durare in vulgo, etiam cùm res ipsæ aut historiæ ampliùs non sunt notæ. Hìc verò deploranda est, tum miseria gentis Iudaicæ, tum verò ex parte aliquâ etiam nostra infelicitas, quòd rationem metri, quæ huius carminis propria est, ignoramus. Ea enim cum politiâ Iudaicâ, sicut alia multa, concidit. Sanè nullum est dubium, quin si ratio metri nobis constaret, dulcius multò & commẽdatius nobis futurum esset hoc poëma. *Tertia causa* est apud Athanasium epistolâ ad Marcellinum de interpretatione psalmorum, his verbis: *Non ad delectationem aurium aut animorum scripta sunt, aut publicè in templis decantantur hæc poëmata, vt pleraque Græcorum aut Latinorum olim in panegyribus recitabantur: sed potiùs, vt de harmoniâ omnium actionum in vitâ nos commonefaciant. Sicut enim harmonia tibias committens vnum concentum efficit: ita quoque in animâ variis motionibus cogitandi, cupiendi, noscendi agitatâ, vnde membris initium operandi desumitur, ratio postulat, hominem sibi consonum esse, neque ipsum à sese dissidere, non vt optima quidem cogitet, pessima tamen faciat, quemadmodum Pilatus, qui cùm diceret, Nullam causam mortis in eo inuenio, Iudæorum tamen sententiæ suffragatus est: aut vt concupiscat mala, sed perpetrandi facultate destituatur, quales erant senes illi aduersus Susannam: aut vt quidem ab adulterio abstineat, à furto non abstineat: aut vt à furto se purum seruet, ab homicidio non seruet.* Et paulò post: *Qui secundùm prædictam rationem concinunt, vt melodia verborum ex numeris vocum cum spiritus harmoniâ congruat, isti psallunt & linguâ & mente, nec se ipsos solùm, sed etiam alios, qui audire volunt, mirificè adiuuant.* Et rursus: *Modulatim recitare psalmos nequaquam studium est concinnioris vociculationis, sed argumentum cogitationum animi aptè in harmoniâ consonantium. Et numeris adstricta lectio signum est concinna quietæque in animo affectionis.* Quâ sententiâ Poëticam hanc sacram obsigno.

XXVIII.

MNEMONICA SACRA.

I. MNemonica ſacra eſt ars bene recordandi ex præſcripto S. literarum.

II. Eius partes duæ ſunt: prima eſt de ſubiecto recordante, altera de obiecto, cuius oportet recordari: id eſt, de memoriâ, & rebus memoriæ mandandis.

III. Memoria eſt vis mentis, quâ memores ſumus: id eſt, ſeruamus & retinemus, quæ cognouimus, vt promtè occurrant cogitantibus. Eius bonitas pendet à ſequentibus. *Primò* requiritur bonum temperamentum cerebri & totius corporis: quod nempe non ſit nimis ſiccum, neque nimis humidum, ſed inter hæc duo medium ſiue temperatum. *Deinde* neceſſaria eſt abſtinentia à voluptatibus. Nam voluptates ingenium & memoriam obtundunt, totumque corpus eneruant. Pertinet huc quod apoſtolus de immoderato vini vſu præcipit *Eph. 5. verſ. 18. Ne inebriamini vino, in quo eſt ἀσωτία*, id eſt, luxuria, ſalutem animi & corporis tollens. Hæc fuit cauſa Platoni, vt inter præceptiones, quas diſcipulis ſuis inculcabat, primam collocaret eam, vt à voluptatibus abſtinerent. *Tertiò* requiritur perturbationum carentia. Nam ſcientia non poteſt percipi, niſi mente quieſcente: vnde etiam ἀπιστήμην ἀπὸ τῆς ϛάσεως deduxerunt. *Quartò* requiritur, vt animus memorioſi, τῦ μνήμονος, à curis & ſolicitudinibus peregrinorum negotiorum ſit vacuus. Hoc fuit primum præceptum, quod Origenes dedit Gregorio, qui poſtea cognominatus eſt Thaumaturgus. *Quintò* habenda eſt ratio loci & temporis. Et loci quidem ita, vt quæramus ſi ceſſum: temporis autem ita, vt in-

vt inprimis excolamus memoriam in pueritiâ & adoleſcentiâ, itemque tempore matutino & veſpertino. Hîc ſolet moueri quæſtio, Cur Plato in Academiam, locum inſalubrem, ſeceſſerit? Reſp. Vt eximiam illam corporis habitudinem, quâ erat præditus, retunderet. Nam valetudo corporis, quæ in ſummo eſt, non leue adfert impedimentum inter ſtudendum. Atque ita intelligendi ſunt ſcriptores illi, qui tradunt aduerſam valetudinem non leue pondus habere ad ſtudia. Vide *Baſilium homil. de leg. libr. gent. Nazianz. epiſt ad Eudoxum, & Philoponum lib. 3. de animâ.*

IV. Obiectum, cuius oportet recordari, conſideratur quantum ad qualitates ſuas, & media recordandi.

V. Qualitates ſiue conditiones obiecti ſunt duæ. Ac *primò* quidem res memoriæ commendanda debet eſſe amabilis. Sicut enim amor rerum omnium eſt principium, vt aiebat Parmenides, ita & memoriæ. *Deinde* illa ipſa res debet eſſe admirabilis. Admirabilis inquam vel excellentiâ & dignitate, vel vtilitate. Quæ duo ſi adſint, nunquam non ſe ingeret animo res illa, quam volumus aut debemus memoriæ imprimere.

VI. Media ſiue adminicula recordandi ex Scripturis ſacris colliguntur iſta. *Principiò* requiritur crebra repetitio. Sicut enim DEVS in gubernatione mundi eandem actionem ſemper repetit, dando nobis cœlitùs pluuias, ac tempora edendis fructibus apta *Act. 14. verſ. 17.* ita nos in omnibus noſtris actionibus rectis & ſalutaribus debemus rem vnam & eandem ſæpe repetere. Hinc dici ſolet in ſcholis: *Actio ſæpe iterata facit habitum.* Hæc eſt cauſa, quòd DEVS *Deuteronom. 6. verſ. 6. 7.* legis ſuæ præcepta vult toties iterari: *Et erunt verba iſta, quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo: eaque acutè ingeres filiis tuis, ac lo-*

ac loquêris de eis, cùm ſedes domi tuæ, & cùm ambulas per viam, cùm cubas, & cùm ſurgis. Vbi notanda eſt emphaſis in verbis *acutè ingeres*, ſeu *acues ea.* Per translationem vtitur hâc voce Deus, metaphorâ ductâ à cultro, qui dum acuitur, ſæpiùs impellitur ad cotem. Innuit ſtudium & diligentiam, quâ identidem repetenda & inculcanda ſunt pueris præcepta legis. Huc pertinet quintus liber Moſis, qui eſt δευτέρωσις τῦ νόμυ, *repetitio legis.* Hanc artem repetitionis longè vtiliſſimam nos etiam docet apoſtolus *Phil. 3. verſ. 1. Eadem ſcribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum eſt.* O vtinam præceptores & diſcipuli meminerint huius aureæ ſententiæ apoſtoli! Ego profectò altâ voce dico, nihil eſſe, quod artem memoriæ perficiat in principio, medio & fine, præterquam repetitionem. Et quemadmodum animalia iſta munda fuerunt iudicata, quæ ruminãt *Leuit. 11. & Deut. 14.* ita ſtudioſos illos & doctores pronuntio frugi, qui aſſueuerunt crebræ repetitioni, eique horariæ, diurnæ, hebdomadariæ, menſtruæ, bimeſtri, trimeſtri &c. *Deinde* conſulitur memoriæ per compendia. Hic modus inſtituendi, inde ab initio eccleſiæ v. t. in populo Dei fuit vſitatus. Nam Deus ipſe *Gen. 3. v. 15.* euangelium contraxit in hanc ſummam: *Semen mulieris conteret caput ſerpentis.* Idem *Exod. 20.* totam legem naturæ reuocauit ad decem præcepta. Et Chriſtus *Matth. 6. & Luc. 11.* in compendium redegit artem precandi. Idem *Matth. 22.* ſummam legis duobus hiſce capitibus contineri docuit: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* Hunc inſtituendi modum obſeruârunt etiam apoſtoli: nominatim Paulus *1. Cor. 3. v. 2.* vbi ait, ſe Corinthios rudes aluiſſe lactis potu, & non eſcâ ſiue ſolido cibo. Per lactis potum intelligit prima Chriſtianiſmi principia, quæ catechiſmum vocant: Per ſolidũ cibum, pleniorem & accuratiorem doctrinam. Nimirũ vt adoleſcebant Corinthij, ita eos aluit apoſtolus, initiò lacte, pòſt autem ſolido cibo, quæ non re, ſed tradendi modo differebant. Confer *1. Petr. 2. v. 2.* Catecheticæ iſtius, id eſt, compendioſæ, inſtitutionis mentio etiam fit. *Luc. 1.*

verſ. 4.

verſ. 4. 1. *Cor.* 14. *v.* 19. *Act.* 21. *v.* 24. *c.* 18. *v.* 25. *Gal.* 6. *v.* 6. Pertinent huc varia ſymbola, putà apoſtolicum, Nicenum, Athanaſij, & ſimilia, quæ nihil ſunt aliud, quàm compendium articulorum fidei. Ex his colligere eſt, quàm vtilis & neceſſaria ſit hæc inſtituendi ratio, quæ fit per compẽdia. Neq; ſolùm in eccleſiâ obtinuit hæc catechetica docendi ratio, ſed inter omnes quoq; gentes & omnium facultatum doctores locum inuenit. Hinc eſt, quòd Hermes ſcripſit ſuam tabulam ſmaragdinam: hinc eſt, quòd Hippocrates aphoriſmos edidit: hinc eſt, quòd Euclides elementa tradidit: hinc eſt, quòd Iuſtinianus Inſtitutiones iuris conſcribi curauit. Maneat itaque, inter ſubſidia memoriæ nõ infimum eſſe, ſiquis à compendio incipiat. Dico, incipiat. Non enim oportet ſemper verſari in cõpendio, ſed oportet à compendio pergere ad diexodicam rei in compendio traditæ tractationem, iuxta illud apoſtoli *Heb.* 6. *v.* 1. *Quapropter omiſſo, qui in Chriſto rudes inchoat ſermone, ad perfectionem feramur.* q.d. Capitibus catechiſmi, quæ ſummam quidem totius euangelicæ doctrinæ complectuntur, ſed paucis, & ſummariè, vt loquuntur: his, inquam, capitibus cognitis tanquam rudimentis, proficiamus in doctrinâ ſalutis, pergendo ad pleniorem inſtitutionem & comprehenſionem, ne nobis obijciatur illud ex 2. *Tim.* 3. *v.* 7.

Semper diſcentes, ſed nunquam proficientes. Confer *Hebr.* 5. *v.* 12. 13. 14. *Tertium* memoriæ ſubſidium eſt dilucida rei explicatio, quâ fit vt res velut oculis ſubijciatur. Ita Galatis Chriſtus κατ' ὀφθαλμοὺς προεγράφη, *ob oculos fuit depictus*, id eſt, ita egregiè ac perſpicuè fuit propoſitus, vt quaſi oculis eorum repræſentata fuerit viua ipſius imago, ac ſi apud ipſos eſſet crucifixus. Huiuſmodi graphica alicuius rei deſcriptio efficaciter ferit ſenſum, intellectum, & memoriam. In id ergò ſimus intenti, vt perſpicuitati ſtudeamus, eique tum αἰσθητικῇ, tum νοητικῇ, vt loquuntur. Hoc Græci vocant πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, Latini, ob oculos ponere. *Quartum* adminiculum memoriæ poſitum eſt in

ſignis

signis mnemonicis, quæ vocant μνημόσωνα, *memorialia*. Eiusmodi signa sunt multa. Et primò quidem sunt signa appensa membris corporis, de quibus *Exod.13.v.16. Et erit in signum super manum tuam, & in frontalia inter oculos tuos*: & *Deut.6.vers.8. Ligabisque ea in signum in manu tuâ, & erunt in frontalia inter oculos tuos*: h.e. facies laminas, vel membranulas, quibus inscribes legem meam, & laminas istas, vel membranulas habebis inter brachialia & frontalia, quæ obuersabuntur oculis tuis, vt iugiter tibi redeant in memoriam. Signa istiusmodi Chaldaicè vocantur תְּפִילִּין *tephilin*, Græcè φυλακτήρια *Matth.23.vers.5*. Talia signa hodiè possunt constitui in manibus, annulis, vestibus, & rebus similibus, vt memoriam nostram iuuent. Confer *Prouerb.3.v.3.& c.7.v.2*. Deinde sunt signa in tabulis, parietibus, postibus, libris, columnis &c. expressa. Sic *Deut.6. v.9*. ait Dominus: *Scribes quoque illa in postibus domus tuæ, & in portis tuis*. Hoc præcipiebat Dominus, vt quotiescunq; quis ingrederetur domum, intueretur illa, & reminisceretur. Potest itaque & hodiè hæc memoriæ βακτηρία adhiberi. Tertiò sunt signa solenniter erecta aliquo in loco. Sic Iacob *Gen.28.v.18.22*. erexit lapidem in titulum siue statuam, vt esset monumentum visionis. Confer *Gen.31. vers.45*. Sic *Deut.27.v.2.3*. ait Dominus: *Erit autem die, quâ transieritis Iordanem, vt eatis ad terram, quam Iehoua Deus tuus dat tibi, eriges tibi lapides magnos, quos linies calce, & scribes in illis omnia verba legis huius* &c. Hoc postea factum est *Ios.4. vers.2.& seqq*. Quintò sunt signa certis ritibus & actionibus constantia: qualia sunt sacrificia v.t. & omninò sacramenta v. & n.t. quorum finis inter alia est, in memoriam nobis redigere beneficia Dei *Exod.13. vers.9. 1.Corinth.11. vers.24*. Quæ omnia eò spectant, vt videamus, quot modis Deus consuluerit memoriæ nostræ, & inde discamus, nos nihil absurdi committere, si absque κακοζηλίᾳ imitemur hunc modum in aliis materijs. *Quintum* subsidium labilis memoriæ est ἀυτοψία. Visus enim ad cognitionem, apprehensionem, & impressionem rei est aptissi-

ptissimus; quia magis mouet imaginationem, & vehementiùs ei imprimit quod percepit, quàm sensus cæteri: vnde tenaciùs inhærent memoriæ, quæ visu percepta sunt. Hinc est, quòd *Psal.* 34. *vers.* 9. ait Dauid, *Gustate & videte, quòd bonus Iehoua.* *Sextum* adminiculum est *viua vox*, adeoque ἀκρόασις, *auditio.* Nam auditus maximè conducit ad scientiam comparandam, quia disciplinæ percipiuntur per auditum. Ergò vt visu discimus à nobis, ita auditu discimus ab alijs. Rectè igitur *Albertus Magnus* 1. *metaph. c.* 1. hunc sensum maximè disciplinalem appellauit. Hinc est, quòd Deus toties inculcat illud, *Audi, Audite.* Vbi singulare est, quòd *Psal.* 45. *v.* 11. coniunguntur ista duo, *Audi & vide.* De institutione, quæ fit viuâ voce, vide paulò antè loca Scripturæ de catechetică docendi formâ. Nam catechesis significat ista duo: institutionem compendiosam, quæ fit viuâ voce. *Septimum* subsidium est scriptio. Hæc enim adeò mouet imaginationem, mentem, & memoriam, vt videri possit potior viuâ loquentis voce. Nam etsi viua vox semper habet aliquid latentis energiæ: tamen citò præteruolat, neque ita manet vt scriptura. Quæ etiam causa est, quòd Deus verbum suum scriptis mandauit. *Rom.* 15. *v.* 4. *Octauum* memoriæ adminiculum est ordo. Ordo, inquam, quo membra tractationis ita inter se cohærent, vt se inuicem capiant & contineant, vt in catenâ annulus annulum. Huiusmodi ordo non solùm in singulis sacrorum librorũ capitibus, sed etiã in ipsismet libris, quantum ad cohærentiam capitum, est obseruatus: vt ex analyticis sacrarum literarum interpretibus est manifestum. *Nonum* adminiculũ est varietas prudens in docendo. Cùm autem tradendarum disciplinarũ in scholis plures sint & diuersi modi; duo præcipui cùm à philosophis antiquis, tum ab omnibus fidelibus præceptoribus reperiũtur vsurpati: vnus, quando solus loquitur, qui docet; alter, quãdo interrogationes & responsiones adhibẽtur, & vel præceptor suos discipulos interrogat, vel discipuli præceptorẽ. His docendi modis optimũ

docto-

doctorem Christum esse vsum, historia euangelistarum non obscurè significat. Solus loquitur Christus sæpissimè, vt in concionibus suis *Matth.* 5. & alibi. Interdum à discipulis interrogatur, vt *Iohan.* 9. *v.* 2. Est quando suos ipse discipulos interrogat. *Matth.* 16. *Marc.* 8. *Luc.* 9. Prudentis itaque præceptoris est, varietate hâc prudenti, gratâ & vtili, partim excitare, partim exhilarare discipulum torpentem. *Decimum* subsidium est oratio ligata: quæ quomodo in sacris literis sit adhibita vide in Poëtica. Id solùm hîc obserua, rhythmos & versus occultam habere cognationem cum memoriâ. *Vndecimum* memoriæ adminiculũ est artificium literarium, quo fit, vt res aliqua elegantiartificio iuxta ordinem literarum digeratur. Quod quidem artificium parui esse momenti nemo audebit dicere, qui meminerit Spiritum sanctum in plusculis psalmis, putà *Psal.* 25. 34. 37. 111. 112. 145. præsertim autem in omnium longissimo, & ad vitam piè instituendam omnium maximè necessario, id est, *Psalm.* 119. infirmitati nostræ hâc in parte non dedignatum esse succurrere; sed illa sacra carmina vario artificio, secundùm ordinem literarum Hebraicarum in eum præcipuè finem digessisse. Confer *Prouerb.* 31. *& Thren.* 1. 2. 3. 4. De psalmo 119. illud quoque est adnotandum, contineri in illo viginti duos octonarios pro numero literarum Hebraicarum, quorum singuli versus, iuxta Hebraicæ linguæ elegantiam, incipiunt ab vnâ & eâdem literâ: nullum denique esse versum, præter vnum centesimum vigesimum secundum, qui non habeat, si non plures, vnam saltem ex his decem vocibus: תּוֹרָה lex, חֻקִּים statuta, מִצְוֹת præceptum פִּקּוּדִים obseruationes, עֵדוֹת testimonia, מִשְׁפָּטִים iudicia, אִמְרָה sermo, דָּבָר verbum, צֶדֶק iustitia, דֶּרֶךְ via. Atque hæc etiam sunt adminicula memoriæ, quæ in S. Literis occurrunt.

(:)

XXIX. *Ir-*

XXIX.

IVRISPRVDENTIA SACRA.

I. IVrisprudentia sacra est doctrina æqui & boni ex sacris literis petita. Et quia ex Mose, diuino illo legislatore, colligitur, Mosaica dici potest. Huius iurisprudentiæ tanta est dignitas, vt merito habeatur pro regulâ & normâ iurisprudentiæ Romanæ. Et spes magna me tenet, pios ICtos cunctas leges suas ad ius diuinum per Mosem traditum tandem aliquando reuocaturos, dissimiles Thomæ Linacro, qui lecto illo Christi *Matth. 5. vers. 44. Diligite inimicos vestros*, librum in terram proiecit, his verbis additis: *Aut hæc vera non sunt, aut Christiani non sumus.*

II. Iurisprudentiæ sacræ partes sunt duæ: prima, de collatione iuris Romanicum decalogo; secunda, de legum Mosaicarum forensium explanatione.

III. Prima pars continetur hâc regulâ. Leges iuris Romani referantur ad præcepta decalogi, hoc ferè modo.

Ad præceptum primum. De summâ Trinitate & fide catholicâ: de hæreticis & Manichæis.

Ad secundum. De signo saluatoris Christi non sculpendo vel pingendo.

Ad tertium. De iuramento, testibus &c.

Ad quartum. De sacrosanctis ecclesijs, de diebus festis, &c.

Ad quintum. De libertate, seruitute, ingenuis, libertinis, manumissione, seruis, filijsfamiliâs, adoptione, patriâ potestate, tutelâ, curâ, curatoribus, satisdatione, excusatione, tutore, actione coram iudice, interdicto, litigantibus, procuratore, in ius vocatione, armis litigantium,

tium, pœnâ temeritatis, officio iudicis, iudicio publico & priuato, terminis iudicialibus, ſententiâ, appellatione, magiſtratu, de epiſcopis & clericis, de epiſcopali audientiâ.

Ad ſextum. De homicidio, iniuriis realibus &c.

Ad ſeptimum. De ſponſalibus, nuptijs, matrimonio, cognatione, affinitate, polygamiâ, diuortio, adulterio, ſpuriis, liberis, fratribus, ſororibus.

Ad octauum. De poſtliminio, bonorum diuiſione, dominio, theſauro, traditione, ſeruitutibus, vſu, vſufructu, habitatione, vſucapione, donatione, alienatione, peculio, hæreditate, prodigo, legato, repræſentatione, bonorum poſſeſſione, obligatione, contractu, mutuo, indebito, commodato, depoſito, pignore, emtione & venditione, locatione, emphyteuſi, ſocietate, mandato, ſolutione, acceptilatione, nouatione, contrariâ voluntate, furto, pœnâ furti, rapinâ, damno, teſtamento, codicillo.

Ad nonum. De fideiuſſione, chirographo, teſte, actore, reo, aduocato.

Ad decimum. Tria iuris principia, Honeſtè viuere, Neminem lædere, ſuum cuique tribuere.

IV. Secunda pars iuriſprudentiæ ſacræ explanat leges Moſaicas forenſes reuocatas ad ſingula decalogi præcepta, hoc modo.

Ad primum præceptum.

1. Lex de puniendo falſo prophetâ. *Deut.* 13. & 18.

2. Lex de puniendis illis, qui contumaciter reſpuerint iudicium ſacerdotum. *Deut.* 17. *v.* 12. 13.

3. Lex de integris vrbibus exſcindendis, ſi ſuaſerint defectionem à Deo. *Deut.* 13. *v.* 12. *& ſeqq.*

4. Lex de magis, ariolis &c. vbi tenendum, ſpecies artium magicarum & illarum amatorum nouem apud Moſen recenſeri: videl. traductionem per ignem, diuinationes, planetarios, auguria, præſtigias, incantationes,

nes, pythonicos, sortilegos, necyomantiam. *Exod.* 22. *v.* 18. 20. *Leuit.* 20. *v.* 2. 6. 27. *Deut.* 18. *v.* 10.

5. Lex de puniendis Cyclopibus illis, qui nec Deum, nec homines metuunt, quiq; apertè & elatâ manu Deum blasphemando alios in eandem audaciam pertrahunt. *Num.* 15. *v.* 30. 31.

6. Lex de pœnâ, si quis neglectâ prohibitione fermentum miscuerit cum paschate. *Num.* 12. *v.* 15. *c.* 19. *v.* 19.

7. Lex vt bella gerant sub auspiciis Dei, eiusque auxilio confisi ducem sequantur, nihil territi potentiâ hostium. *Deut.* 20. *v.* 1. 2. 3. 4.

8. Lex de tubis argenteis, quæ collectionis signum dabant, vt populus semper ad Dei vocem & nutum intentus esset. *Num.* 10. *v.* 1. *& seqq.*

Ad secundum præceptum.

1. Leges de idololatriâ externâ: putà de imaginibus, idololatricis, templis idololatricis, altaribus item, excelsis, & lucis idololatricis. *Exod.* 23. *vers.* 24. *c.* 34. *vers.* 13. 17. *Num.* 33. *vers.* 52. *Deut.* 7. *vers.* 5. 25. *cap.* 12. *vers.* 3. *cap.* 27. *vers.* 15.

2. Lex de vitandis & exstirpandis infidelibus, qui tanquam flabella magis ac magis accendunt idololatriam. *Exod.* 23. *vers.* 31. 32. 33. *cap.* 34. *vers.* 11. 12. 15. 16. *Deut.* 7. *vers.* 1. 2. 3. 4.

3. Lex de admittendis alienigenis. *Deut.* 23. *vers.* 3. *& seqq.*

Ad tertium præceptum.

Huius præcepti appendix est lex illa *Leu.* 24. *v.* 15. 16. vbi pœna capitis statuitur aduersus peccatum blasphemiæ.

Ad quartum præceptum.

Huius loci est lex de pœnâ sabbati violatoribus irrogandâ. *Exod.* 31. *v.* 14. 15. *Num.* 15. *v.* 36. item de bonis ecclesiasticis *Leuit.* 27. *v.* 30. *Num.* 18. *v.* 21. 24. *Deut.* 14. *v.* 22. 28. *c.* 26. *ver.* 12. denique de obseruatione anni sabbatarij. *Exod.* 23. *v.* 10.

Ad quintum præceptum.

Appendices politicæ huius præcepti sunt leges de illis,

qui parentibus vim vel atrocem iniuriam inferunt: quales sunt parricidæ, parentum percussores, parentibus maledicentes, parentibus rebellantes: item de pœnis illorum, qui in magistratum, & ecclesiæ ministros sunt iniurii. *Exod.* 21. *v.* 11. 15. 17. *c.* 22. *v.* 28. *Deut.* 17. *v.* 12. *c.* 21. *v.* 18. & 27. *v.* 16. Pertinet quoque huc lex regia *Deut.* 17.

Ad sextum præceptum.

1. Leges de homicidio voluntario & inuoluntario. *Exod.* 21. *v.* 12. 13. 18. 20. 21. *Leuit.* 24. *v.* 17. 18. *Num.* 35. *v.* 16. *Deut.* 27. *v.* 24. *c.* 19. *v.* 4.

2. Leges de mutilationibus & percussionibus. *Exod.* 21. *vers.* 22. 26. quò pertinet lex talionis.

3. Lex de reperto occisi cadauere. *Deut.* 21. *v.* 1.

4. Lex de boue cornupetâ lædente hominem. *Exod.* 21. *v.* 28. 32.

5. Lex de numero plagarum alicui infligendarum. *Deut.* 25. *v.* 2.

6. Lex de non lædendis peregrinis. *Exod.* 22. *v.* 21. *c.* 23. *v.* 9. *Leuit.* 19. *v.* 33.

7. Lex de seruo profugo ob sæuitiam heri. *Deut.* 23. *vers.* 15.

8. Lex de nido auium reperto. *Deut.* 22. *v.* 6.

9. Lex de non comedendo sanguine bestiæ. *Leuit.* 7. *v.* 26. *c.* 17. *v.* 10. *c.* 19. *v.* 26. *Deut.* 12. *v.* 15. 20.

10. Leges polemicæ, siue bellicæ: cuiusmodi sunt, de concione sacerdotis antequam prælium ineatur *Deut.* 20. *vers.* 1. de personis, à bello immunibus, quæ non debent proficisci in militiam. *Deut.* 20. *v.* 5. 7. 8. de ætate in militiam adscribendorum *Num.* 1. *vers.* 3. *c.* 26. *v.* 2. de transitu militum per terras fratrum. *Num.* 20. *v.* 17. *Deut.* 2. *vers.* 4. de exploratoribus, eorumque missione. *Num.* 13. *v.* 3. 19. *Deut.* 1. *ver.* 22. de munditie castrorum. *Deut.* 23. *v.* 9. 12. de ducibus in primâ acie constituendis. *Deut.* 20. *v.* 9. de arboribus frugiferis non excindendis. *Deut.* 20. *v.* 19. de pace offerendâ, vel non offerendâ. *Deut.* 20. *v.* 10. de prædâ ritè distribuendâ. *Num.* 31. *v.* 26.

Ad

Ad ſeptimum præceptum.

1. Lex de coniugiis prohibitis. *Leuit.* 18. & 20. Vetantur autem coniugia inter tredecim perſonarum conſanguinitate vel affinitate coniunctarum genera: videl. cum matre; cum vxore patris ſiue nouercâ; cum ſorore, ſiue ex patre, ſiue ex matre; cum nepte ex filiâ; cum filiâ vxoris patris, h. e. cum filiâ nouercæ; cum ſorore patris, h. e. cum amitâ; cum ſorore matris, h. e. cum matertera; cum vxore patrui; cum nuru; cum vxore fratris; cum filiâ vxoris, h. e. cum priuignâ; cum nepte ex filiâ vel filio vxoris; cum ſorore vxoris.

2. Lex de coitu cum muliere menſtruatâ. *Leuit.* 18. *v.* 19. *c.* 20. *v.* 18.

3. Lex de Sodomiâ. *Leuit.* 18. *v.* 22. 23. *c.* 20. *v.* 13. 15. 16. *Exod.* 22. *v.* 19. *Deut.* 27. *v.* 21.

4. Lex de pœnâ adulterij. *Leu.* 20. *verſ.* 10. *Deut.* 22. *verſ.* 22.

5. Lex de coitu cum virgine deſponſatâ. *Deut.* 22. *verſ.* 23. 25.

6. Lex de coitu cum concubinâ alterius. *Leu.* 19. *v.* 20.

7. Lex de nuptiis ancillæ, quæ eſt filia. *Exod.* 21. *v.* 7.

8. Lex de ſuſpectâ virginitate illius, quam aliquis duxit. *Deut.* 22. *v.* 13.

9. Lex zelotypiæ. *Num.* 5.

10. Lex de vxore repudiatâ non iterum ducendâ. *Deut.* 24. *verſ.* 1.

11. Lex de vitandis coniugiis cum infidelibus. *Deut.* 7. *verſ.* 3.

12. Lex de muliere captiuâ ducendâ in vxorem. *Deut.* 21. *verſ.* 10. 14.

13. Lex de iure primogenituræ, ſi aliquis habuerit duas vxores. *Deut.* 21. *v.* 15.

14. Lex de ſemine fratri excitando. *Deut.* 25. *v.* 5.

15. Lex de connubiis inter contribules. *Num.* 36. *v.* 8.

16. Lex de vitiatâ virgine ducendâ. *Exod.* 22. *verſ.* 16. *Deut.* 22. *v.* 28.

17. Lex de filiâ ſacerdotis fornicante. *Leu.* 21. *v.* 9.

18. Lex de filiâ non proſtituendâ. *Leu.* 19. *v.* 29.

19. Lex de non ferendo meretricem & ſcortatorem. *Deut.* 23. *v.* 17.

20. Lex de mercede meretricis non adducendâ in domum Iehouæ. *Deut.* 23. *v.* 18.

21. Lex de immunitate illius, qui duxit recens vxorem. *Deut.* 24. *v.* 5.

22. Lex de vxore apprehendente verenda viri. *Deut.* 25. *verſ.* 11.

23. Lex de faciendis fimbrijs in quatuor oris operimenti. *Deut.* 22. *v.* 12.

24. Lex de non mutando veſtitu & habitu ſexus. *Deut.* 22. *verſ.* 5.

Ad octauum præceptum.

1. Lex de pœnâ furti, quod eſt plagium, abigeatus, ſacrilegium &c. ſimplex vel violentum. *Exod.* 21. *v.* 17. *c.* 22. *v.* 1. 2. 4. *Deut.* 24. *v.* 7.

2. Lex de fodiente & non cooperiente ciſternam. *Exod.* 21. *v.* 33.

3. Lex de boue cornupetâ damnum dante proximo. *Exod.* 21. *v.* 35.

4. Lex de immiſſo iumento in agrum alterius. *Exod.* 22. *verſ.* 5.

4. Lex de igni, quo aliquis læſit agrum proximi ſui. *Exod.* 22. *v.* 6.

5. Lex de boue aut aſino inimici reducendo. *Exod.* 23. *v.* 4. *Deut.* 22. *v.* 1.

6. Lex de commodato. *Exod.* 22. *v.* 14.

7. Lex de depoſito. *Exod.* 22. *verſ.* 7. 9. 10. *Leu.* 6. *verſ.* 2. *Num.* 5. *v.* 6.

8. Lex de iuſto & iniuſto pondere & menſurâ. *Leu.* 19. *v.* 35. *Deut.* 25. *v.* 13.

9. Lex de non transferendo terminos. *Deut.* 19. *ver.* 14. 27. *v.* 17.

10. Lex

10. Lex de ingrediente vineam proximi sui. *Deut.* 23. *vers.* 25.

11. Lex de vsuris. *Exod.* 22. *v.* 25. *Leuit.* 25. *v.* 35. *Deut.* 23. *vers.* 19.

12. Lex de mendicis misericorditer tractandis. *Deut.* 15. *vers.* 7.

13. Lex de pignore. *Exod.* 22. *vers.* 26. *Deut.* 24. *vers.* 6. 10. 17.

14. Lex de anno remissionis. *Deut.* 15. *v.* 1.

15. Lex de non transferendâ possessione de tribu ad tribum aliam. *Num.* 36. *v.* 6.

16. Lex de transferendâ hæreditate ad filiam in casu non existentium filiorum, *Num.* 27. *v.* 8.

17. Lex de venditione & redemtione terræ. *Leuit.* 25. *vers.* 23.

18. Lex de venditione & redemtione domus. *Leu.* 25. *vers.* 29.

19. Lex de redemtione vrbium & domorum Leuitarum. *Leu.* 25. *v.* 32. 34.

20. Lex de non ferendis mendicis. *Deut.* 15. *v.* 4.

21. Lex de messe & vindemiatione. *Leuit.* 19. *ver.* 9. *c.* 23. *v.* 22. *Deut.* 24. *v.* 19.

22. Lex de septimo anno sabbatario. *Exod.* 23. *vers.* 10. *Leu.* 25. *v.* 2. 20.

23. Lex de mercenario benignè tractando. *Leu.* 19. *v.* 13. *Deut.* 24. *v.* 14.

24. Lex de non obturando os boui trituranti. *Deut.* 25. *vers.* 4.

25. Lex de manumissione. *Exod.* 21. *vers.* 2. *Leu.* 25. *vers.* 39. *Deut.* 15. *v.* 12.

26. Lex de seruitute *Leu.* 25. *v.* 44.

27. Lex de redemptione serui, qui se vendidit peregrino. *Leuit.* 25. *v.* 47.

Ad præceptum nonum.

Leges de iudiciis sunt appendices huius præcepti, hoc modo

1. Lex de constituendis iudicibus. *Deut.* 16. *v.*18.

2. Lex de vitandâ iniquitate & prosopolepsiâ in iudicio. *Exod.* 23. *vers.* 3. 8. *Leuit.* 19. *v.*15. 35. *Deut.* 1. *vers.* 17. *c.*16. *vers.*19.

3. Lex de non peruertendo iudicio pauperis, peregrini, pupilli, vel viduæ. *Exod.* 23. *vers.* 6. *Deut.* 10. *v.*18. *c.*24. *v.*17. *c.* 27. *v.*19.

4. Lex de non approbando iniquam sententiam maioris vel potentioris partis in iudicio. *Exod.* 23. *v.* 2.

5. Lex de falso testimonio. *Exod.* 23. *ver.*1. *Deut.* 17. *v.*4. *c.* 19. *v.*18. *Leuit.* 19. *v.*16.

6. Lex de distinctione iudiciorum. *Exod.* 18. *vers.* 22. *Deut.* 1. *v.*17.

7. Lex de consulendo sacerdote in re dubiâ. *Deut.*17. *vers.*8.

8. Lex de numero testium in re capitali. *Num.*35. *v.*30. *Deut.*17. *v.*6. *c.*19. *v.*15.

9. Lex de pœnâ falsi testis. *Deut.* 19. *v.*16.

10. Lex de ordine seruando in lapidatione. *Deut.* 17. *vers.*7.

11. Lex de non occidendo innocente. *Exod.* 23. *vers.*7. *Deut.* 27. *v.*25. *c.* 24. *v.*16.

12. Lex de non absoluendo homicidâ. *Num.*35. *v.*31.

13. Lex de occidendo reo mortis. *Deut.*13. *v.*8. *Leuit.*20. *vers.*4.

14. Lex de non relinquendo suspenso in ligno. *Deut.*21. *vers.*22.

15. Lex de non redimendo anathemate. *Leuit.* 27. *v.*29.

Solent hoc loco colligere exempla actionum & processuum iudicialium ex sacris literis: vbi primò se offert processus iudicialis diuinus cum primis parentibus. *Gen.*3. & cum Aharone & Mariâ contra Mosen. *Num.* 12. Deinde sunt duo processus humani legitimi, alter Iosuæ contra Achanum *Ios.* 7. alter Salomonis, inter duas mulieres meretrices 1. *Reg.* 3. Denique sunt tres processus humani ille-

illegitimi: videl. contra Nabothum 1. *Reg.* 21. contra Christum. *Matth.* 26. 27. & contra Stephanum. *Act.* 6. & 7.

Ad decimum præceptum.

Huc pertinent ea, quæ in legibus forensibus secundæ tabulæ à nobis requirunt affectuum compositionem. Explanationem harum legum vide in Harmoniâ Iohannis Caluini & Explanatione legum forensium Mosaicarum Wilhelmi Zepperi. Pertinet etiam huc Pauli Ricij tractatus de 613. Mosaicæ legis mandatis.

XXX.

MEDICINA SACRA.

I. MEdicina sacra est facultas bene medendi, ex sacris literis collecta. Mederi autem est idem hoc loco, quod curare valetudinem. Aliâs sumitur strictè, vt in illo Christi *Matth. 9. ver. 12. Qui valent, non egent medico.*

II. Eius partes duæ sunt, Hygieina & Therapeutica.

III. Hygieina est prima medicinæ pars de sanitate tuendâ.

IV. Causæ sanitatem tuentes sunt prima, vel secunda.

V. Causa prima, sanitatem conseruans, est Deus. Hic enim valetudinem prosperam confert & aufert. *Deut.* 8. *vers.* 3. 4. *c.* 28. *v.* 21. 22. *Psal.* 38. *Matth.* 10. *v.* 30. Nostri ergò muneris est precibus quotidianis & piâ vitâ impetrare benedictionem à Deo Patre per Christum in virtute Spiritus sancti, & cogitare illud,

Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.

VI. Causa secunda, conseruans sanitatem,

est partim diæta, partim remedium præseruatiuum. Hinc hygieina diuiditur in Diæteticam, & Prophylacticam.

VII. Diæta est ratio victus hominis sani; & consistit in hisce tribus: nempe in recto alimentorum vsu, in motu, & in quiete.

VIII. Rectus alimentorum vsus cernitur in legitimâ ipsorum quantitate, qualitate, ordine, & tempore.

IX. Quantitas alimentorum ea est tenenda, quæ medium tenet inter excessum & defectum. Nam cibo potuque immoderato grauantur corda *Luc.*21. *v.*34. & in vino immodicè sumto est ἀσωτία. *Eph.*5. *v.*18. *Eccles.*31. *v.*34. sed pauculo vino corrigitur imbecillitas ventriculi 1. *Tim.*5. *v.*23. & frustulo cibi fulcitur animus. *Iudic.* 19. *v.*5. & moderato vino exhilaratur cor *Psal.*104. *v.*15. *Eccles.*31. *v.*30. *& seqq.* & quicunque edit ad satietatem, non verò vltra satietatem, valet animo & corpore. *Deut.*8. *v.*10. Vide infrà Hygiasticam sacram.

X. Qualitas alimentorum ita nobis est exploranda, vt non solùm nouerimus ipsorum facultates in genere, sed etiam in specie obseruemus, quæ nobis inprimis bene conueniant. Nam non tantùm cauere debemus, ne assumamus illa, quæ suâ naturâ sunt noxia 2. *Reg.*4. *vers.*38. *& seqq.* sed etiam vt eligamus alimenta nostro temperamento & quoque palato conueniētia. *Gen.* 21. *v.*5. 6. *Luc.*24. *v.*42. *Esa.*7. *v.*15. 1. *Sam.*14. *v.*28. Habenda etiam est ratio ætatis *Gen.* 21. *vers.*7. 1. *Sam.*1. *v.*23. item status & conditionis nostræ *Dan.*1. *ver.*12. 16. Sic Iohannes Baptista neque comedit, neque bibit more vulgari *Matt.*11. *v.*18. Comedit siquidem acrides, id est, locustas edules, & mel siluestre. *Matt.*3. *& Marc.*1. At verò Christus promiscuo more vixit. *Matt.*11. *v.*19. Quia nempe status

tus & vocatio Iohannis requirebat eiusmodi austeram victus rationem, Christi non item.

XI. Ordo legitimus in assumendis alimentis congruere debet cum rectâ ratione & consuetudine. In Scripturis hic ordo est admodum simplex, ideoque naturæ conuenientissimus. Vide *Gen.* 18. *v.* 6. 7. 8. *Iohan.* 6. *v.* 11.

XII. Tempus in assumendis alimentis debet esse certum & statum. Vt enim omnia suum habent tempus *Eccl.* 3. sic etiam refectio naturæ nostræ per cibum & potum. *Deut.* 8. *v.* 10.

XIII. Motus cõducens valetudini complectitur exercitia animi & corporis. *Exercitia animi* consistunt in moderatione affectuum, vt illi sint secundum naturam, & proinde illam conseruent. Ita enim est, vt sapiens dicit *Prou.* 17. *v.* 22. *Animus lætus bene medicinam facit, Spiritus autem fractus exsiccat ossa. Exercitia corporis* consistunt in moderatâ corporis agitatione, quæ excitat, auget atq; custodit calorem naturalẽ, alimentorum digestionẽ adiuuat, membra corroborat, & superfluitates expellit: item in lotione manuum, pedũ, & totius corporis. *Gen.* 18. *Exod.* 2.

XIV. Quies, postrema diætæ pars, est simplex, vel composita. *Quies simplex* est, cùm interdiu à laboribus & exercitijs tum animi, tum corporis, aliquantisper vacamus, per certa quædam interualla, idque sedendo, stando, moderatè ambulando, vel iacendo. *Iohan.* 6. *v.* 10. *Quies composita* est somnus moderatus, qui dici non potest quantopere conducat ad sanitatis tuitionem. *Eccl.* 31. *v.* 2.

XV. Remedium præseruatiuum est, quo natura corporis integra, præseruatur à morbo. Hoc quò fuerit simplicius, eò melius.

XVI. Therapeutica est secunda medicinæ pars de restituendâ sanitate.

XVII. Hìc requritur cognitio morbi, & applicatio

tio remedij. Hinc Therapeutica diuiditur in Pathologicam & Pharmaceuticam.

XVIII. Cognitio morbi debet institui à priori & posteriori. Ita nimirum vt causam morbi moralem, quæ est peccatum; & naturalem, quæ est qualitas morbifica in corpore, indagemus: & huius causæ effecta & symptomata obseruemus. 2. *Reg.* 20. *v.* 1. *& seqq.* Variorum morborum hinc inde in S. literis fit mentio: putà phrenitidis, surditatis, pestis, febris, paralyseos, asthmatis, podagræ, epilepsiæ, apoplexiæ, hydropis, lepræ, pustularum, cæcitatis &c. *Leuit.* 26. *Deut.* 28. *Psal.* 38. *&* 91. *Iob.* 32. *v.* 20. 2. *Chron.* 16. *v.* 12. *Marc.* 9. *v.* 17. *& seqq.* 1. *Sam.* 4. *v.* 18. *&* 25. *v.* 37. 38. *Matth.* 18. *v.* 14. 15. *Luc.* 14. *v.* 2. *Leuit.* 13. *Matth.* 9. *v.* 27.

XIX. Applicatio remedij debet esse pia, & circumspecta. *Pietatis* est, non confidere in medicinâ, vt fecit Asa. 2. *Chron.* 16. *v.* 12. neque diabolum aut ministros eius consulere, vt fecit Ahasias 2. *Reg.* 1. *v.* 2. *& seqq.* sed à solo Deo pendere 2. *Reg.* 20. *v.* 1. *& seqq.* ad preces se conuertere *Iacob.* 5. *v.* 14. 15. medicum honorare *Eccles.* 38. *v.* 1. 2. 3. 4. 9. 10. 12. &, si ille faciat suum officium, neq; tamen nos sanet, meminisse, ipsum nihil posse citra benedictionem Dei 1. *Cor.* 3. *v.* 7. *Marc.* 5. *v.* 26. *Luc.* 8. *v.* 43. *Circumspectionis* partes aliæ sunt in ægro, aliæ in medico. Et æger quidem debet esse circumspectus in tempestiuè adhibendo medicum peritum, & in parendo ipsius monitis. Medicus autem non contentus peritiâ rei medicæ, prudentiæ quoque studebit, vt exploratis omnibus circumstantiis rectè adhibeat remedia, quorum syluulam ex sacris collectam hîc proponimus.

Exod. 15. *v.* 25. Deus ostendit Mosi lignum, quo edulcatæ sunt aquæ amaræ. Sic medicus interdum necesse habet Potiones idoneas præparare.

Leuit. 13. Lepra certis signis cognoscitur, & leprosus à consortio hominum separatur. Hinc discet medicus, morbos

morbos ferè habere ſua ſigna, & morbis contagioſis infectos eſſe ita tractandos, ne alij inficiantur.

Num. 21. *v.* 9.10. Qui ſerpentem æneum fuerunt intuiti, ſanitatem receperunt. Hoc remedium, vtpote ſingulare & extraordinarium, non eſt trahendum in regulam.

2. *Reg.* 4. *v.* 41. Eliſæus cibum mortiferum emendat. Sic medici eſt habere ſua alexipharmaca.

2. *Reg.* 20. *ver.* 7. Eſaias palatham ficuum impoſuit vlceri Hiskiæ. Confer *Eſa.* 38. *v.* 21. Hoc medicamentum, vtpote naturale & licitum, medicus poteſt imitari.

Pſal. 45. *v.* 9. Veſtimenta ſponſi vncta dicuntur myrrhâ, ſantalis, caſiâque, id eſt, vnguento confecto ex iſtis præſtantiſſimis aromatibus. Hinc medicus diſcit, medicamenta compoſita non eſſe contemnenda, vt nonnulli faciunt. Item, medicamenta odorifera ſuum habere vſum.

Matth. 8. *v.* 3. & 8. Chriſtus ſanat verbo. Sic alibi paſſim in hiſtoriâ euangelicâ. Hæc ſanatio fuit miraculoſa, & proinde ἀμίμητος.

Marc. 6. *v.* 13. apoſtoli multos ægrotos ſonant oleo. Hoc oleum fuit ſymbolum mirificæ virtutis, non verò medicamentum. Eſt itaque κακοζηλία, ſi quis hoc factum velit imitari. Idem iudicium eſt de loco *Iac.* 5. *v.* 14.

Luc. 10. *v.* 34. Samaritanus obligat vulnera illius hominis, qui inciderat in latrones, infundens oleum ac vinum. Vino mundata fuerunt vulnera, oleo mitigata. Hoc poſſunt imitari chirurgi.

Iohan. 19. *v.* 39. 40. corpus Chriſti obuoluitur linteis cum miſturâ aloës & myrrhæ. Quæ duo aromata ſingularem habent vim reſiſtendi putredini. Vnde ipſorum vſus eſt tempore peſtis, & aliâs quoque ad purgandum noxios humores.

Tob. 6. *v.* 6. 19. & *c.* 11. *v.* 8. 10. deſcribitur medicamentum ex piſce, quo Tobias iunior curauit cœcitatem parentis. Idem quoque fuit amuletum, quo dæmon fuit fugatus. Sed quidem rident hoc ceu fabuloſum.

Solent etiam nonnulli ex Scripturis excerpere nomina quæ-

na quædam propria Dei & hominum, item versus integros vel mutilatos v. g. partem aliquam ex c. 1. euangelij Iohannis, & conantur hoc modo prohibere vel etiam profligare morbos. Sed hic est abusus verbi Dei, quod destinatum est saluti animæ, non verò corporis, nisi quatenus illud adhibetur in legitimo vsu prædicationis, precationis, & meditationis, ad benedictionem Dei pro salute animæ & corporis impetrandam.

XXXI.

THEOLOGIA POSITIVA.

THeologia est doctrina reddens hominem sapientem & prudentem ad vitam æternam.

Estque positiua, vel methodica.

Theologia positiua est ipsissima Scriptura sacra, sic dicta, quòd tradat meras positiones, hoc est, principia firmiter posita. Eiusmodi positiones hinc inde sparsæ sunt in Scripturis, & vtiliter ad certa capita siue locos communes reuocantur hoc pacto.

LOCVS I.

De sacrâ Scripturâ.

1. Scriptura est θεόπνευς, id est, diuinitùs inspirata.

2. Tim. 3. vers. 16. *Tota Scriptura diuinitùs est inspirata.*

2. Petr. 1. vers. 21. *Non voluntate hominis allata est olim prophetia; sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.*

2. Scriptura est lucerna, id est, perspicua, & regula fidei & vitæ.

Psal. 119.

Psal. 119. v. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum est, & lux itineri meo.*

2. Petr. 1. v. 19. *Habemus firmissimum sermonem propheticum: cui rectè facitis quòd attendatis velut lucernæ splendenti in obscuro loco, vsque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.*

2. Corinth. 4. v. 3. 4. *Quòd si tectum est euangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est. In quibus deus huius seculi excæcauit mentes, nempe in infidelibus, ne irradiet eos lumen euangelij gloriæ Christi.*

3. Scriptura est perfecta.

Deut. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum hoc quod vobis loquor: nec auferetis ex eo.*

Gal. 1. v. 8. *Etiamsi nos, aut angelus è cœlo annuntiauerit vobis præter id quod annuntiamus, anathema esto.*

2. Timoth. 3. vers. 16. 17. *Tota Scriptura diuinitùs est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitiâ: Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* Confer Psal. 19. vers. 8. 9. 10. 11.

4. Scriptura omnibus Christianis est legenda.

Deuteronom. 6. v. 6. 7. 8. 9. *Et erunt verba ista, quæ ego tibi præcipio hodiè, in corde tuo: Eaque acutè ingeres filiis tuis, ac loquêris de eis cùm sedes domi tuæ, & cùm ambulas per viam, cùm cubas, & cùm surgis: Etiam alligabis ea in signum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos: Denique inscribes ea postibus domus tuæ, & portis tuis.*

Psalm. 1. vers. 2. *Sed cuius oblectatio est in lege Iehouæ; & qui de lege illius meditatur interdiu ac noctu.* Confer Psal. 119.

Luc. 16. vers. 29. *Habent Mosen & Prophetas: audiant illos.*

2. Timoth. 3. vers. 15. *Teque à puero nouisse sacras literas.*

5. Scri-

5. Scriptura dispari euentu legitur & auditur à piis & impiis.

Rom. 1. v. 16. *Non enim me pudet euangelij Christi. Potentia siquidem est Dei ad salutem cuiuis credenti.*

1. Cor. 1. v. 23. 24. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam: Ipsis autem vocatis, tum Iudæis tum Græcis, Christum Dei potentiam, ac Dei sapientiam.*

2. Cor. 2. v. 15. 16. *Nam Christi bona fragrantia sumus Deo, in iis qui seruantur, & in iis qui pereunt: His quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam.* Confer 2. Cor. 4. v. 3.

2. Petr. 3. v. 16. *In quibus* (epistolis Pauli) *sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, vt & reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio.*

LOCVS II.

De Deo.

1. Deus reuera est.

Psal. 14. v. 1. *Dicit stultus cum animo suo, non est Deus.*

Esa. 44. v. 1. *Sic ait Dominus rex Israëlis & vindex eius, Dominus exercituum: ego sum primus & vltimus, ac præter me nullus est Deus.*

Apoc. 1. v. 4. *Gratia sit vobis & pax à Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est.*

2. Deus est spiritus.

Ioh. 4. v. 24. *Deus est spiritus: & qui adorant eum, oportet vt spiritu ac veritate adorent.*

1. Tim. 1. v. 17. *Regi æterno, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo honor sit & gloria in secula seculorum, Amen.*

3. Deus nulli creaturæ potest assimilari.

Esa. 40. v. 17. 18. *Omnes gentes velut nihil sunt coram eo, minus nihilo & inanitate reputantur ei. Cui ergo assimilabitis Deum, & quam similitudinem comparabitis ei?*

4. Deus est vnus.

Deut. 6.

Deut. 6. v. 4. *Audi Israel; Dominus Deus noster Dominus vnus est.*

Esa. 44. v. 1. *Sic ait Dominus rex Israëlis & vindex eius, Dominus exercituum: ego sum primus & vltimus, ac prater me nullus est Deus.*

Eph. 4. v. 6. *Vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.*

5. Solus Deus est Iehoua, Iah, Eheieh, & Schaddai.

Exod. 6. v. 2. *Nomine MEO Iehoua non cognitus sum illis.*

Psal. 118. v. 14. *Robur meum & carmen Iah.*

Exod. 3. v. 14. *Dixit Dominus Mosi, Eheieh, qui sum: dixitque, ita dices filiis Israëlis, Eheieh misit me ad vos.*

Gen. 17. v. 1. *Ego* אֵל שַׁדַּי *Deus omnipotens.*

6. Deus viuit.

Psal. 18. v. 47. *Viuit Dominus & benedicta rupes mea.*

Ier. 46. v. 18. *Vt viuo ego, dictum regis illius, cuius nomen est Dominus exercituum.*

Apoc. 15. v. 7. *Vnum ex quatuor animalibus dedit septem angelis phialas aureas, plenas iræ Dei viuentis in secula seculorum.*

7. Deus est immutabilis, impatibilis, & immortalis.

Psal. 102. v. 27. 28. *Ista* (cœli & terra) *peritura sunt: tu autem permanes, ista, inquam, omnia vt vestimentum veterascent, vt indumentum mutabis ea atque mutabuntur: tu verò idem es, & anni tui non finiuntur.*

1. Tim. 6. v. 15. 16. *Quem temporibus suis ostendet ille beatus & solus Princeps, Rex ille regum, & Dominus dominorum: Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest.*

Iacob. 1. v. 17. *Omnis donatio bona, & omne perfectum donum est supernè, descendens à patre luminum, apud quem non inest transmutatio aut conuersionis obumbratio.*

8. Deus est immensus, & proinde omnipræsens & incomprehensibilis.

1. Reg. 8. v. 27. *An reuera habitaret Deus in terrâ? Ecce*

cœli ipsi & cœli cœlorum non capiunt te: quantò minùs domus hæc, quam ædificaui?

Esa.66.v.1. *Sic ait Dominus: Cœlum ipsum est solium meum, & terra scabellum pedum meorum: vbinam esset domus, quam ædificaueretis mihi? & vbinam locus quietis meæ?* Confer Act.7. vers.49.

Ierem.23.v.24. *An non cœlum & terram ego impleo?* Confer Psal.139.vers.7.& seqq.

Act.17.v.27.28. *Deus profectò non longè abest ab vnoquoque nostrûm. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.*

Psal.145.v.3. *Magnum esse Iehouam & laudandum valde, imò magnitudini eius non esse perueſtigationem.*

9. Deus est æternus.

Gen.21.v.33. *Et inuocauit illic* (Abraham) *nomen Dei æterni.*

Esa.44.v.6. *Ego sum primus, & ego vltimus.*

Esa.57.v.15. *Sic ait sublimis, cuius nomen est, Inhabitans æternitatem.*

Rom.1.v.20. *Inuisibilia Dei inde à creatione mundi ex rebus conditis intelliguntur & peruidentur: æterna videlicet eius cum potentia, tum diuinitas.*

Apoc.1.v.18. *Ego sum* A & Ω, *id est, principium & finis, dicit Dominus, id est, Qui est, & qui erat, & qui venturus est, ille, inquam, omnipotens.* Confer cap.21.v.6.c.22.v.13.

10. Deus est omniscius & omnisapiens, & proinde καρδιογνώστης.

1.Sam.2.v.3. *Deus notitiarum est Iehoua.*

1.Sam.16.v.7. *Iehoua intuetur in cor.*

1.Chron.28.v.9. *Omnia corda exquirit Iehoua, & quodque figmentum cogitationum intelligit.*

Psalm.7.vers.10. *Explorator es cordium & renum, Deus iuste.* Confer Act.1.v.24.c.15.v.8.

Actor.15.vers.18. *Nota sunt Deo ab omni æuo omnia sua opera.*

Iob.12.v.13. *Penes illum* (Deum) *est sapientia & fortitudo: illius est consilium & intelligentia.*

Prou.3.vers.19.20. *Iehoua sapientiâ fundauit terram, statuit cœlos*

cœlos intelligentiâ. Scientiâ eius abyſsi diffiſſæ ſunt, & ſuperiores nubes deſtillant rorem.

Hebr. 4. v. 13. *Nulla res creata non eſt manifeſta in conſpectu ipſius: imò omnia ſunt nuda & intimè patentia oculis eius.*

11. Voluntas Dei eſt immutabilis.

1. Sam. 15. verſ. 29. *Æternitas Iſraelis non committet mendacium, neque pœnitebit eum. Non enim homo eſt, vt pœniteat eum.*

Eſa. 46. verſ. 10. *Conſilium meum ſtabit: & omnis voluntas mea fiet.*

Rom. 11. v. 29. *Dona Dei eiuſmodi ſunt, vt ipſum eorum non pœniteat.*

Hebr. 6. verſ. 17. *Deus volens ex abundanti hæredibus promiſſionis oſtendere immutabilitatem conſilij ſui, fideiuſſit iureiurando.*

12. Voluntas Dei eſt liberrima.

Ion. 1. v. 14. *Tu Domine, quemadmodum vis, facis.*

Rom. 9. v. 15. *Miſerebor cuius miſerebor.*

Et verſ. 18. *Itaque cuius vult, miſeretur: quem autem vult, indurat.*

Iacob. 1. verſ. 18. *Is* (pater luminum) *quia voluit, progenuit nos ſermone veritatis, vt eſſemus quædam primitiæ eorum, quæ creauit.*

13. Deus eſt omnipotens.

Geneſ. 17. verſ. 1. *Ego ſum Deus omnipotens.*

Pſalm. 115. verſ. 3. *Deus noſter in cœlis eſt, quidquid placet, facit.*

Ier. 32. verſ. 17. 18. 19. *Domine, Domine, ecce tu feciſti cœlos, & terram virtute tuâ maximâ, & brachio extento: non poteſt occultari tibi res vlla. Exerces benignitatem in milleſimos, & rependis iniquitatem patrum in ſinum filiorum ipſorum poſt ipſos. Deus iſte fortis, maximus, potentiſſimus, cuius nomen eſt Iehoua exercituum. Magnus es conſilio & amplus actione: cùm oculi tui aperti ſpectent in omnes vias hominum, vt des vnicuique ſecundùm vias ipſius, & ſecundùm fructum actionum ipſius.*

Luc. 1. v. 37. *Apud Deum non erit vllum verbum, quod fieri non possit.*

Apoc. 4. v. 8. *Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus Deus ille omnipotens.* Confer cap. 11. v. 17. c. 19. v. 6.

1. Sam. 14. v. 7. *Non est Domino impedimentum, quin seruet multis aut paucis.*

Esa. 14. v. 27. *Dominus exercituum iniuit consilium, & quis irritum faciat? & manum eius extentam ecquis auertat?* Confer c. 42. v. 38.

14. Deus est summè sanctus.

Leuit. 19. v. 2. *Sancti estote: quia sanctus sum ego Dominus Deus vester.*

Ios. 24. v. 19. *Dixit Iosua populo: Non potestis colere Dominum, quia Deus sanctissimus est.*

1. Sam. 2. v. 2. *Nullus est sanctus, vt Dominus.*

Esa. 6. v. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus exercituum.* Confer cap. 12. v. 6. & Apoc. 4. v. 8.

15. Deus est summè iustus.

Deut. 32. v. 4. *Rupis illius opus est perfectum. Omnes enim viæ illius sunt ius. Deus fortis, fidelis, & expers iniquitatis, iustus & rectus est.*

Psal. 11. v. 7. *Iustus Dominus, quæ iusta sunt, diligit: rectum aspicit vultus ipsius.*

Esa. 45. v. 21. *Ego Iehoua sum Deus iustus & seruator.*

Apoc. 16. v. 5. *Iustus es Domine, qui es, & qui eras, & qui eris, quòd hæc iudicâris.*

16. Deus est summè verax.

Num. 23. v. 23. *Deus non est homo, vt mentiatur.*

Psal. 36. v. 6. *Veritas tua vsq; ad nubes pertingit.*

Rom. 3. v. 4. *Esto Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, quando tu iudicas.*

Tit. 1. v. 2. *Spem vitæ æternæ promiserat Deus ille mentiri nescius.*

Apoc. 19. v. 11. *Vidi cœlum apertum, & ecce, adfuit equus albus,*

albus, & qui insidebat ei, vocabatur Fidelis & Verax, & qui iustè iudicat & pugnat.

17. Deus est summè bonus, clemens, & misericors.

Exod. 34. v. 6. 7. *Iehoua transiens ante faciem Mosis inclamauit: Iehoua, Iehoua, Deus misericors & gratiosus, longanimis, & multus benignitate ac fide: custodiens benignitatem millibus* &c.

Psal. 80. v. 15. *Tu Domine, Deus misericors & gratiosus es.*

Psal. 103. v. 8. *Misericors & gratiosus est Iehoua.*

Et v. 13. *Vt miseretur pater filiorum, miseretur Iehoua timentium ipsum.* Confer Malach. 3. v. 16.

Psal. 149. v. 5. *Bonus est Iehoua omnibus: & miserationes eius sunt in omnibus operibus eius.*

Marc. 10. v. 18. *Nemo bonus nisi vnus nempe Deus.*

Rom. 2. v. 4. *An diuitias benignitatis eius, & tolerantiæ, & lenitatis contemnis?*

18. Deus est summè beatus.

Esa. 42. v. 8. *Ego sum Dominus, illud est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.*

Dan. 7. v. 9. 10. *Videbam, donec solia abiecta sunt, & antiquus dierum sedit: cuius vestimentum, vt nix, album erat, & pili capitis vt lana munda, solium vt scintillæ ignis, rotæ vt ignis ardens: à cuius conspectu fluuius ignis manabat prodiens: cui millies mille ministrabant, & coram quo myrias myriadum stabant, donec, iudicio considente, libri aperti sunt.*

Psal. 104. v. 1. *Benedic anima mea Domino: Domine, Deus mi, magnus es valde; decorem & maiestatem induisti.*

Act. 7. v. 2. *Deus ille gloriæ visus est patri nostro Abrahamo.*

1. Tim. 1. v. 11. *Secundùm euangelium beati Dei.* Confer cap. 6. v. 15. & Iud. v. 24. 25.

19. Tres sunt personæ in vnâ essentiâ Dei.

1. Ioh. 5. v. 5. *Tres sunt qui testificantur in cœlo: Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

Matth. 28. vers. 19. *Profecti docete omnes gentes: baptizantes eos in nomen Patris & Filij & Spiritus sancti.* Confer Matth. 3.

Gen.1.v.26. *Postea dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram.* Confer Gen.11.v.7. & c.19.v.24.

Psalm.45.vers.8. *Dilexisti iustitiam & odisti improbitatem: propterea vnxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Hag.2.v.5. *Sum enim vobiscum, dictum Domini exercituum: cum* Verbo, *quo pepigeram vobiscum, exeuntibus vobis ex Ægypto, & Spiritu meo stante in vobis.*

20. Christus est Filius Dei vnigenitus, & verus Deus.

Psal.2.vers.7. *Dominus dixit mihi: Filius meus es tu; ego hodie genui te.*

Iohan.1. vers.1. *In principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, eratq; ille Sermo Deus.* Confer v.14.18. & Hebr. 1.vers.3.

Iohan.3.v.16. *Ita Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum illum dederit.*

Ierem.23.v.6. *Atq; hoc nomen eius est, quo vocabit eum Israel, Dominus iustitia nostra.*

Psal.110.vers.1. *Dixit Dominus Domino meo.*

Rom.9.vers.5. *Ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes, Deus benedictus in secula.*

Matth.3.v.17. *Hic est filius ille meus dilectus, in quo valde acquiesco.*

1.Iohan.5.v.20. *Sumus in verace illo, in filio eius Iesu Christo. Hic est verus ille Deus, & vita æterna.*

21. Spiritus sanctus est verus Deus, procedens à Patre & Filio.

Act.5.vers.3.4. *Dixit Petrus: Anania, cur impleuit Satan cor tuum, vt mentireris in Spiritum sanctum? non es mentitus hominibus, sed Deo.*

Iohan.15.v.26. *Cùm venerit Aduocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus, inquam, ille veritatis, qui à Patre emanat: ille testabitur de me.*

Gal.4.v.6. *Quoniam estis filij, emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem abba, id est, pater.*

LOCVS

LOCVS III.

De operibus Dei in genere.

1. Omnia Dei opera sunt ab ipso & propter ipsum.

Esa.66.v.2. *Omnia ista fecit manus mea, & per eam existunt omnia ista: dictum Domini.*

Rom.11. v.36. *Ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia.*

Prou.16.v.4. *Omnia operatus est Dominus propter se, etiamq; improbum ad diem malum.*

2. Opera Dei fiunt à Deo liberè.

Psal.115.v.3. *Deus noster in cœlis est, quidquid placet, facit.*

Apoc.4.v.11. *Dignus es Domine, qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu condidisti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.*

3. Opera Dei sunt bona, ampla, magna, & omninò indicia naturæ Dei.

Psal.33.v.4 5. *Rectum est verbum Domini, & omne opus eius constans: amat iustitiam & iudicium: benignitate Domini plena est terra.*

Psalm.104.vers.24. *Quàm ampla sunt opera tua, ô Domine! quàm ea omnia sapienter fecisti! quàm plena est terra possessione tuâ!*

Psalm.111.vers.2.3.4. *Magna opera Domini, exposita omnibus, qui delectantur illis: glorioſum & decorum opus eius, & iustitiam eius perstantem in æternum. Memoriam comparauit mirabilibus suis, gratiosus & misericors Dominus.*

Et vers.7.8. *Opera manuum eius sunt veritatis & iudicij: constantia omnia mandata eius.*

Dan.4.vers.37. *Nunc ego Nebucadnezar laudo, extolloq;, & glorifico regem cœli, cuius omnia opera veritatis, & cuius viæ sunt viæ iudicij.*

4. Omnia Dei opera sunt ipsi nota.

Psal.94.v.9. *An plantator auris non audiat? aut formator oculi annon intueatur?*

Psal. 147. v. 4. *Supputat* (Deus) *numerum stellarum, quotquot sunt, nominibus vocans.*

Hebr. 4. v. 13. *Non est vlla res creata non manifesta in conspectu ipsius: imò omnia sunt nuda & intimè patentia oculis eius.*

LOCVS IV.

De decretis Dei.

1. Deus ab æterno iudicauit bonum esse, vt aliquæ res in tempore extra ipsum existerent.

Esa. 46. v. 9. 10. *Ego sum Deus & nullus præterea, & nemo par est mihi. Indico à principio finem, & ab antiquitate, quæ nondum facta sunt, dicens; Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam faciam.*

Eph. 1. v. 4. *Elegit nos Deus in Christo ante iactum mundi fundamentum.* Pertinet huc vox προγνῶσις q. d. *antedecretum*, & προέγνω q. d. *prædecreuit* Act. 2. v. 23. Rom. 8. v. 29. c. 11. v. 2.

2. Decretum Dei est immutabile.

Psal. 33. v. 11. *Consilium* (Domini) *in seculum consistit; cogitationes animi eius in ætates singulas.*

Esa. 14. v. 27. *Dominus exercituum iniuit consilium, & quis irritum faciat? & manum eius extentam quis auertat?*

Hebr. 6. v. 17. *Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilij sui, fideiussit iureiurando.*

3. Quidquid Deus in tempore facit vel permittit, ab æterno facere vel permittere decreuit.

Iob. 14. v. 6. *Quandoquidem sunt præcisi dies eius* (hominis) *numerus mensium eius penes te est: determinationes fecisti, quas non transgrediatur.*

Prou. 16. v. 33. *In gremium conijcitur sors, à Domino autem est tota ratio eius.*

Act. 2. v. 22. 23. *Iesum Nazarenum definito consilio & præcognitione Dei deditum cùm accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis.*

Et c. 4.

Etc. 4. v. 28. *Vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum priùs definierat vt fierent.*

Eph. 1. v. 11. *Omnia agit* (Deus) *ex consilio voluntatis suæ.*

4. Deus ab æterno præscit opera sua & creaturarum.

Psal. 139. v. 2. 3. 12. 16. *Tu intelligis cogitationem meam è longinquo, omnium viarum mearum gnarus es, Ne tenebræ quidem ita obtenebrare possunt, quin tu perideas: sed nox, vt dies illustrat. Massam meam vident oculi tui, in libro tuo hæc omnia scripta sunt; ex quibus diebus formabantur, cùm nondum vllum ex eis exstaret.*

Esa. 44. v. 2. *Quis prædicat & indicat istud, aut ordinat istud mihi, ex quo dispositi populum æternum, vt futura, & quæ euentura sunt, indicentur illis.*

Etc. 48. v. 3. 4. 5. *Priora illa ab eo tempore indicaueram, & ex ore meo prodeuntia pronuntiaueram; ea repente effeci: atque euenerunt. Ex præscientiâ meâ erat, te durum esse: & neruum ferreum esse ceruicem tuam, frontemq; tuam chalybeam. Quapropter indicaui tibi ex eo tẽpore, cùm nondum eueniret, pronuntiaui tibi.*

Act. 15. v. 18. *Nota sunt Deo ab omni æuo omnia opera sua.*

5. Deus ab æterno nouit & decreuit ea, quæ non sunt futura.

Esa. 8. v. 9. 10. *Consociamini ô populi, & conteremini, auremque præbete quotquot istis in locis longinquis terræ, accingimini & conteremini; inite consilium, & irritum fiet: & loquimini verbum, & non existet. Nam Immanuelis existet verbum.*

LOCVS V.

De prouidentiâ Dei æternâ.

1. Deus ab æterno decreuit creare & gubernare mundum.

Apoc. 4. v. 11. *Tu* (Domine) *condidisti omnia, vt per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.*

Esa. 45. v. 12. *Ego feci terram, & hominem super eam creaui, ego manibus meis, extendentibus cœlos, omni quoque exercitui eorum præcepta dedi.*

2. Prouidentiâ Dei omnia gubernantur.

Esa.46.v.10. *Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum.*

Matth.10.v.29.30. *Nonne duo passerculi assario veneunt, & vnus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro? Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt.*

3. Prouidentia Dei æterna est immutabilis.

Act.4.v.28. *Vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius definierat vt fierent.* Vide paulo ante ad num.1. Esa.46.v.10.& loc.præced.num.2.

1.Sam.15.v.29. *Quin etiam qui est æternitas Israelis non committet mendacium, neque pœnitebit eum: non enim homo est, vt pœniteat eum.*

4. Decretum prouidentiæ non excludit officium nostrum, sed includit.

Matth.4.v.7. *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Psal.50.v.14.15. *Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota tua: Atque inuoca me tempore angustiæ, eripiam te vt honore afficias me.*

Psal.91.per totum, nominatim v.11.12.15.16. *Nam angelis suis præcipiet de te, vt conseruent te in omnibus viis tuis: Ambabus palmis sustineant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Simulac inuocauerit me, exaudiam eum, ipsi adero in angustiâ: eripiam eum, & honore afficiam eum: Longitudine dierum satiabo eum, deniq; efficiam vt fruatur salute meâ.*

LOCVS VI.

De prædestinatione.

1. Deus ab æterno decreuit salutem & damnationem quorundam, hoc est, alios elegit, alios reprobauit, seu non-elegit.

Esa.44.v.2. *Quis, vt ego, prædicat, & indicat istud, aut ordinat istud mihi, ex quo disposui populum æternum?*

Et c.45.v.17. *Israel seruatur per Dominum salute æternâ: non erube-*

erubescetis, neq; ignominiosi reddemini in sempiterna secula.

Soph.3.v.17. *Dominus Deus tuus in medio tui potens, seruaturus est, gauisurus de te lætitiâ, conquieturus in amore suo, exultaturus de te cantu.*

Matth.11.v.25.26. *Iesus dixit, Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine cœli & terræ, quòd hæc occultaueris à sapientibus & intelligentibus: & ea retexeris infantibus. Etiam, Pater, quia ita placuit tibi.*

Et cap.20.v.16.& c.22.v.14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Marc.13.v.20. *Propter electos, quos elegit, contraxit Deus dies illos:* scil. obsidionis Hierosolymitanæ.

Luc.2.v.34. *Ecce positus est iste* (Iesus) *in casum & resurrectionem multorum in Israel.*

Act.13.v.48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

Rom.8.v.28.29.30. *Nouimus iis qui diligunt Deum omnia simul conferre ad bonum, iis videlicet qui ex proposito ipsius vocati sunt. Nam quos prædecreuit (προέγνω) eos etiam prædestinauit, vt conformes fiant imagini filij eius: quos autem prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: & quos iustificauit, eos etiam glorificauit.*

Rom.9.v.11.12.13. *Nondum natis pueris* (Esau & Iacob) *cum nihil fecissent boni vel mali, vt propositum Dei quod est secundùm electionem maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei* (Rebeccæ) *Maior seruiet minori. Sicut scriptum est, Iacobum dilexi, Esavum verò odio habui.*

Et cap.11.v.2. *Non abiecit Deus populum suum, quem prædecreuit.*

1.Thess.5.vers.9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem.*

Iudæ v.4. *Subrepserunt quidam homines, priùs iam olim descripti ad hanc damnationem.*

2. Prædestinatio pendet à mero Dei beneplacito.

Matth.11.v.26. *Etiam, Pater: quia sic placuit tibi;* seu, vt Syrus habet, *quia sic fuit beneplacitum coram te.*

Rom.9.

Rom.9.v.18. *Cuius vult, miseretur: quẽ autem vult, indurat.*

Eph.1.v.5. *Prædestinauit nos ad adoptionem filiorum per Iesum Christum ad seipsum, secundùm beneplacitum voluntatis suæ.*

Et vers.11. *Prædestinati sumus secundùm propositum eius, qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.*

3. Christus ab æterno electus est, vt esset mediator noster.

Esa.42.v.1. *En seruus meus, quem sustento, electus meus, quem benignè accipit anima mea.* Confer Matth.12.v.18.

Act.2.v.23. *Iesum, definito consilio, præcognitione Dei, deditum, cùm accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis.* Confer Act.4.v.28.

1.Petr.1.v.20. *Præsciti quidem* (Christi) *ante iacta mundi fundamenta, patefacti verò vltimis temporibus propter vos.* Confer cap.2.v.4. vbi Christus dicitur *lapis ab hominibus reprobatus, apud Deum verò electus.*

4. Quidam angeli ab æterno sunt electi ad vitam æternam.

1.Timoth.5.vers.21. *Obtestor in conspectu Dei & Domini Iesu Christi, & electorum angelorum.*

5. Quidam homines ab æterno sunt electi ad vitam æternam.

Rom.9.v.23. *Notas fecit diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.*

1.Thess.5.v.9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

2.Tim.1.v.9. *Seruauit nos* (Deus) *& vocauit vocatione sanctâ: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratiâ.*

Esa.44.v.2. *Quis prædicat & indicat istud mihi, ex quo disposui populum æternum.*

Iohan.17.v.6. *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, selectos è mundo.*

6. Homines qui sunt electi, in Christo sunt electi.

Ephes.1.v.4. *Deus elegit nos in ipso* (Christo) *ante iactum mundi fundamentum.*

Ioh 3.v.16. *Ita Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum illum vnigenitum dederit, vt, quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam aternam.*

Epheſ.3.v.11. *Præſtitutum æternum conſtituit Deus in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Confer 1.Petr.1.v.20. ad num. præced.3.

7. Electio non excludit, ſed includit, ſtudium bonorum operum, tanquam effectum & infallibile ſignum.

Eph.1.v.4. *Deus elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante iactum mundi fundamentum, vt ſimus ſancti & inculpati in conſpectu eius cum charitate.*

2.Theſſ.2.v.13.14. *Nos debemus gratias agere Deo ſemper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad ſalutem per ſanctificationem ſpiritus & fidem habitam veritati.*

8. Electio noſtri ad vitam æternam eſt gratuita.

Rom.9.v.16. *Electio non eſt eius qui vult, neq; eius qui currit, ſed eius, qui miſeretur, nempe Dei.* Confer num.2.& paulò pòſt Deut.7.ad num.12.

9. Electio ad vitam æternam eſt immutabilis.

2.Tim.2.v.19. *Solidum fundamentum Dei ſtat, habens hoc ſigillum: Nouit Dominus, qui ſint ſui.*

Iohan.17.v.9. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro iis, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.*

1.Petr.2.v.6. *Ecce ſtatuo in Sion lapidem angularem, electum, pretioſum: in quem qui credit, nequaquam pudefiet.*

10. Pauci ſunt electi reſpectu reproborum.

Matth.22.v.14. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

Et c.7.v.13.14. *Introite per anguſtam portam: quoniam lata eſt porta, & ſpatioſa via, quæ abducit in exitium, multiq; ſunt, qui introeunt per eam. Quia anguſta eſt porta, & ſtricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniant eam.*

11. Electionis æternæ conſideratio eſt fundamentum gaudij ſpiritualis.

Luc.10.verſ.20. *Gaudete, quòd nomina veſtra ſint ſcripta in cœlis.*

12. Deus

12. Deus ab æterno non elegit quosdam angelos.

2. Petr. 2. v. 4. *Deus angelis, qui peccauerunt, non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi seruatos.*

Iudæ v. 6. *Angelos, qui non conseruarunt originem suam, sed reliquerunt suum domicilium, iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

13. Deus ab æterno quosdam homines non elegit ad vitam æternam.

Rom. 9. v. 13. *Iacobum dilexi, Esauum odio habui.*

Et v. 18. *Itaq; cuius vult, miseretur, quem autem vult, indurat.*

Et v. 22. *Volens* (Deus) *ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multâ lenitate vasa iræ, coagmentata ad interitum.*

Iudæ v. 4. *Subrepserunt quidam homines iam olim præscripti ad hanc damnationem, impij, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciuiam.*

Deut. 7. v. 6. 7. 8. *Nam populus sanctus es Iehouæ Deo tuo: te selegit Iehoua Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris præ omnibus populis qui sunt sub vniuerso cœlo. Non eò quòd plures essetis omnibus reliquis populis, amore propendit Iehoua in vos: vos enim eratis populus paucissimus omnium populorum: Sed eò quòd diligit Iehoua vos.* Confer Act. 14. v. 16. 17.

LOCVS VII.

De Creatione.

1. Solus Deus, Pater, Filius & Spiritus sanctus, creauit cœlum, terram, & omnia quæ in iis sunt.

Gen. 1. v. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.*

Exod. 20. v. 11. *Sex diebus perfecit Dominus cœlum ipsum, & terram, mare, & quidquid est in eis.*

Esa. 40. v. 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas, & cœlos spithamâ expandit, aut complexus est trientali puluerem terræ? & ponderauit statera montes, & colles lancibus?*

Prou. 3.

Prou.3.v.19.20. *Dominus sapientiâ fundauit terram, statuit cœlos intelligentiâ: scientiâ eius abyßi diffiſſæ ſunt, & ſuperiores nubes deſtillant rorem.*

Ier.51.v.15. *Deus fecit terram virtute ſuâ, ſtabilijt orbem habitabilem ſapientiâ ſuâ, & prudentiâ ſuâ extendit cœlos.*

Iohan.1.v.3. *Omnia per hunc Sermonem facta ſunt, & abſq; eo factum eſt nihil, quod factum ſit.*

Et v.10. *Mundus per eum factus eſt.*

Coloſſ.1.v.16.17. *Per eum* (Chriſtum) *condita ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terrâ, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominia, ſiue imperia, ſiue poteſtates: omnia, inquam, per eum, & eius reſpectu condita ſunt.*

Gen.1.v.2. *Et ſpiritus Dei incubabat ſuperficiei aquarum.*

2. Prima creatio intra primos ſex mundi dies peracta eſt.

Gen.1.& 2.nominatim c.2.v.2. *Cùm perfeciſſet Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.* Vide Exod.20.verſ.11.ad num. præced.

3. Deus omnia creauit ſimplici nutu & iuſſu.

Gen.1.v.3. *Dixit Deus, eſto lux: & fuit lux.*

Et v.11. *Dixit Deus, herbaſcat terra herbulis.*

Pſal.148.v.5. *Laudent nomen Domini, quæ, ipſo præcipiente, illico creata ſunt.*

2.Cor.4.v.6. *Dixit* (Deus) *vt è tenebris lux ſplendeſceret.*

4. Deus ex nihilo creauit mundum.

Roman.4.verſ.17. *Vocante* (Deo) *quæ non ſunt, tanquam ſunt.*

Hebr.11.v.3. *Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei, vt quæ cernimus non ſint ex apparentibus facta.*

5. Deus creauit omnia valde bona.

Gen.1.verſ.31. *Inſpexit Deus, quidquid fecerat: ecce autem, bonum erat valde.*

1.Tim.4.v.4. *Quidquid condidit Deus, bonum eſt.*

6. Deus omnia fecit propter ſeipſum, & propter hominem, inprimis propter electos ſuos.

Prou.16.v.4. *Omnia operatus eſt Iehoua propter ſe.*

Rom.

Rom.11.verſ.vlt. *Nam ex eo, & per ipſum, & in ipſum ſunt omnia.*

Gen.1.v.28.29.30. *Deinde benedixit eis* (Adamo & Euæ) *Deus, & dixit eis: Fœtificate, ac augeſcite & implete terram, eamq; ſubijcite: & dominamini in piſces maris, & in volucres cœli, & in omnes beſtias reptantes ſuper terram. Præterea dixit Deus, ecce dedi vobis omnes herbas ſementantes ſemen, quæ ſunt in ſuperficie totius terræ, omnesq; arbores, in quibus eſt fructus arboreus, ſementantes ſemen: veſtræ ad comedendum erunt.* Confer Pſalm.8. & Gen.9.v.1.2.3.

Hebr.1.v.vlt. *Nonne omnes* (angeli boni) *ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterij causâ emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis.*

1.Cor.3.verſ.21.22.23. *Omnia enim veſtra ſunt: Et Paulus, & Apollos, & Cephas, & mundus, & vita, & mors, & præſentia, & futura: omnia, inquam, veſtra ſunt. Vos autem Chriſti: Chriſtus verò Dei.*

LOCVS VIII.

De gubernatione mundi, ſiue prouidentiâ Dei quâ regit vniuerſa.

1. Deus omnia regit vniuersè.

Nehem. 9.v. 6. *Tu ille Dominus ſolus es, tu feciſti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum illorum, terram, & quidquid eſt in eis, & tu viuificas hæc omnia: etiam exercitus cœlorum tibi ſe incuruant, honorem exhibentes.*

Pſal.104.per totum: nominatim v.27.28.29.30. *Omnia iſta in te expectationem habent, vt des eſcam ipſorum tempore ſuo: Te dante ipſis colligunt, aperiente manum tuam ſatiantur bono: Abſcondente faciem ſuam conturbantur; recipiente ſpiritum ipſorum exſpirant, & in pulueremſuum reuertuntur: Emittente ſpiritum tuum recreantur: deniq; renouas faciem terræ.*

Eſa.45.verſ.57. *Cognoſcent, me eſſe Dominum formantem lucem, & creantem tenebras, facientem pacem, & creantem malum; me Dominum facere omnia iſta.*

Thren.

Thren.3.v.37.38. *Ecquo dicente existit aliquid, si Dominus non præceperit? Ex ore excelsi an non prodit malum quodque & bonum?*

Amos 3.v.6. *An erit malum in ciuitate, quod Dominus non efficiat?*

Act.17.v.25. *Cùm ipse* (Dominus) *det omnibus vitam, & halitum, & omnia.*

Et v.28. *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.*

2. Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, regit mundum, & omnia in ipso.

Gen.19.v.24. *Iehoua demisit super Sodomam & Gomorrham, pluuiam sulphuris & ignis; à Iehouâ è cœlis.*

Iohan.5.v.17. *Iesus autem respondit eis, Pater meus vsq; adhuc operatur, & ego operor.*

Hebr.1.vers.3. *Qui* (Filius Dei) *cùm sit effulgentia gloriæ, & character personæ illius, sustineatq; omnia verbo illo suo potente.*

Gen.1.v.2. *Spiritus Dei incubabat superficiei aquarum.*

1.Cor.12.v.11. *Sed omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim illa singulis sicut vult.* Exempla vide Exod. 28.v.3.c.31.v.3.c.35.v.31. Num.11.v.17.25.26.29.c.24.vers.2. c.27.v.18. Deut.34.v.9. Iudic.3.v.10.c.6.v.34.c.11.vers.29. c.14.v.6.19.1.Sam.10.v.6.10.c.11.v.6. quibus locis homines quidam dicuntur repleti fuisse Spiritu Dei, & Spiritus Domini dicitur irruisse siue insiliisse super ipsos.

3. Deus regit mundum fermè ordinariè, nonnunquam etiam extraordinariè.

Hos.2.v.21.22. *Erit etiam die illo, vt exaudiam, dictum Iehouæ; exaudiam cœlos, & ipsi exaudiant terram; Et terra exaudiat frumentum, & mustum, & oleum; & ista exaudiant Iizrehelem.*

Psal.104.v.9. *Terminum opposuisti abysso, ne transeant aquæ, ne reuertantur ad operiendum terram.*

Et 147.vers.9. *Dat iumentis cibum suum, pullis coruorum, qui crocitant.*

Gen.8.v.21.22. *Dixit Iehoua cum animo suo: non iterum maledicturus sum ampliùs terræ propter hominem, eò quòd figmentum cordis hominis sit malum à pueritiâ ipsius: iterumq; non percutiam*

amplius omnia viuentia, quemadmodum feci. Deinceps quamdiu erit terra; sementis & messis, frigus q3 & æstus, & æstas & hiems, dies q3 & nox non cessabunt. Confer Deut.28. Psal.104. Matt. 5.v.45.c.6.v.26.30.

Act.14. v. 17. *Quanquam non passus est se esse expertem testimonij, bona tribuendo, dans nobis cælitus pluuias ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & lætitiâ corda nostra.*

Psalm.135.v.9. *Deus immisit signa & prodigia in medium tui, Ægypte; contra Pharaonem, & seruos eius.* De hac extraordinariâ gubernatione vide *Psal.* 105.106. Huc pertinent seqq. beneficia & iudicia Dei, diluuium *Gen.7.vers.*11. confusio Babylonica *Genes.*11.*v.*7.8.9. decem plagæ Ægypti, *Exod.* 7.*& seqq.* transitus per mare rubrum *Exod.*14. petra percussa fundens aquam *Exod.* 17. *v.*6. varia miracula in deserto, annis quadraginta *Act.*7. *v.*36. transitus per Iordanem *Ios.*3.*v.*16.17. statio solis & lunæ *Ios.*10.*v.*13. miraculosa multiplicatio farinæ, olei, panis. 1.*Reg.*17.*v.*16. *Matth.*14. *vers.*20. vmbra solis retrogradã 2.*Reg.*20.*vers.*10.11. conseruatio sociorum Danielis in fornace Babylonica. *Dan.*3. *vers.*24.25.26. aqua in vinum versa à Christo *Iohan.*2.*v.*8.9. 10. & alia ipsius miracula.

4. Deus regit mundum sapienter, & valde bene.

Deut.32.vers.4. *Rupis illius opus est perfectum. Omnes enim viæ illius sunt ius: Deus fidelis, & expers iniquitatis, iustus & rectus est.*

Psalm.104. vers.24. *Quàm ampla sunt opera tua, ô Domine! quàm ea omnia sapienter fecisti! quàm plena est terra possessione tuâ!*

Psalm.111. v.2.3.4. *Magna opera Domini, exposita omnibus, qui delectantur illis: glorioſum & decorum opus eius, & iustitiam eius perstantem in æternum. Memoriam comparauit mirabilibus suis, gratiosus & misericors Dominus.*

Et vers.7.8. *Opera manuum eius sunt veritatis & iudicij: constantia omnia mandata eius.* Confer Dan.4.v.37.

Rom.8.v.28. *Nouimus, iis, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento esse ad bonum.*

5. Deus

5. Deus regit magna & parua.

Iere.5.vers.22. *An me non reuerebimini? dictum Domini: an à facie meâ non contremiscetis? qui dispositi arenam terminum mari, statuto perpetuo, quod non transgredietur; quamuis incutiant se, non tamen prævalent; quamuis fremant fluctus eius, non tamen transgrediuntur illud.*

Psal.147.vers.7.8.9. *Acclamate Domino gratiarum actione: qui obtegit cœlos densis nubibus, qui comparat terræ pluuiam, qui facit, vt proferant montes fœnum: dat iumentis cibum suum, pullis coruorum, qui crocitant: qui edit niuem, sicut lanam, pruinam quasi cinerem dispergit: deijcit gelu suum tanquam frusta, emittens verbum suum, liquefacit ista: simulac efflat ventum, effluunt aquæ.* Confer Iob.36.37.38.39.

Psalm.34.vers.21. *Seruat* (Dominus) *omnia ossa eius* (iusti) *vnum ex illis non frangitur.*

Prou.21.vers.1. *Vt riui aquarum, sic animus regis est in manu Domini: quocunque vult, inclinat eum.*

Ion.4.v.7. *Parauit Deus vermem ascendente aurorâ, postero manè: quo lædente vicinum, exaruit.*

Matth.6.v.26.30. *Intuemini in volucres cœli: non enim serunt, neq; metunt, neque cogunt in horrea, sed Pater ille vester cœlestis alit eas. Si herbam agri, quæ hodie extat, & cras in clibanum immittitur, Deus ita circumuestit: nonne vos multò magis, ô exiguâ fide præditi.*

Etc.10.v.29. *Nonne duo passerculi assario veneunt, & vnus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro?*

6. Deus regit peccata sanctè, ita vt non sit author peccati.

Psal.5.vers.5. *Non es Deus, qui delectetur improbitate: non est commoraturum apud te malum.*

Iac.1.v.13. *Nemo cùm tentatur, dicat, à Deo tentor. Nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat.*

1.Ioh.1.v.5. *Hic est nuntius ille, quem audiuimus ex ipso, & renuntiamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo vllas esse.*

Exod.7.vers.6. *Ego verò obdurabo cor Pharaonis.*

2.Sam.12.vers.11.12. *Sic ait Iehoua, Ecce ego suscitaturus sum*

contra te malum è domo tuâ: & accipiens vxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo: qui cubabit cum vxoribus suis coram isto sole. Quia tu fecisti clam, etiam ego facturus sum rem hanc coram toto Israële, & coram sole.

2.Sam.16.v.10.11. *Si Iehoua dixit ei* (Simei) *Maledic Dauidi: ecquis dicat, Quare sic facis? Sinite eum vt maledicat: quia edixit ei Iehoua.*

1.Reg.22.v.21.22. *Prodijt quidam spiritus, qui consistens coram Domino, dixit: Ego pelliciam eum.* (Achabum) *Dicente verò Domino, quo pacto? Dixit: Egressus ero spiritus mendacij in ore omnium prophetarum eius. Tunc dixit, Pellicies etiamq; præualebis: exi, & fac ita.*

Esa.10. vers.5. & deinceps. *Væ Assyrio* (Sanheribo) *virga iræ meæ: quamuis in manu baculus est indignationis meæ: In gentem hypocritam immittam ipsum, & contra populum, in quem excandui, dabo mandata ipsi; vt prædetur prædam, & vt diripiat rapinam, &c.*

Actor.2.v.23. *Hunc* (Iesum) *definito consilio & antedecreto Dei deditum cùm accepissetis, manibus sceleratorum affixum interemistis.*

Et cap.4.vers.27.28. *Congregati verò sunt contra sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti. Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël, vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius definierat, vt fierent.*

LOCVS IX.

De angelis.

1. Angeli sunt spiritus meri, hoc est, à corpore liberi.

Hebr.1.v.14. *Nonne omnes* (angeli boni) *sunt ministratoves Spiritus?*

Matth.10. vers.1. *Dedit eis potestatem aduersus spiritus immundos.*

Luc.24.v.39. *Spiritus carnem & ossa non habet.*

2. Ange-

2. Angeli sunt à Deo creati.

Coloss.1.v.16. *Per eum* (Christum) *condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terrâ, visibilia & inuisibilia.*

3. Angeli boni sunt sancti, & Deo promptè obsequuntur.

Luc.9.v.26. *Quando venerit* (Filius hominis) *cum gloriâ suâ, & Patris, sanctorumq; angelorum.*

Psal.103.vers.20.21. *Benedicite Iehouæ, angeli eius; valentissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci verbi eius. Benedicite Iehouæ omnes exercitus eius: ministri eius, facientes placitum eius.* Confer Zach.1.vers.10. vbi de angelis dicitur: *Hi sunt, quos misit Dominus, ad perambulandam terram.*

4. Boni angeli ordinariè habitant in cœlo beatorum.

Matth.18.v.10. *Videte ne contemnatis aliquem ex paruis istis: dico enim vobis, angelos eorum in cœlis per omne tempus videre faciem Patris mei qui in cœlis est.*

5. Bonorum angelorum numerus est longè maximus.

Dan.7.v.10. *A cuius* (Dei) *conspectu fluuius ignis manabat, prodiens, cui millies mille ministrabant, & coram quo myrias myriadum stabant.*

Matth.26.v.53. *An putas, me non posse nunc precari Patrem meum, qui huc mihi sistat plures, quàm duodecim legiones angelorum?* id est, 79992. si nempe legio constet 6666.

Hebr.12.v.22. *Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & myriadas angelorum.*

Apoc.5.v.11. *Aspexi, & audiui in circuitu throni & animalium, & senum, vocem angelorum multorum, numero millies centies mille & decies centies mille.*

6. Bonorum angelorum potentia est admodum magna.

Psalm.103.vers.20. *Benedicite Domino angeli eius, valentissimi robore.*

2.Petri 2.vers.12. *Ipsi angeli, qui sunt robore ac potestate maiores.*

2.Reg.19.verſ.35. *Nocte prodiens angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.*

7. Deus per bonos angelos ſolet

a) hominibus impiis vel piis, plurimùm tamen piis, aliquid nuntiare.

b) pios protegere, illorumq; animas in cœlum deferre.

c) pios caſtigare.

d) impios punire.

e) impios reges coercere, ne noceant piis.

f) homines in fine ſeculi à quatuor mundi plagis colliget.

a) Impio Bileamo *Num.22.v.32.& deinceps.* Piis: vt, Lotho, *Gen.19.v.13.* Manoacho, parenti Simſonis, *Iudic.c.13. v.3.4.5.* Danieli, *Dan.8.verſ.16.cap.9.verſ.21.& ſeqq.* Zachariæ, patri Iohannis Baptiſtæ, *Luc.1.verſ.13.* Mariæ virgini, *ibid.verſ.26.& deinceps.* Paſtoribus Bethlehemiticis *Lucæ 2. verſ.10.& ſeqq.* Ioſepho, marito Mariæ virginis, *Matth.1. verſ.20.& deinceps.cap.2.v.13.19.20.* mulieribus Chriſtum quærentibus in ſepulchro, *Matth.28.verſ.5.* apoſtolis ſpectantibus Chriſtum aſcendentem in cœlum, *Actor.1.v.10. & ſeqq.* Iohanni apoſtolo in ecſtaſin rapto, *Apoc.1.v.1.*

b) Pſal.34.verſ.8. *Caſtra metatur angelus Iehouæ circa timentes eum, & eripit eos.*

Pſal.91.verſ.11.12. *Angelis ſuis præcipiet de te, vt conſeruent te in omnibus viis tuis: ambabus palmis ſuſtinebunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Confer Hebr.1.verſ.14. Exempla vide *Geneſ.19.verſ.10.16.* in hiſtoria Lothi, *Geneſ.32.verſ.1.* in hiſtoriâ Iacobi, *1.Reg.19.verſ.5.& ſeqq.* de Eliâ, *2.Reg.6.verſ.16. & ſeqq.* de Eliſæo, *2.Reg.19.verſ.35.* de Sennacheribo cæſo, & Hiskiâ liberato. *Dan.3.verſ.35.* de tribus ſociis Danielis, *Dan.6.verſ.23.* de Daniele in foueâ leonum.

Luc.16.verſ.22. *Lazarus apportatur ab angelis in ſinum Abrahæ.*

c) 2.Sam.24.verſ.15.17. *Angelus Iehouæ percuſſit peſte viros ſeptuagies mille.*

Luc.1.v.20. *Angelus Gabriel Zachariam effecit mutum, propterea quod non crediderat ipsi promittenti ei filium ex vxore.*

d) Gen.19. *Duo angeli perdunt Sodomitas & illorum vicinos.*

2 Reg.19.vers.35. *Angelus occidit centum octoginta quinque millia in castris Assyriorum.*

Act. 12. vers. 23. *Angelus percussit Herodem, vt exederetur à vermibus.*

e) Dan.10.vers.13. Angelus Gabriel dicebat Danieli: *Princeps regni Persici stetit coram me vno & viginti diebus, cùm ecce Michaël primus è principibus primariis venisset ad adiuuandum me.*

Et vers. 20. *Reuertor ad pugnandum contra principem Persidis.*

f) Matth.24.vers.31. *Mittet angelos suos cum tubæ voce magnâ, & cogent electos eius, &c.* Confer 1.Thess.4.v.16.

8. Angeli boni non sunt adorandi, sed imitatione virtutis honorandi.

Apoc.19.vers.10. Cùm Iohannes cecidisset ante pedes angeli vt adoraret eum, dixit ille: *Vide ne feceris. Conseruus tuus sum.* Idem repetitur cap.22.vers.9.

Matth.6.vers.10. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, ita & in terrâ.* Et omninò si volumus post hanc vitam esse ἰσάγγελοι, hoc idem in hâc vitâ à nobis requiritur. Luc.20.vers.35. 36. Matth.23.vers.30.

9. Christus est caput angelorum.

Apoc. 12. vers. 7. *Michael & angeli eius præliati sunt cum dracone.*

10. Angeli mali fuerunt boni creati.

Iohan.8.vers.44. *Ille* (diabolus) *fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit.*

Iudæ vers.6. *Angelos, qui non conseruarunt suam originem; sed reliquerunt suum domicilium, iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

11. Angeli mali sunt multi.

Lucæ 8. vers. 30. *Interrogauit autem eum* (Spiritum immundum) *Iesus, dicens, Quod tibi nomen est? Ipse verò dixit,*

Legio. Nam dæmonia multa ingressa erant in ipsum.

12. Princeps malorum angelorum nominatur

Satan, Iob.1.vers.6. Zach.3.vers.1. Luc.10.vers.18. Apoc. 12.v.9. 1.Thess.2.v.18.

Beelzebub, Matth.12.vers.24.

Diabolus, Matth.25.v.41. Iohan.8.v.44. 1.Iohan.3.v.8. Apoc.12.v.9. Eph.6.v.11. Iac.4.v.7.

ὁ πονηρὸς, id est, *nequam ille*, Matth.6.v.13. Eph.6.vers.16. 1.Iohan.3.vers.12.

ὁ πειράζων, id est, *tentator*, Matth.4.vers.3. 1.Thess.3. vers.5.

Princeps mundi, Iohan.12.vers.31.

Draco magnus, Apoc.12.v.9.

Serpens antiquus, ibid.

Deus huius seculi, 2.Cor.4.v.4.

Aduersarius fidelium, 1.Petri5.v.8.

Accusator fidelium, Apoc.12.v.10.

13. Mali angeli sunt tales affectu & effectu.

Hoc testantur ipsorum nomina, quibus appellantur,

Spiritus mali, 1.Sam.16.v.15.

Sehirím, id est, horridi, Ier.17.v.7.

Schedím, id est, vastatores, Deut.32.v.17.

Spiritus immundi, Matth.10.v.1.

Principatus, potestates, domini mundi, rectores tenebrarum seculi huius, spirituales malitiæ, seu spiritus nequam, Eph.6.vers.12. Vide etiam num.præced.

14. Angeli mali ex inferno emittuntur, ad castigandum & exercendum pios, & seducendum atque vexandum impios.

2.Petri 2. vers.4. *Deus angelis, qui peccauerunt, non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi seruatos.* Vide Iudæ vers.6. ad num.10.

1.Sam.16.v.15. *Nam spiritus Iehouæ recesserat à Saule; perturbatq; eum spiritus malus à Iehouâ.* Confer cap.18. vers.10. & 19.vers.9.

Iob.1.

Iob.1.v.7. Satan dicit, se *venire à peragrandâ terrâ*. Confer cap.2.vers.2.

Et cap.1.vers.12.& seqq. *Exiuit Satan à conspectu Iehouæ*, vt nempe affligeret Iobum. Confer cap.2.

1.Reg.22.v.22. *Dixit spiritus malus: Egressus, ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius*, Achabi.

1.Petri 5.vers.8.9. *Sobrij estote & vigilate. Nam aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, obambulat, quærens, quem deuoret: cui resistite firmi per fidem.*

Eph.6.v.11. *Induite vniuersam armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

1.Thess.2.v.18. *Impediuit nos Satanas.*

Apoc.12.v.9. *Qui* (Satanas) *seducit totum terrarum orbem.*

Et v.12. *Væ incolis terræ & maris! Nam descendit diabolus ad vos, excandescentiæ magnæ plenus, vt qui sciat, se exiguum tempus habere.* Confer cap.20.v.1.2.3.8.

Luc.8.vers.30. *Dæmonia multa ingressa erant in eum.* Vide passim in historiâ euangelistarum de hominibus à diabolo obsessis.

15. Diabolus, & ipsius angeli, non possunt hominem plus lædere, quàm Deus eis permittit.

Iob.1.v.12. *Itaq; dixit Iehoua Satanæ, ecce quæcunque sunt ei* (Iobo) *in manu tuâ sunto, tantummodò ne in ipsum mittito manum tuam: & exiuit Satan à conspectu Iehouæ.*

Et cap.2.v.6. *Tum Iehoua Satanæ, ecce eum, inquit, in manu tuâ; veruntamen vitam eius serua.*

Matth.8.vers.31.32. *Dæmones verò precabantur eum, dicentes, Si eijcis nos, permitte nobis abire in gregem pecorum illorum. Et ait eis, Abite. Illi verò egressi abierunt in illum gregem porcorum.*

16. Mali angeli non sunt adorandi aut consulendi, sed piis precibus sanctâque vitâ à nobis pellendi.

Matth.4.v.9. *Dixitq;* (diabolus) *ei* (Iesu.) *Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus. Abi Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies.*

Deut.18.vers.10. *Non inuenitor in te diuinans diuinationes, præstigiator, & augur, neq; maleficus, neque incantator, neque interrogans Pythonem, neq; magus, neque quærens à mortuis. Abominationi enim Iehouæ est, qui facit hæc.* Vide historiam Saulis 1.Sam.28.

1.Petri 5.v.8.9. *Sobrij estote & vigilate. Nam aduersarius vester diabolus, &c.* Vide num. præced. 14. & ibid. Ephes. 6. vers. 11.

Matth. 17. v. 21. *Hoc verò genus dæmoniorum non egreditur nisi per precationem & ieiunium.* Confer Marc. 9. v. 29.

Et c. 26. vers. 41. *Vigilate & orate, ne introeatis in tentationem.* Confer Marc. 13. v. 13.

Iacob. 4. vers. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Confer Matth. 4. vers. 11.

LOCVS X.

De gratiâ primi hominis.

1. Homo à Deo conditus fuit bonus.

Gen. 1. v. 27. *Itaq; creauit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem, inquam, Dei creauit eum.*

Eccles. 7. v. 29. *Deus fecit hominem rectum.*

2. Gratia animæ in homine protoplasto erat sapientia & iustitia originalis, hoc est, naturaliter propaganda.

Coloss. 3. v. 10. *Induite nouum illum hominem, qui renouatur in agnitionem* (Dei) *secundùm imaginem eius, qui creauit eum.*

Eph. 4. v. 24. *Induite nouum illum hominem, qui secundùm Deum conditus est in iustitiâ & sanctitate verâ.*

3. Gratia corporis in primo homine erat immortalitas & eximia pulchritudo, vtraque naturaliter propaganda, hoc est, pendens à iure creationis.

Gen. 2. v. 17. *Nam quo die comederis de eo, vtiq; morieris.*

Et cap.

Et cap.3.v.19. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Et cap. 2. v. 25. *Erant ambo nudi, Adam & vxor eius, ac non pudebat eos.*

4. Gratia loci erat in paradiſi amœniſſimo ornatu, & vſu ſufficientiſſimo.

Gen.2.v.8. *Ornauerat autem plantis Iehoua Deus hortum in Edene ab oriente, vbi collocauit hominem illum, quem finxerat.*

Et verſ.16. *De fructu quidem omnis arboris huius horti liberè comedes.*

5. Gratia totius perſonæ in primo homine conſiſtebat in dominio ſuper animalia.

Gen.1.v.28. *Dominamini in piſces maris, & in volucres cœli, & in omnes beſtias reptantes ſuper terram.* Confer Gen.2.v.19. 20.vnde colligitur, hominem à beſtiis pro domino fuiſſe cognitum. Beſtiæ ſiquidem ſeſe ſtiterunt coram Adamo, vt eis nomina imponeret.

6 Continuatio gratiæ primi hominis, ſeu integritatis naturæ, nitebatur fœdere naturæ, cuius ſacramentum erat arbor vitæ.

Geneſ.2.v.16.17. *Interdixit Dominus Deus homini dicendo: De fructu quidem omnis arboris huius horti liberè comedes: de fructu verò arboris cognitionis boni & mali, de iſto ne comedas. Nam quo die comederis de eo, vtique morituris es.* Confer Gen.3.verſ. 1.2.3.4.

Geneſ.2.verſ.9. *Arbor quoq; vitæ in horto illo.* Confer Geneſ.3.verſ.22.

LOCVS XI.

De coniugio.

1. Coniugium eſt arctiſſimum fœdus inter vnum virum & vnam fœminam.

Malach.2.verſ.14. *Propterea quòd Iehoua teſtificatus eſt inter te & vxorem adoleſcentiæ tuæ, contra quam tu perfidè agis, cùm ſit ſocia tua, & vxor fœderis tui.*

Gen.a

Gen.2.v.23.24.*Dixit Adam: Hæc ipſa demum eſt os ex oſſibus meis, & caro ex carne meâ: hæc vocabitur vira, eò, quòd hæc ex viro deſumpta eſt. Idcircò relicturus eſt vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, eruntq; in carnem vnam.*

Matth.19. verſ.4.5.6. *Ille verò* (Ieſus) *reſpondens dixit eis, Non legiſtis opificem ab initio feciſſe maſculum & fœminam? Et dixiſſe, Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori ſuæ: & qui duo fuerant, erunt vna caro? Itaq; non ampliùs ſunt duo, ſed vna caro.* Confer Eph.5.v.31.

2. Fœcundum coniugium pendet à benedictione Dei cùm generali, tùm ſpeciali.

Gen.1.v.28.*Benedixit eis* (hominibus) *Deus: & dixit Deus, fœtificate, ac augeſcite, & implete terram.*

Gen.16. verſ.2. *Dixit ergo Sarai Abramo, Ecce nunc occluſit me Iehoua, ne parerem.*

Et cap.30. verſ.1.2. *Cùm autim videret Rachel ſe non parere Iacobo, æmulata eſt Rachel ſorori ſuæ, dixitq; Iacobo, Cedò mihi liberos, ſin minùs, morior. Sed accenſa eſt ira Iacobi in Rachelam: adeò vt diceret, an loco Dei ſum ego? qui prohibuit à te fructum ventris?*

Pſal.127.verſ.3. *Ecce poſſeſſio Iehouæ ſunt filij: merces eſt fructus ventris.* Confer Pſal.128.

3. Coniugium, etiam poſt lapſum, eſt ſtatus Deo placens.

Hebr.13.v.4.*Honorabile eſt inter quoſuis coniugium, & cubile impollutum: ſcortatores autem & adulteros damnabit Deus.*

Vide etiam Matth.19.ad num.prꝫced.1. Pertinent huc exempla patriarcharum, ſacerdotum, prophetarum, & aliorum ſanctorum, qui vixerunt in coniugio.

De coniugio ſacerdotum vide *Leuit.21.v.9.13.* & deinceps: de coniugio epiſcoporum. 1.*Tim.3.v.2. Tit.1.v.6.*

4. Coniugium non debet contrahi à perſonis, quæ propter conſanguinitatem vel affinitatem prohibentur id facere.

Vide *Leuit.18. & 20.* Confer ſupra cum Iuriſprudentiâ ſacrâ.

5. Adul-

5. Adulterium dissoluit matrimonium.

Matth. 19. vers. 6. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non seiungat.*

Et vers. 9. *Dico autem vobis, Quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

6. Coniugium conseruatur officiis cõiugum mutuis.

De officio mariti vide *Eph. 5. v. 25. 28. 29. 33. Coloss. 3. v. 19. 1. Petr. 3. v. 7. 1. Tim. 2. v. 8.*

De officio vxoris vide *Ephes. 5. v. 22. 23. 24. Colos. 3. vers. 18. 1. Tim. 2. v. 9. & seqq. c. 3. v. 11. Tit. 2. v. 4. 5. 1. Petr. 3. v. 1. & seqq.*

LOCVS XII.

De peccato.

1. Peccatum est discrepantia à lege Dei.

1. Iohan. 3. v. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, id est, *Peccatum est illegalitas, seu discrepantia à lege.*

2. Peccatum cognoscitur ex lege.

Rom. 3. v. 20. *Per legem est agnitio peccati.*

Et c. 7. v. 7. *Peccatum non cognoui nisi per legem.*

3. Omne peccatum meretur mortem æternam.

Rom. 6. v. vlt. *Stipendia peccati mors.* Confer c. 5. v. 21.

Matth. 12. v. 36. *Sed dico vobis, quodcunque verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die iudicij.*

4. Adam & Eua peccarunt inobedientiâ erga Deum.

Rom. 5. vers. 14. Peccatum primum primi hominis appellatur παράβασις, id est, *transgressio mandati.* Confer 1. Timoth. 2. vers. 14.

Rom. 5. v. 19. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.*

Vide Gen. 3. vbi *vers.* 1. est suspicio inuidiæ de Deo: *vers.* 4. 5. 6. infidelitas & dubitatio de veritate comminationis Dei: *ver.* 6. intemperantia gulæ: *ibidem,* curiositas, seu cupiditas

ditas plura sciendi quàm erat necessarium: *ibidem*, cupiditas gloriæ diuinæ. Tandem secutus est contemtus mandati diuini, παρακοή, *Rom.5.v.19.* & παράβασις, transgressio mandati de non edendo fructu arboris cognitionis boni & mali. *Rom.5.v.14.*

5. Omnes homines (solo Christo excepto) peccauerunt in Adamo.

Rom.5. v.12. *Per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruasit, in quo omnes peccarunt.*

Et v.19. *Per inobedientiam vnius illius hominis peccatores constituti sunt multi*, οἱ πολλοὶ, nempe quotquot ex illo naturaliter sunt orti, ex sanguine videlicet, & ex libidine carnis, & ex libidine viri. *Iohan.1.v.13.*

1.Cor.15.v.22. *In Adamo omnes moriuntur.*

6. Omnes homines (solo Christo excepto) cum peccato concipiuntur & nascuntur.

Psal.51.vers.7. *En cum iniquitate genitus sum, & cum peccato concepit me mater mea.*

Eph.2.v.3. *Eramus naturâ filij iræ, vt & reliqui.*

Genes.5.v.3. *Adam autem vixerat triginta & centum annos, cùm genuit filium ad similitudinem suam, ad imaginem suam.*

Vide Rom. 7. vbi peccatum originale appellatur *cupiditas*, vers.7. *peccatum summè peccans*, vers.13. *peccatum inhabitans*, vers.17.20. *malum adiacens*, vers.21. *lex in membris nostris belligerans aduersus legem mentis, & captiuos nos reddens legi peccati, quæ est in membris nostris*, vers.23.25.

Iacob.1.v.14.15. *Sed vnusquisq; tentatur, dum à propriâ cupiditate abstrahitur & inescatur. Deinde cupiditas, postea quam concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem.*

7. Peccata sunt inæqualia.

Ioh.19.vers.11. Christus dicit Pilato: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.*

Matth.10. v.15. *Tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm vrbis illius.*

Pertinent huc varij casus peccati in Scripturis: putà, pecca-

peccatum ignorantiæ, 1. *Tim.* 1. *v.* 3. peccatum irremissibile, *Matth.* 12. *v.* 32. 1. *Ioh.* 5. *v.* 16. peccatum cũ scandalo coniunctum, *Matth.* 18. *v.* 6. 7. peccatum clamans in cœlum, *Genes.* 4. *vers.* 10. peccatum antè manifestum, quod præit damnationem; cui opponitur peccatum subsequens, 1. *Tim.* 5. *v.* 24. peccatum alienum, & communicatio cũ alieno peccato, 1. *Tim.* 5. *v.* 21. peccatum, quod fit elatâ manu, *Num.* 15. *v.* 30. peccatum extra proprium corpus, vel in proprium corpus, 1. *Cor.* 6. *v.* 18. peccatum regnans, vel non-regnans, *Rom.* 6. *v.* 12. *c.* 7. *v.* 19. peccatum mortuum, vel viuens, *Roman.* 7. *v.* 9. peccatum priuatum, vel publicum & manifestarium, *Matth.* 18. *v.* 15. *& deinceps*: peccatum occultum planè, vel cognitum, *Psal.* 19. *vers.* 13. *Matth.* 10. *vers.* 26. 2. *Cor.* 4. *vers.* 2. denique cogitatum, dictum, vel factum malum *Gen.* 6. *v.* 5. *Matth.* 15. *v.* 19.

8. Peccati author est diabolus.

Ioh. 8. v. 44. *Ille* (diabolus) *fuit homicida à principio.* Vide Genes. 3.

1. Ioh. 3. vers. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam à principio diabolus peccat.*

9. Peccatum ex se parit reatum & pœnam.

Rom. 5. vers. 16. *Nam reatus quidem est ex vno lapsu ad condemnationem.*

Et v. 18. *Nempe igitur per vnum lapsum reatus venit in omnes homines ad condemnationem.*

Pœna peccati est mors temporalis & æterna, prima & secunda, corporis & animi, omnisque afflictio, quæ est malum animi, corporis, vel fortunæ. Vide *Gen.* 2. *v.* 17. *Rom.* 6. *vers. vlt. Apoc.* 20. *v.* 14. *c.* 22. *v.* 15.

LOCVS XIII.

De lege Dei.

1. Deus in primâ creatione legem suam inscripsit cordi hominis.

Rom. 2.

Rom.2.v.14.15. *Nam cùm gentes quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt faciant, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex: vt qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis.*

1.Cor.11.v.14. *Anne natura quidem ipsa hoc vos docet?*

2. Deus speciali quâdam lege circumscripsit primi hominis libertatem.

Gen.1.v.16.17. *Interdixitq; Iehoua Deus homini, dicendo: De fructu quidem omnis arboris horti huius liberè comedes: De fructu verò arboris scientiæ boni & mali, de isto ne comedas: nam quo die comederis de eo, vtique moriturus es.*

3. Lex naturæ, siue moralis, est æterna iustitiæ regula.

Hæc lex à Deo est præscripta in monte Sinai, tanquam regula vitæ, *Exod.19.v.5.8.* Eius compendium est decalogus, *Exod.20.* qui ad omnes pertinet.

Summa decalogi est Matth.22.vers.37.& deinceps, his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ cogitatione tuâ. Istud est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic* (id est, etiam generale, & multa in se complectens; & æquè obseruandum.) *Diliges proximum tuum vt te ipsum. Ab istis duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent.*

Iacob.2.v.8. *Quòd si legem regiam præstatis secundùm Scripturam, Diliges proximum tuum vt teipsum, benè facitis.*

Matth.5.v.16.17. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificentq; patrem vestrum qui est in cœlis. Ne existimate me venisse vt dissoluam legem aut prophetas. Non veni vt dissoluam, sed vt impleam.*

1.Tim.1.v.8. *Scimus autem bonam esse legem, si quis eâ legitimè vtatur.*

4. Lex tum moralis, tum iudicialis, tum denique ceremonialis, est speculum peccati.

Rom.3.v.20. *Per legem est agnitio peccati.*

Et c.7.v.7. *Peccatum non cognoui nisi per legem.*

Colosſ.2.v.14. *Deleto, quod aduersum nos erat, rituum chirographo: quod erat nobis occultè contrarium.*

Exod.

Exod.21.v.1. *Hæc autem ſunt iudicia illa, quæ propones eis:* vt nempe illa obſeruent, & inde diſcant natiuam propenſionem ad peccandum.

5. Lex moralis eſt electis abrogata, quantum ad rigidum ſuum poſtulatum, adeoque quantum attinet ad iuſtificationem & maledictionem.

Gal.3.v.13. *Chriſtus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio.*

Et v.11. *Nullum autem per legem iuſtificari apud Deum, manifeſtum eſt: quoniam iuſtus ex fide viuet.*

Rom.8.v.2.3.4. *Lex ſpiritus vitæ, qui eſt in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quæ legis erat impotentia, cùm viribus eſſet deſtituta per carnem, Deus Filio ſuo miſſo in formâ conſimili carni peccato obnoxiæ, idq; pro peccato, condemnauit peccatum in carne: Vt ius illud legis compleatur in nobis, qui non ſecundùm carnem incedimus, ſed ſecundùm ſpiritum.*

6. Ex legibus forenſibus Moſaicis illæ ſunt perpetuæ, quæ ſunt iuris communis, ſiue quæ habent aliquid morale: illæ verò ſunt abrogatæ, quæ ſunt iuris particularis, id eſt, eius iuris, quod fuit proprium politiæ Moſaicæ; & quæ habent aliquid ceremoniale additum.

Deut.1.v.17. *Iudicium Dei eſt.*

2.Chron.19.v.6. *Videte, quid ſitis facturi: Non enim pro homine iudicaturi eſtis, ſed pro Iehouâ: qui nobiſcum futurus eſt in rebus iudiciariis.*

Sic lex illa Exod. 21. v. 17. eſt æterna: *Qui maledicit patri ſuo aut matri ſuæ, omnino morte plectitor.*

At lex ibid.v.2. eſt propria iſtius politiæ: *Cùm emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet.*

Denique lex iſta Exod. 22. v. 29. eſt mixta ceremoniâ: *Primogenitum filiorum tuorum dato mihi.*

7. Leges ceremoniales in N. T. non ampliùs durant.

Galat.3.v.24.25. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſtum reſpiciens:*

ſpiciens: vt ex fide iuſtificaremur. At poſtquam vênit fides, non ampliùs ſub pædagogo ſumus.

Eph.2.v.14.15.16. *Ipſe* (Chriſtus) *eſt pax noſtra: qui vtraq; fecit vnum, & intergerini parietis ſeptum ſoluit: inimicitiis, id eſt, lege mandatorum quæ in ritibus poſita eſt, per carnem ſuam abolitis: vt ex duobus illis conderet in ſemetipſo vnum nouum hominem, faciens pacem: & vtroſque in vno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremtis inimicitiis per eam.*

Coloſſ.2.v.14. & deinceps. *Chriſtus deleto quod aduerſum nos erat rituum chirographo, quod erat nobis contrarium: ipſum ſuſtulit è medio, affixo eo cruci, &c. Ne quis igitur vos damnet ob cibum vel potum, vel reſpectu feſti, aut nouiluny, aut ſabbatorum. Quæ ſunt vmbra futurorum: corpus autem eſt Chriſti.*

Hebr.10.verſ.1. *Lex vmbram obtinens futurorum bonorum, non expreſſam formam rerum, &c.* Vide quoque Dan.9.verſ. 24.27.

LOCVS XIV.

De libero arbitrio.

1. Per peccatum mens hominis ita eſt obtenebrata, vt in rebus ſpiritualibus cœca ſit.

1.Cor.2.verſ.14. *Animalis* (ψυχικὸς) *homo non capit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Sunt enim ei ſtultitia: nec poteſt ea cognoſcere.*

Iohan.1.verſ.5. *Lux iſta in tenebris lucet: ſed tenebræ eam non comprehenderunt.*

Et v.18. *Deum nemo vidit vnquam. Filius ille vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ille nobis expoſuit.*

2. Voluntas hominis per peccatum ita eſt depraua-ta, vt toto impetu feratur contra legem Dei.

Gen.6.verſ.5. *Omne figmentum cogitationum cordis hominis tantummodò malum eſt omni tempore.*

Et cap.8.v.21. *Figmentum cordis hominis malum eſt à pueritiâ ipſius.*

Rom.8.verſ.7. *Affectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum.*

Legi

Legi enim Dei non subijcitur. Nam ne potest quidem. Huc pertinent loca, quibus homo dicitur esse mortuus, vt *Matth.8. v.22.Iohan.5.v.25. Eph.2.v.1.5. Colos.2.v.13.*

3. Deus in homine efficit potentiam, quâ potest credere, & ipsum fidei actum: similiter potentiam, quâ potest velle, & ipsum velle, ipsumq; agere.

Phil.1. v.29. *Vobis datum est in Christi negotio in ipsum credere.*

Et c.2.v.13. *Deus est is, qui efficit in vobis velle & perficere pro suo beneplacito.*

Pertinent huc illa Scripturæ loca, quibus dicitur, Deum circumcidere cor nostrum, *Deut.30. v.6*: Deum dare nobis cor, vt intelligamus, oculos vt videamus, aures vt audiamus, *Deut.29.v.4*: Deum dare nobis cor nouum & spiritum nouum, auferre cor lapideum, dare carneum, *Ezech.36.v.26.27*: Deum nos conuertere, *Ierem.31. vers.18.* Deum inscribere legem suam cordibus nostris, *Ier.31.vers. 33*: Deum aperire nobis cor, *Act.16.v.14*: Deum illuminare oculos mentis nostræ, vt videamus, *Ephes. 1. vers. 18.19*: Deum omnia nobis donare, quæ ad vitam & pietatem pertinent, *2.Petr.1.v.3*: Charitatem Dei effundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum, *Rom.5.v.5*: denique nos iterum gigni, & excitari ex morte. *Iohan. 3. vers.3. cap.5. vers. 25. Ephes.2. vers. 5.*

4. Homo in primo conuersionis momento se habet merè passiuè.

Iohan.6.v.44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Confer cum num. præced.

5. Homo in progressu conuersionis agit actus à Spiritu sancto.

Cant.1.v.4. *Trahe me, post te curremus.*

2.Cor.3. v.5.6. *Nō quòd idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quidquam, velut ex nobis ipsis: sed quòd idonei sumus, id ex Deo est. Qui etiam effecit, vt idonei essemus ministri noui fœderis.*

1.Cor.15.vers.10. *Gratiâ Dei sum id quod sum: & gratia eius,*

quæ in me collata est, non fuit in anis, sed amplius quàm illi omnes laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est.

1. Cor. 3. vers. 5. *Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & vt cuiq; Dominus dedit.*

Et v. 9. *Etenim Dei sumus cooperarij, συνεργοί.*

Et v. 10. *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi; vt peritus architectus fundamentum posui.*

LOCVS XV.

De magistratu.

1. Functio magistratus Deo probatur.

Psal. 81. vers. 1. *Deus stat in cœtu Dei: in medio deorum* (id est, magistratuum, qui sunt vicarij Dei in administrando iure) *iudicat.*

Et v. 6. *Dixi, Vos dij estis, & filij Excelsi omnes.*

Deut. 1. v. 17. *Iudicium Dei est.*

2. Chron. 19. v. 6. *Non hominis iudicium exercetis, sed Dei.*

Prouerb. 8. v. 15. *Per me reges regnant, & legum conditores iustè decernunt.*

Dan. 2. v. 21. *Deus transfert regna, atq; constituit.*

Rom. 13. v. 1. 2. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto. non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ. Itaq; quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent.*

Ibid. v. 4. *Dei enim minister est* (magistratus) *tuo bono.*

2. Ad officium magistratus pertinet

a) studiosè legere verbum Dei.

b) instituere ac tueri purum Dei cultum.

c) exercere ius & iustitiam: tuendo scil. bonos, & puniendo malos.

d) moderata tributa & vectigalia exigere à subditis.

a) Deut. 17. v. 18. 19. *Sed erit cùm insidebit* (rex populi Israëli-

raëlitici) *solio regni sui, vt describat sibi exemplum huius legis in libro, ex eo qui erit in conspectu sacerdotum Leuiticorum: eritq; penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ: vt discat timere Iehouam Deum suum, obseruare omnia verba huius legis & statuta ista, faciendo ea.*

Iosu.1, v.8. *Ne discedito* (Deus alloquitur Iosuam.) *Liber iste legis ab ore tuo: sed meditaberis in eo interdiu & noctu: vt cum obseruantiâ facias omninò prout scriptum est in eo.*

b) 2.Reg.18.v.3.& seqq. *Fecit* (Ezechias) *quod rectum videtur in oculis Iehouæ: omninò prout fecerat Dauid pater eius. Ipse amouit excelsa, fregitq; statuas, & excîdit lucum: contudit etiam serpentem æneum, quem fecerat Moses, eò quòd vsq; ad dies illos Israëlitæ adolerent ei, &c.* Confer 2.Chron.29.

Vide quoque exemplum Iosiæ, 2.*Reg.* 23. & Iosaphati; 2.*Chron.*19.*v.*29.

c) Ier.22.vers.3. *Sic ait Iehoua, Exercete* (rex Iudæ & principes) *ius & iustitiam: & eripite eum, qui rapinam patitur è manu oppressoris: & peregrino, pupillo ac viduæ ne vim faciatis: ne violentiâ vtimini, & sanguinem innocentem ne effundite in loco isto.*

Psal.82.v.2.3.4. *Quousque iudicabitis iniquè, & faciem improborum suscipietis? Iudicate secundùm tenuem & pupillum: afflictum & pauperem iustum pronunciate. Liberate tenuem & egentem, è manu improborum eripite.*

Rom.3.v.3.4. *Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non metuere potestatem? Quod bonum est facito, & laudem ab ipso obtinebis. Dei enim minister est tuo bono. Quòd si feceris quod malum est, metue: non enim temerè gestat gladium. Nam Dei minister est, vltor ad iram ei qui quod malum est fecerit.*

d) Rom.13.v.6.7. *Propter hoc enim etiam tributa soluitis, &c. Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal.* Confer *Deuter.*17.cum 1.*Reg.*8. de quâ collatione vide supra Iurisprudentiam sacram.

3. Magistratus bono exemplo debet prælucere

ſubditis, ita vt meminerit, regiam perſonam decere virtutes regias.

Pſal. 2. v. 10. 11. 12. *Nunc ergo Reges, animaduertite; eruditionem percipite, ô iudices terræ: Colite Iehouam cum reuerentiâ, & exultate cum tremore. Oſculamini filium vt non iraſcatur, & pereatis in viâ, cùm exarſerit vel minimùm ira eius. Beati omnes qui ſe recipiunt ad eum.*

Vide Pſal. 101. per totum.

LOCVS XVI.

De Euangelio.

1. Euangelium eſt lætum nuntium de fœdere gratiæ, quod Deus nobiſcum iniit in manu mediatoris Ieſu Chriſti.

Eſa. 54. v. 10. *Quamuis hi montes recederent, & hi colles dimouerentur: attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimouebitur, ait miſerator tuus Iehoua.*

Eph. 6. v. 15. *Præparatione Euangelij pacis*, ſcil. induti eſtote.

Matth. 11. v. 4. 5. *Et reſpondens Ieſus dixit ei, Ite & renunciate Iohanni, quæ auditis & videtis: Cæci viſum recipiunt, & claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, mortui ſuſcitantur, & pauperibus euangelizatur.*

Rom. 1. v. 16. *Non enim me pudet euangelij Chriſti. potentia ſiquidem eſt Dei ad ſalutem cuiuis credenti.*

Eſa. 55. v. 3. 4. *Inclinate aurem veſtram, & venite ad me, audite vt viuat anima veſtra: & pangam vobiſcum fœdus perpetuum, benignitates Dauidis certiſsimas collaturus ſum. En teſtem nationum conſtituo eum, anteceſſorem & præceptorem nationum.*

Hebr. 13. v. 20. *Qui magnum illum ouium per ſanguinem fœderis æterni paſtorem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, à mortuis reduxit.*

2. Euangelium & fœdus gratiæ eſt vnum idemq; in V. & N. T. quantum ad ſubſtantiam & fundamentum attinet. Nam vtrobique

a) pro-

a) promittitur vita æterna.

b) promissio fit ex gratiâ.

c) promissio fit propter Christum.

a) Gen.17.v.7. *Stabilio fœdus meum inter me & te, &c. me fore tibi in Deum & semini tuo.*

Exod.3.v.6. *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi.* Confer Matth.22.v.32.

Esa.51.v.6. *Salus mea in seculum erit.*

Matth.8.vers.11. *Dico vobis, Multi ab oriente & occidente venient, & discumbent cum Abrahamo, & Isaaco, & Iacobo, in regno cœlorum.*

b) Actor.15.vers.11. *Imò per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos seruatum iri: quemadmodum & illi,* scilicet patres.

c) Ioh.8.vers.56. *Abraham gestiuit videre diem meum: & vidit, & gauisus est.*

Hebr.11.v.4. *Abel per fidem maioris pretij sacrificium obtulit Deo quàm Cain.*

Et cap.13.vers.8. *Iesus Christus heri & hodie idem est, & in secula.*

3. Euangelium & fœdus gratiæ modo promulgationis & administrationis fuit diuersum in V.& N.T.quatenus

a) Soli Abrahamo & posteris eius fuit promulgatum & administratum in V.T. in N. autem aliis quoq; populis promulgatur & administratur.

b) In V.T. fuit obscuriùs promulgatum & administratum: in nouo promulgatur & administratur clariùs.

c) In V.T. minore cum efficaciâ Spiritus sancti fuit promulgatum & administratum: in nouo promulgatur & administratur maiore cum efficaciâ.

d) In V.T. administratio fœderis gratiæ fuit onerosior atq; operosior, quàm est in N.

a) Gen.15.v.18. *Hoc die pepigit Dominus cum Abrahamo fœdus, dicendo; Semini tuo dedi terram hanc.*

Et cap.17.v.7. *Stabilio fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te per ætates suas, vt fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum, & semini tuo post te.*

Psal.147. vers.20. *Non fecit ita vlli genti, ideoq; iura istà non nouerunt.*

Act.14.v.16. *Prateritis ætatibus siuit Deus omnes gentes suis ipsarum viis incedere.*

Matth.28.v.19. *Profecti, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Confer Marc.16.v. 15.Esa.2.v.2.Hagg.2.v.7.Rom.1.v.5.16.Eph.3.v.5.6.

b) Coloss.2.v.17. *Quæ sunt vmbra rerum futurarum, at corpus est Christi.*

Hebr.10.v.1. *Lex vmbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum.*

c) Ioh.7.v.38.39. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ viuæ ex ventre ipsius fluent. Hoc autem dixit de spiritu isto, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Act.2.v.17. *Erit vltimis temporibus (dicit Deus) effundam ex spiritu meo in quamuis carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.*

Galat.4.v.4. *Postquam venit plenum tempus, emisit Deus Filium suum factum ex muliere, factum legi subiectum: vt eos, qui legi erant subiecti, redimeret.*

d) Actor.15.vers.10. *Quid tentatis Deum imponendo iugum ceruici discipulorum: quod neque patres nostri neque nos portare potuimus.*

Gal.3.v.24. *Lex pædagogus noster fuit in Christum.*

Et cap.4. vers.1.2.3. *Quamdiu hæres infans est, nihil differt à seruo, quamuis sit dominus omnium: sed sub tutoribus & curatoribus est vsq; ad tempus, quod pater præstituerit: ita & nos, cùm essemus infantes, sub elementis mundi eramus in seruitutem redacti.* Confer cap.5.v.1.& Gal.4.v.9.

4. Euan-

4. Euangelium & fœdus gratiæ ſtudium bonorum operum non excludunt, ſed includunt.

Eſa.55.v.5.6.& ſeqq. *Engentem, quam non agnoueras, vocabis, & gentes, quæ non agnouerant te, accurrent ad te: propter Iehouam Deum tuum, & propter ſanctum Iſraëlis, cùm ornauerit te. Requirite Iehouam, cùm præſtò eſt; inuocate eum, cùm eſt propinquus. Derelinquat improbus viam ſuam, &c.*

Ier.31.v.33. *Hoc illud eſt fœdus quod pangam cum domo Iſraëlis poſt dies hos, dictum Iehouæ: Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam; & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.*

2.Tim.2.v.19. *Solidum ſtat fundamentum Dei, habens ſigillum hoc, Nouit Dominus eos qui ſunt ſui: &, Abſcedat ab iniuſtitiâ quiſquis nominat nomen Chriſti.*

5. Fœdus gratiæ ſubſtantiâ differt à fœdere operum: proinde & euangelium à lege ſic differt.

Iere.31.v.31.32. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Iehouæ; quibus pangam cum domo Iſraëlis & cum domo Iudæ fœdus nouum: Non ſecundùm illud fœdus, quod pepigeram cum maioribus ipſorum, quo die prehendi manum eorum, vt educerem eos è terra Ægypti. Nam ipſi irritum fecerunt fœdus meum, & ego coniugio iunctus manſiſſem eis? dictum Iehouæ.* Confer Hebr.8.v.6.c.12.v.4.

Galat.3.v.11. *Nullum autem per legem iuſtificari apud Deum, manifeſtum eſt: quoniam iuſtus ex fide viuet.*

LOCVS XVII.

De perſona & officio Chriſti.

1. Chriſtus eſt θεάνθρωπος, id eſt, Filius Dei vnigenitus, certo tempore homo factus, idque ex Mariâ virgine.

1.Tim.3.ver.16. *Sine controuerſiâ magnum eſt pietatis myſterium: Deus conſpicuus factus eſt in carne.*

Matth.1.v.23. *Ecce virgo illa prægnans erit, & pariet filium, & vocabis nomen eius Immanuel; quod eſt, ſi interpreteris, Nobiſcum Deus.*

Gal.4.v.4. *Postquam vênit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum factum ex muliere*, id est, virgine Mariâ, Matth.1. Lucæ 2.

Pertinet huc nomen *Ithiel*, Prouerb.30. quod idem est cum nomine Immanuel, & cum Græco θεανθρινὸς.

2. Christus, vnigenitus Dei Filius assumsit naturam humanam.

a) veram.
b) integram.
c) sanctam.
d) ex Mariâ virgine.
e) operatione Spiritus sancti conceptam.

a) Esa.9.v.6.7. *Cùm puer natus fuerit nobis, filius datus nobis, cuius humero adsit principatus ipse; cuius nomen vocat Dominus admirabilem, consiliarium, Deum robustissimum, &c.*

Matth.18.v.1. *Venit filius hominis, vt seruet, quod perierat.*

Hebr.2.v.17. *Vnde debuit per omnia similis fratribus fieri.*

Ideo dicitur semen mulieris, *Genes.3.v.15.* semen Abrahami, *Gen.22.v.18.* filius Abrahami & Dauidis, *Matth.1.v.1. Marc.10.v.47:* factus ex semine Dauidis, *Rom.1.vers.4:* germen Dauidis, *Ierem.23.v.5:* frater noster, *Deut.18.v.18. Hebr. 2.vers.17.*

b) Hebr.2.v.14. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq; consimiliter particeps factus est eorundem.*

Et c.10.v.5. *Corpus adaptasti mihi.*

Matth.22.vers.38. *Dicit Iesus: Vndiquaque tristis est anima mea vsq; ad mortem.*

Vide Psal.16. & 22.

c) Ierem.23.v.5. *Ecce, dies venturi sunt, dictum Iehoua, quibus excitabo Dauidi germen iustum.*

Zach.9.v.9. *Exulta valde filia Sionis, clange filia Hierosolymorum. Rex tuus aduenit tibi iustus.*

Luc.1.vers.35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

Act.4.vers.27. *Congregati sunt in hâc ciuitate verè aduersus sanctum filium tuum Iesum.*

Esa.7.

d) Esa.7.v.14.*Ecce virgo concipiet.* Confer Matth.1.& 2.Luc.1.& 2.

e) Luc.1.v.35.*Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi inumbrabit te.*

3. Christus naturã humanam vniuit personæ suæ.

a) sine confusione &

b) sine diuulsione.

a) Iohan.1.v.1. *In principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, eratq; ille Sermo Deus.*

Rom.1.v.3.4. *De filio suo, facto ex semine Dauidis secundùm carnem: declarato Filio Dei potenter secundùm spiritum sanctificationis.*

Etc.9.vers.5. *Ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus, benedictus in secula.*

1.Petri 4.v.1.*Cùm Christus passus sit pro nobis carne.* Confer cap.3.vers.18.

b) Col.2. vers.9. *In eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.*

1.Cor.8.v.6. *Nobis vnus est Deus, Pater ille, à quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.*

1.Tim.2.v.5. *Vnus est Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

Hanc quoq; vnionem confirmat communicatio idiomatum, quâ fit, vt Christo ab alterâ naturâ denominato alterius naturæ proprietates tribuantur: vt, Iohan.3.v.13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi is, qui descendit è cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Confer Ioh.6.v.62.

Act.20.v.28.*Deus ecclesiam acquisiuit proprio sanguine.* Confer 1.Cor.2.v.8. 1.Iohan.1.v.1.

4. Christus est propheta, sacerdos, & rex noster.

Hebr.1.v.1.2.3. *Multis vicibus, multisq; modis olim Deus locutus patribus in prophetis, vltimis diebus hisce locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condidit. qui cùm sit fulgor gloriæ, & character personæ illius, sustineatq; omnia verbo illo suo potente, purificatione peccatorum nostroru:*

ſtrorum per ſeipſum factâ, ſedit ad dextram maieſtatis illius in locis excelſiſsimis.

Apoc.1.v.5.6.*Et à Ieſu Chriſto, qui eſt fidus ille teſtis, primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris per ſanguinem ſuum : Et qui fecit nos reges & ſacerdotes Deo & Patri ſuo.*

Huc pertinent ea Scripturę dicta, quibus Chriſtus appellatur paſtor, & paſtor ille bonus, & paſtor magnus, *Eccleſ.12.v.13.Eſa.40.v.11.Ezech.34. Zach.13.v.7. Matth.26.v.31. Ioh.10.v.11.14. Hebr.13.verſ.20.21. 1.Petri 2.verſ.25.* Nomen enim paſtoris omnia Domini officia complectitur; quia paſtoris eſt oues ad ſalubria paſcua ducere, ægras ſanare, pro iis vitam ponere, vt eas è periculo eruat, denique illas regere & defendere aduerſus lupos.

5. Chriſtus officio prophetæ functus fuit, cùm prædicauit euangelium in Iudæâ; & hodie illo fungitur partim in eccleſiâ triumphante, partim in militante.

Matth. 4. v.17. *Ex eo tempore cœpit Ieſus prædicare & dicere, Reſipiſcite: appropinquauit enim regnum cœlorum.*

Eſa.61.v.1.Lucæ 4.v.18.19. *Spiritus Domini ſuper me, propterea quòd vnxit me, vt euangelizem pauperibus miſit me, vt medear contritis corde, vt prædicem captiuis dimiſsionem, & cœcis viſus recuperationem, vt confractos emittam in libertatem: vt prædicem annum Domini acceptum.*

Apoc.21.v.22. *Nec templum vidi in eâ: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius eſt, & Agnus.*

Ioh.1.v.9. *Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.*

Propter hoc officium Chriſtus appellatur conſiliarius, *Eſa.9.verſ.6.* teſtis nationum & præceptor, *Eſa.55.v.4.* lux, *Eſa.60.v.1.Luc.2.verſ.32.* apoſtolus confeſſionis noſtræ, *Hebr.3.v.1.* fidus ille teſtis, *Apoc.1.v.5.* propheta, *Deut.18.v.18.* doctor noſter, *Matth.23.v.8.10.* magiſter, *Ioh.13.v.13.*

6. Functio muneris ſacerdotalis Chriſti poſita eſt in eo, quòd diuinâ & humanâ voluntate ſe obtulit

obtulit victimam pro peccatis nostris, ad satisfaciendum pro nobis coram throno iustitiæ; & in humanitate suâ pro nobis intercessit & adhuc intercedit apud thronum gratiæ.

Esa.53.v.12. *Partem dabo ei pro multis, vt cum robustis partiatur prædam; pro eo, quòd profuderit in mortem seipsum, & cum defectoribus annumeratus est. nam ipse peccatum multorum pertulit, & pro defectoribus intercessit.*

Ier.30.v.21. *Erit magnificus eius ex ipso, & dominator eius è medio ipsius prodibit, quem iubeo accedere, vt appropinquet ad me. Nam quis est, qui spondeat cum animo suo, se appropinquaturum ad me? dictum Domini.*

Ioh.17.v.19. *Eorum causâ sanctifico me ipsum; vt sint & ipsi sanctificati in veritate.*

1.Cor.6.v.20. *Emti estis pretio.*

Hebr.5.v.6.& c.9.v.28. *Christus semel oblatus est, vt in seipso tolleret peccata multorum.*

Et cap.10.v.12. *Hic, vnâ victimâ oblatâ pro peccatis, sedet ad dextram Dei.* Et v.22. *Cùm habeamus sacerdotem magnum, præfectum domui Dei: accedamus cum vero corde, per certioratam fidem, aspersione purgatis cordibus à conscientiâ malâ.*

1.Petri 1.v.18.19. *Vt qui sciatis vos non caducis rebus, auro vel argento, fuisse redemtos ex vanâ illâ conuersatione à patribus traditâ: Sed pretioso sanguine, vtpote agni inculpati & incontaminati, nempe Christi.*

1.Petri 2.v.24. *Peccata nostra ipsemet sursum tulit corpore suo super lignum, vt mortui peccatis, iustitiæ viueremus: cuius vibicibus sanati estis.*

Iohan.17.v.9. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

1.Iohan.1. vers.7. *Sanguis Iesu Christi Filij eius purgat nos ab omni peccato.*

Hebr.9.v.24. *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quòd sit exemplar vero sacrario respondens: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.*

Propter

Propter hoc officium Christus dicitur iustitia nostra, *Ier.23.v.6.1.Cor.1.v.30:* & peccatum, *2.Cor.5.v.21:* & sacerdos in solio suo, *Zach.6.vers.13:* & sacerdos in perpetuum, *Hebr.7.v.1.2.3:* & sacerdos in seculum, *Psal.110.v.4:* & altare aureum, super quo offeruntur preces sanctorum, *Apoc.* 8.*vers.3.4.*

Vide quoque infra loc.20. num.2.

7. Functio muneris regii Christi posita est in eo, quòd instituit ministerium verbi & sacramentorum; & solenniter misit Spiritum sanctum in festo Pentecostes; & hodie quoque verbum suum in nobis efficax facit per Spiritum suum, vt fideles & obsequentes simus, atque salute potiamur; item contra hostes nos defendit, & sub cruce conseruat; denique quòd in fine mundi hostes suos & nostros relegabit in gehennam ad æternos cruciatus, nos autem ad se assumet in cœlum, vt ibi cum ipso regnemus.

Matth.28.v.18.19. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ: Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos.*

Ephes.4.v.11. *Is igitur dedit alios quidem, apostolos, alios verò, prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores & doctores.*

Iohan.15.v.7. & seqq. *Sed ego veritatem dico vobis, confert vobis vt ego abeam. Nisi enim abiero, Aduocatus ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.* Vide *Actor.2.* vbi narratur, quomodo Christus in die Pentecostes miserit Spiritum sanctum in apostolos: quo acti illi prædicauerunt euangelium felici successu. Adducti enim sunt multi ad fidem Christi.

Marc.16.vers.20. *Illi verò profecti prædicarunt vbique, Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante per signa subsequentia.*

Rom.1.v.16. *Non enim me pudet euangelij Christi. potentia siquidem Dei est ad salutem cuiuis credenti.*

1.Cor.

1. Cor. 1. v. 23. 24. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, &c. Dei potentiam, ac Dei sapientiam.*

Matth. 28. v. 20. *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Vide Psal. 110.

Matth. 16. v. 18. *Ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam ecclesiam: & portæ inferorum non superabunt eam.*

Rom. 8. v. 37. *In his omnibus ampliùs quàm victores sumus per eum, qui dilexit nos.*

Psal. 110. v. 2. *Dominare in medio inimicorum tuorum.*

Matth. 25. v. 34. 41. *Tunc dicet rex iis, qui ad dexteram ipsius erunt, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis mundi fundamentis. Tunc dicet etiam iis, qui ad sinistram erunt, Maledicti, abite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

2. Thess. 2. v. 6. & deinceps. *Iustum est apud Deum vicissim reddere iis qui affligunt vos afflictionem: vobis verò qui affligimini relaxationem nobiscum: cùm patefiet Dominus Iesus de cœlo cum angelis potentibus suis, cum flammæ incendio, infligens vltionem iis, qui Deum non nouerunt, neq; auscultant euangelio Domini nostri Iesu Christi.*

Propter hoc officium Christus appellatur rex Dei, *Psal.* 2. v. 2. iudex, & procurans ius, & promtus ad iustitiam, *Esa.* 16. v. 14: antecessor. *Esa.* 55. v. 4: rex regum, & dominus dominantium, *Apoc.* 19. v. 16: dominus, *Psal.* 110. v. 1. *Dan.* 9. *vers.* 17. *Luc.* 2. v. 11. *Iohan.* 13. *vers.* 13. 14. 1. *Cor.* 8. v. 6. *c.* 15. v. 47. *Act.* 2. v. 36. *Iudæ vers.* 14: herus, *Iud.* v. 4: princeps, *Ezech.* 37. *vers.* 25. *Apoc.* 1. v. 5: dux, *Dan.* 9. v. 25: leo ille ex tribu Iudæ, *Apoc.* 5. v. 5.

8. Christus diuersimodè functus est triplici suo munere: putà in statu exinanitionis & exaltationis. *Esa.* 53. v. 7. 8. *Phil.* 2.

In statu exinanitionis

a) conceptus est ex Spiritu sancto.

b) natus est ex Mariâ virgine, Bethlehemi.

c) octauo die à natiuitate est circumcisus, & Iesus appellatus.

d) præ-

d) præcurſorem habuit Iohannem Baptiſtam.
e) donis paulatim profecit, atque ita ad munus ſuum fuit præparatus.
f) anno ætatis duodecimo ſpecimen quoddam muneris prophetici edidit in templo.
g) anno ætatis trigeſimo fuit baptizatus à Iohanne.
h) poſt baptiſmum ſolemniter inchoauit munus propheticum.
i) ſacerdotale munus patiendo inchoatum videl. paupere ſuâ natiuitate, patiendo continuauit.
k regiam maieſtatem ſuam ad tempus occultauit.
l) ſacram cœnam inſtituit.
m) ad magnam paſſionem ſe præparauit.
n) tandem crucifixus eſt, mortuus, & ſepultus.
o) deſcenditque ad inferos.

Quantum ad ſtatum exaltationis.

p) tertio die reſurrexit à mortuis.
q) poſtquam quadraginta dies ſe viuum in terris exhibuiſſet, & miniſterium noui teſtamenti conſtituiſſet, aſcendit in cœlum:
r) vbi ſedet ad dextram Patris ſui, regnans ſuper omnia.
ſ) in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum effudit in diſcipulos.
t) in fine ſeculi redibit ad iudicandum viuos & mortuos.

a) *Lucæ* 1. *verſ.* 34. 35.
b) *Matth.* 1. *v.* 16. *Luc.* 2. *Mich.* 5. *v.* 2. *Matth.* 2. *v.* 1.
c) *Lucæ* 2. *v.* 21. Ad nomen *Ieſus* alluſum eſt in V. T. per voces יְשׁוּעָה יֵשַׁע & תְּשׁוּעָה *Eſa.* 12. *v.* 3. 4. *c.* 46. *v.* 13. *c.* 49. *v.* 6. *c.* 62. *v.* 13. *Habac.* 3. *v.* 13.
d) *Eſa.* 40. *v.* 1. 2. 3. 4. *Matth.* 3. *Marc.* 1.
e) *Luc.* 2. *v.* 40. 52. *Eſa.* 11. *v.* 1. 2. *Iohan.* 1. *v.* 14.
f) *Luc.* 2. *verſ.* 46. 47.

g) Matth.

g) *Matth.*3. *Lucæ* 3. *vers.*21.22.

h) *Matth.* 4. *vers.*17. *& seqq.*

i) Luc.2. vers.7. *Peperit igitur filium suum primogenitum, & fasciis eum inuoluit, reclinauitq; eum in præsepi: eò quòd non erat eis locus in diuersorio.*

*Matth.*2. Christus expositus fuit insidiis Herodis, quas vt effugeret, in Ægyptum est transportatus.

Matth.8. v. 20. *Vulpes habent lustra, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Confer Luc. 9.vers.58.

2. Cor. 8. v.9. *Nostis enim beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, eum videlicet propter vos pauperem factum esse, cùm esset diues: vt vos illius paupertate ditesceretis.*

k) Matth.20.v.28. *Filius hominis non venit, vt sibi ministretur, sed vt ministret.*

Phil.2,v.7.8. *Ipse se inaniuit, formâ serui acceptâ, similis hominibus factus: & habitu inuentus vt homo, ipse se submisit, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.*

Hebr.5.v.5.& deinceps. *Christus in diebus carnis suæ, deprecationibus & supplicationibus oblatis cum clamore valido & lachrymis, &c.*

l) *Matth.* 26.

m) *Matth.*26. *Luc.*18.*v.*31. *& seqq.Iohan.*17.

n) *Matth.*27.*Luc.*23.*Act.*2.*v.*23.*c.*4.*v.*10.1.*Cor.*1.*v.*13. 23.*c.*2.*v.*2.*c.*7.*v.*8.*c.*15.*v.*4.

o) Psal. 16. v. 10. *Non es derelicturus animam meam in sepulchro: neq; expositurus benignum tuum, vt videat corruptionem.* Confer Act.2. v.30.31.

Matth.12. v.40. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tres dies & tres noctes: ita erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.*

Eph.4. v.9. *Cæterùm illud Ascendit, quid est nisi quod etiam descenderat priùs in infimas partes terræ?*

p) *Matth.*28. *Luc.*24. 1.*Cor.*15.

q) *Act.*1. *Matt.* 28. *Iohan.* 20.

r) *Psal.*110.*Marc.*16.*v.*19.*Eph.*1.*v.*20.21.22.*Act.*7.*v.*55. *Hebr.*13.*v.*8.1.*Petri* 3.*v.*22.

 s) *Act.*

s) *Act.* 2.

t) *Matth.* 25. *v.* 31. *Act.* 1. 11. *c.* 3. *v.* 21.

LOCVS XVIII.

De eccleſia.

1. Vocabulo eccleſiæ intelligitur

a) interdum multitudo hominum electorum; & vſitatè dicitur eccleſia catholica.

b) interdum cœtus profitentium fidem Chriſti; & vſitatè dicitur eccleſia particularis.

c) interdum conuentus eccleſiaſticus.

a) Matth. 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam.*

Eph. 5. v. 23. *Chriſtus eſt caput eccleſiæ.*

Et verſ. 25. *Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro eâ.*

Act. 20. v. 28. *Deus eccleſiam acquiſiuit proprio ſanguine.*

1. Tim. 3. v. 11. *Eccleſia Dei viui eſt columna & ſtabilimentum veritatis.*

b) Sic eccleſia nominatur cœtus credentium apud Corinthios, 1. *Cor.* 1. *v.* 2. 2. *Cor.* 1. *verſ.* 1. item apud Galatas, *Gal.* 1. *v.* 2. item apud Theſſalonicenſes, 1. *Theſſ.* 1. *v.* 1. 2. *Theſſ.* 1. *v.* 1. Confer *Apoc.* 1. *v.* 20. item *cap.* 2. & 3.

c) Matth. 18. v. 17. *Dic eccleſiæ. Quòd ſi eccleſiam audire neglexerit, &c.*

2. Eccleſia ab externâ vocatione eſt & dicitur viſibilis, ab internâ, inuiſibilis.

Rom. 1. v. 8. *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, ſuper omnibus vobis, quòd fides veſtra annuntiatur in toto mundo.*

Et c. 2. v. 28. 29. *Non enim qui eſt in propatulo Iudæus, Iudæus eſt: nec ea quæ eſt in propatulo circumciſio, id eſt in carne, circumciſio eſt: Sed qui in occulto Iudæus eſt, & circumciſio cordis, id eſt, in ſpiritu, non literâ: cuius Iudæi laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo.*

Et c. 9.

Et cap.9.vers.3.4.5.6.7.8.& cap.11.v.1.2.3.4.17.19.20.21 23.24.25.26.

Ierem.7.v.4. *Ne habetote fiduciam vestram in rebus falsis, dicendo: Templum Domini, templum Domini, templum Domini.*

Matth.23.v.2. *In cathedrâ Mosis sedent Scribæ & Pharisæi.*

Confer cum num.præced.1. Vide etiam *Exod.16.v.3.& 9. Num.1.v.2.* vbi fit mentio ecclesiæ siue congregationis Israëlitarum.

3. Ecclesiæ pars in cœlis triumphat, pars in his terris in medio inimicorum belligerat aduersus diabolum, mundnm & carnem. Hinc diu ditur ecclesia in

a) triumphantem, quæ in fine demum seculi tota triumphabit, cùm iam ex parte tantùm triumphet.

b) militantem.

De vtraque coniunctim vide

Eph.1.v.10. *Vt recolligeret omnia illa in Christo, tum quæ in cœlis sunt, tum quæ in terrâ.*

Et c.3.v.15. *Ex quo tota familia in cœlis, & in terrâ nominatur.* Confer 1.Cor.13.v.9.& seqq.

a) Hebr.12.v.22.23. *Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & myriadas angelorum, Conuentum vniuersalem & concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis.*

Hæc ecclesia magnificè describitur *Apoc.4.5.21.& 22.*

b) 2.Cor.5.vers.6.7.8.9. *Dum commoramur in corpore, peregrè absumus à Domino. Per fidem enim incedimus, non per aspectum, &c.*

1.Tim.3.v.15. *Vt nôris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est ecclesia Dei.*

Hæc vocatur nigra, *Cant.1.v.5. & confertur lilio inter spinas*, Cant.2.v.2. *& myrteto in profundo*, Zach.1.v.8.

4. Ad ecclesiam catholicam & inuisibilem pertinent soli electi.

Eph.5.v.25.26. *Christus exposuit se pro ecclesiâ, vt eam sanctificaret, postquam eam purgasset lauacro aquæ per verbum: vt sisteret*

ſteret eam ſibi glorioſam: id eſt, eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut quidquam eiuſmodi: ſed vt eſſet ſancta & inculpata: ſcilicet partim per imputationem, partim per inhæſionem.

Et c. 4. v. 12. 15. 16. *Ad coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti: Sincerè nos gerentes in charitate, prorſus adoleſcamus in eum, qui eſt caput, nempe Chriſtus. Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes ſuppeditatas commiſſuras, ex vi intus agente pro menſurâ vniuſcuiuſq; membri, incrementum capit corpori conueniens ad ſui ipſius extractionem per charitatem.*

Huc pertinent magnifici illi tituli eccleſiæ; putà ſponſa ſiue coniux, & filia regis tota honorata, *Pſalm.* 45. *v.* 10. *& ſeqq.* Sponſa Agni, *Apoc.* 21. *v.* 9. quies Chriſti, *Eſa.* 11. *verſ.* 10. peculium Domini, 1. *Pet.* 5. *v.* 3: corpus Chriſti, *Epheſ.* 4. *v.* 16. *c.* 5. *v.* 23. *Col.* 1. *v.* 18. 24: complementum Chriſti, *Eph.* 1. *v. vlt.* electi, *Matth.* 24. *v.* 22. 24. *Marc.* 13. *v.* 20. 22. 27. *Luc.* 18. *verſ.* 7. *Rom.* 8. *v.* 33. *Col.* 3. *v.* 12. 2. *Tim.* 2. *v.* 10. *Tit.* 1. *v.* 1. 1. *Petri* 1. *verſ.* 1. *Apoc.* 17. *v.* 14: genus electum, 1. *Petri* 2. *v.* 9 vocati; *Hebr.* 9. *v.* 15. *Iudæ v.* 1. *Apoc.* 17. *v.* 14: ſancti, *Rom.* 8. *v.* 27. *cap.* 12. *v.* 13: ſanctum ſacerdotium, 1. *Petri* 2. 5. populus ſanctus, 1. *Petri* 2. *v.* 9. oues Chriſti, *Iohan.* 10. *v.* 15. *c.* 21. *v.* 17. filij Dei, *Iohan.* 11. *v.* 52. *Rom.* 8. *v.* 19. 21.

Huic porrò eccleſiæ conueniunt duratio perpetua, ſumma antiquitas, & ſimilia.

5. Eccleſiæ particulari & inuiſibili, hoc eſt, cœtui profitentium fidem Chriſti, admixti ſunt hypocritæ.

Hoc docet Chriſtus per parabolas: vt per parabolam de zizaniis natis inter triticum, *Matth.* 13. *v.* 25. Item per parabolam de ſagenâ, quæ concludit tam putres quàm bonos piſces, *Matth.* 13. *v.* 47. Item per parabolam vitis, in quâ ſunt palmites fructiferi & infrugiferi, *Iohan.* 15. *verſ.* 1. *& ſeqq.*

Idem docet Iohannes Baptiſta per parabolam de paleâ admixtâ tritico, *Matth.* 3. *v.* 12. & Eſaias per parabolam vineæ ferentis labruſcas, *Eſa.* 5. Exempla vide in ſeptem

ecclę-

ecclesiis, *Apoc.2 & 3.* Huc pertinet, quòd atrium in templo Salomonis figurauit ecclesiam visibilem, sicut sanctum ecclesiam catholicam in his terris militantem, & sanctum sanctorum ecclesiam triumphantem in cœlis.

§ 6. Notæ ecclesiæ inuisibilis sunt internæ, numero tres, videlicet fides, spes, & charitas.

1.Cor.13. vers.13. *Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc.*

Rom. 1. v.17. *Omnibus, qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis, sanctis.*

1.Cor.1. vers.2. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis, sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, quouis loco.*

1.Thess.1.v.2.3. *Gratias agimus Deo indesinenter, commemorantes efficacem vestram fidem, & laboriosam charitatem, & patientem illam expectationem in Domino nostro Iesu Christo coram Deo & Patre nostro.*

Et cap.5.vers.8. *Nos qui sumus diei, sobrij simus, induti thorace fidei & charitatis: & pro galeâ, spe salutis.* Confer Ephes.2.v. 15.16.17.18.19.

7. Ecclesiæ visibilis nota princeps est integra & pura verbi Dei prædicatio & professio: hinc legitima sacramẽtorum administratio: cum quibus iungi debet honesta disciplina, illis consentiens.

Tres hæ notæ coniunguntur Matth.28. v.19.20. *Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis.* Confer Act.2. v.36.37. 38. 42.46. nominatim v.42. qui sic habet: *Erant perdurantes in doctrinâ apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.*

De professione verbi vide Deut.4.v.8. *Quæ gens maxima futura est: cui sunt statuta & iudicia iusta, sicut est tota hæc lex, quam ego propono vobis hodiè.*

Ioh.8. v.31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.*

Et vers.47. *Qui est ex Deo, verba Dei audit.*

Ioh.10.v. 27. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me.*

Eph.2.v.20. *Superstructi super fundamentum apostolorum & prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Iesu Christo.*

De administratione sacramentorum vide Genes.17. vers.11. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me & vos.*

Exod.12.v.43. *Nullus alienigena vescitor illo*, paschate.

Marc.16.vers.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur.*

1.Cor 12.v.13. *Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, & Iudæi & Græci, & serui & liberi, & omnes potati sumus in vnum Spiritum.*

Conferi.Cor.10. vers.16.

De disciplinâ ecclesiæ vide 1.Cor.14.vers.vlt. *Omnia decenter & ordine fiant.*

Iohan.13.vers.35. *Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alij in alios*: nempe congruenter Christi legibus in veritate.

8. Antiquitas doctrinæ quærenda est in ecclesiâ, non antiquitas loci.

Matth.19.v.8. *A principio non fuit ita.*

1.Cor.11.vers.23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

Iudæ v.3. *Necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos vt decertetis pro fide quæ semel tradita est sanctis.*

9. Disciplina ecclesiæ certis constat gradibus, quos non oportet transilire.

Matth.18.v.15.& seqq. *Si peccauerit in te frater tuus, veni & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Sin verò te non audierit, accipe tecum adhuc vnum aut duos: vt in ore duorum aut trium testium stabile sit omne verbum. Quòd si neglexerit eos audire, dic ecclesiæ. Quòd si ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quispiam ethnicus & quispiam publicanus.*

His

His verbis constituuntur quatuor gradus disciplinæ ecclesiasticæ, hoc modo.

1. Qui vni alicui priuatim scandalum dat, priuatim ab illo solo est corripiendus.

2. Qui solitariæ correptioni locum non dat, corripiendus est assumtis testibus.

3. Qui correptioni testium locum non dat, deferendus est ad ecclesiam, id est, ad presbyterium, & ab illo corripiendus est.

4. Qui presbyterij correptioni locum non dat, excommunicandus est. Qui gradus etiam locum habet, vbi aliquis ecclesiam offendit atroci scelere, 1. *Cor.* 5. Quòd si excommunicatus ostendat signa resipiscentiæ, in ecclesiam recipiendus est, 2. *Cor.* 2. *v.* 6. 7. 8.

10. Concilia ecclesiastica debent esse conformia quatuor conciliis apostolicis.

De his vide in Actis. In horum primo eligitur Matthias *cap.* 1. in secundo diaconi instituuntur, *cap.* 6. in tertio Iudaica instituta antiquantur, *cap.* 15. quarum elicitur ex historiâ *cap.* 21. de Pauli aduentu Hierosolymam.

11. Ministerium ecclesiæ durabit inde ab initio vsque ad finem seculi. *Matth.* 16. *v.* 18. *c.* 28. *vers. vlt.*

Quod attinet ad ministerium V. T. ibi hoc officio perfuncti sunt.

1. *Sancti patres:* vt Adam instituens filios de sacrificiis, *Gen.* 4. Noah similiter, *Gen.* 8. *v.* 20: Abrahamus sacrificia Deo offerens, & circumcisionem à Deo accipiens, *Genes.* 12. *v.* 5. *& c.* 17. Isaacus filius benedicens, *Gen.* 27. *v.* 3. *& seqq.* Iacobus filiis suis prædicens fata ipsorum, *Genes.* 49. Ioseph fratres erudiens de introductione ipsorum in terram Canaan, *Gen. vlt. v.* 24.

2. *Sacerdotes & Leuita.* Vide in Exodo & Leuitico; nominatim *Exod.* 28. *Leuit.* 8. item 1. *Chron.* 23.

3. *Prophetæ:* vt Esaias, Ieremias, &c. Vide infra Chronologiam. Quantum attinet ad ministerium N. T. ibi hoc munere partim functi sunt, partim adhuc funguntur.

1. *Iohannes Baptista*, præcursor Christi. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Iohan. 1.

2. *Apostoli*. Matth. 10. v. 1. & seqq. Act. 1. v. 26. c. 9. v. 15. & seqq. Gal. 1. v. 1. Item *LXX. discipuli Christi*, Luc. 10. v. 1.

3. *Euangelistæ*, id est, euangelij præcones. } Eph. 4. v. 5
4. *Prophetæ*, id est, interpretes Scripturæ. } 11. 1. Cor.
5. *Doctores*; qui adhuc durant. } 12. v. 28.
6. *Pastores*; qui etiam adhuc durant. } & c. 14.

7. *Gubernatores disciplinæ, siue seniores*; qui & ipsi adhuc durant. Rom. 12. v. 8. *Qui præest, præsit cum diligentiâ*. 1. *Cor.* 12. v. 28. *Deus in ecclesiâ constituit gubernationes*.

8. *Diaconi*, id est, curatores pauperum; qui ipsi quoq; adhuc durant. 1. Tim. 3. v. 8. & seqq. Act. 6.

12. Ministri Ecclesiæ legitimè sunt vocandi & ordinandi.

Quod attinet ad vocationem, quando ecclesia habet magistratum Christianum, ius vocandi ministros est penes illum, exemplo Mosis, *Exod.* 21. v. 1. *& seqq. & c.* 20. v. 16. Item Dauidis, 1. *Chron.* 23. v. 2. *& seqq.* Item Salomonis, 1. *Reg.* 2. v. 27. 2. *Chron.* 8. v. 26. Item Ezechiæ, 2. *Chron.* 23. v. 25. Si verò ecclesia non habeat magistratum Christianum, ius vocandi ministros ad ipsam pertinet, exemplo ecclesię apostolicæ, *Act.* 1. v. 15. *& seqq. & c.* 6. v. 2. *& seqq. & c.* 14. v. 23.

Quantum attinet ad ordinationem, illa debet fieri in timore Dei, ordine, & solenniter. *Act.* 1. v. 15. *& seqq.* 1. *Cor.* 14. v. *vlt.* *Act.* 13. v. 3. 1. *Tim.* 4. v. 14. 2. *Tim.* 1. v. 6. Tribus vltimis locis fit mentio impositionis manuum, per quam ordinatio ministrorum ecclesiæ tempore apostolorum est facta. Qui ritus est liberæ obseruationis.

LOCVS XIX.

De vocatione.

1. Per vocationem Deus nos transfert ex mundo in ecclesiam, gratiâ suâ præueniente.

Esa. 9. v. 2. *Populus eius, qui ambulant in tenebris, videbunt lucem ma-*

cem magnam: ſuper conſidentes in terrâ vmbræ lethalis lux ſplendebit. Confer Matth. 4. v. 16.

Act. 26. v. 17. 18. *Eruens te ex hoc populo, & gentibus, ad quos te nunc mitto, vt aperias oculos eorum, & conuertas eos à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum, vt remiſsionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos accipiant per fidem quæ eſt in me.*

1. Petri 2. v. 9. *Vt virtutes prædicetis illius, qui vos vocauit è tenebris in admirabilem ſuam lucem.*

Rom. 9. verſ. 25. 26. *Vt etiam apud Hoſeam dicit, Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam. Et erit in loco vbi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filij viuentis Dei.* Confer Hoſe. 1. verſ. 10. & c. 2. v. 25.

2. Tim. 1. v. 9. *Qui ſeruauit nos, & vocauit vocatione ſanctâ: non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito, & gratiâ, quæ data quidem eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſeculorum: Sed patefacta nunc eſt, &c.*

2 Vocatio externa eſt, quâ homo transfertur in eccleſiam viſibilem, per concionem legis & euangelii, vel per beneficia & iudicia Dei.

Matth. 20. v. 16. & c. 22. v. 14. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.*

Et c. 22. v. 11. 12. *Ingreſſus autem rex vt ſpectaret conuiuas, vidit illic quendam non indutum veſte nuptiali: Tunc dicit ei, Amice, quomodo huc introiſti non habens veſtem nuptialem?*

Marc. 1. v. 2. 3. *Ecce ego mitto nuntium illum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, complanate ſemitas eius.* Confer *Matth. 3. v. 3. Iohan. 1. v. 23.*

Ier. 1. verſ. 9. 10. *Et extendens Iehoua manum ſuam tetigit os meum; dixitq; Iehoua mihi, ecce indo verba mea ori tuo. Vide, præficio te hodierno die gentibus ipſis & regnis, ad exſtirpandum, & ad demoliendum, & ad perdendum, & ad deſtruendum; ad ædificandum, & ad plantandum.*

Huc refer loca, quibus prophetæ iubentur ſtillare, i. prophetare. *Eze. 20. v. 46. c. 21. v. 2. Mich. 2. v. 6. 11. Amos 7. v. 16*

Naam fuit vocatus per curationem lepræ, 2. *Reg.* 5: centurio & turba, per miracula edita in morte Christi, *Matth.* 27. *& Luc.* 23: multi spectatores, per miracula Christi & apostolorum, *Iohan.* 2. *v.* 11. 23. *Marci* 16. *vers. vlt.*

3. Vocationis externæ dispar est euentus quantum ad electos & reprobos.

a) Quantum ad electos, vocatio externa comitem habet internam, cuius effecta sunt fides, spes, & charitas.

Quantum ad reprobos

b) quidam repudiant vocationem externam.

c) quidam per eam illuminantur, & donantur fide historicâ.

d) quidam donantur fide temporariâ, ita vt perfundantur gaudio.

e) quidam donantur fide miraculorum.

f) quidam indurantur & excæcantur magis magisque.

a) Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.*

Esa. 55. v. 10. 11. *Cùm descenderit pluuia aut nix de cœlo, rursus illuc non reuertitur, sed inebriat terram, facitq; vt pariat ipsa & producat; vt edat semen satori, & panem comedenti: Sic erit verbum meum quod egressum fuerit ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum; sed faciet id, quo delector, & prosperabitur id quod emisero.*

Luc. 8. v. 10. *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.* Confer v. 15.

Act. 16. v. 14. *Quædam autem mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in vrbe Thyatirorum, Deum colens, nos audiuit: cuius Dominus adaperuit cor, vt attenderet ea, quæ dicebantur à Paulo.* Confer 1. Cor. 1. v. 24. & 2. Cor. 2. v. 16.

b) Luc. 14. v. 18. & seqq. *Omnes cœperunt vno ore se excusare, &c.*

Matth. 22. v. 5. *Illi autem cùm hoc neglexissent, abierunt: alius quidem in agrum suum, alius verò ad mercaturam suam.*

c) Act.

c) Act.26.v.27. *Paulus dicebat regi Agrippæ, Credis Rex Agrippa prophetis? Scio te credere.*

Luc.8.v.12. *Qui autem secundùm viam semen excipiunt, ij sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit sermonem è corde ipsorum, ne, postquam crediderunt, seruentur.*

Hebr.4.v.4. *Nam fieri non potest, vt qui semel fuerunt illuminati, &c.*

d) Matth.13.v.20.21. *Qui in petrosâ semen excepit, id est, qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio accipit: non habet autem radicem in sese, sed temporarius est.* Confer Luc.8.v.13.

Heb.6.v.4.5.6. *Nam fieri non potest vt qui semel fuerint illuminati, gustauerintq; donum illud cœleste, & participes facti fuerint Spiritus sancti, gustauerintq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi: Si prolabantur, denuò renouentur ad resipiscentiam.*

e) Matth.17.v.20. *Amen dico vobis: Si habeatis fidem, quantulum est granum sinapis, dicetis monti huic, Demigra hinc illuc, & demigrabit: & nihil erit impossibile vobis.* Confer Matth.21. vers.21.

f) Act.7.v.51. *Duri ceruice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper resistitis Spiritui sancto: quales fuerunt patres vestri, tales & vos estis.*

Psal.81.v.12.13. *Sed non auscultauit populus meus voci meæ, & Israel non acquieuit mihi. Quapropter dimisi eos ambulaturos ex sententiâ animi sui, dicens, Abeant cum prauis consiliis suis.*

Esa.6.v.9.10. *Tum dixit, I, vt dicas populo isti: Audite indesinenter, at ne intelligatis, & videte indesinenter, neq; cognoscatis. Fac vt pingueſcat cor populi istius, & aures eius ingraueſcant, oculiq; eius fac conniueant: ne videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, seq; conuertat, & sanitas obueniat ei.*

Esa.63.v.10. *Ipsis rebellantibus, & dolore afficientibus spiritum sanctitatis eius.*

Ier.44.v.16.17. *In verbo, quod indixisti nobis nomine Iehouæ, minimè sumus auscultaturi tibi: Sed omninò facturi quodcunque verbum prodierit ex ore nostro, &c.*

Iohan.12.v.37. & deinceps. *Cùm autem tot signa coram eis edidisset, non credebant in eum: Vt sermo Esaiæ impleretur, quem dixit*

dixit, Domine, quis credidit ſermoni noſtro, & brachium Domini cui retectum eſt: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum, & obdurauit corda eorum: ne videant oculis, & intelligant corde, & ſeſe conuertant, & ſanem eos.

Luc.8.v.10. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: reliquis autem per parabolas loquor, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*

2.Cor.3.v.14.15. *Chriſti bona fragrantia ſumus Deo, in iis qui ſeruantur, & in iis qui pereunt: His quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam.*

4. Deus per vocationem internam homines transfert in eccleſiam inuiſibilẽ, & in iis gratiâ ſuâ operante creat pœnitentiam, fidem, & ſanctitatem.

Eſa.29.verſ.23. *Cùm videbit natos ſuos, opificium manuum mearum.*

Ier.31.v 33. *Hoc eſt illud fœdus, quod pangam cum domo Iſraelis poſt dies hos dictum Domini: Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam; & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.*

Ezech.36.v.25.& deinceps. *Aſpergens vos aquis mundis, vt mundemini; ab omnibus impuritatibus veſtris, & ab omnibus ſtercoreis diis veſtris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: & amouens cor lapideum è carne veſtrâ, indam vobis cor carneum: ſpiritum meum ponam in medio veſtri; quo faciam, vt in ſtatutis meis ambuletis, & iura mea obſeruetis, facientes ea.* Confer Hebr.8.v.10.11.12.

Act.11. v.18. *His auditis quieuerunt Iudæi, & glorificauerunt Deum, dicentes: Nempe etiam gentibus Deus reſipiſcentiam dedit ad vitam.*

Et c.16.v.14. *Cuius* (Lydiæ) *Dominus adaperuit cor, vt attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo.*

1.Cor. 2. v.5. *Ne fides veſtra conſiſtat in ſapientiâ hominum, ſed in potentiâ Dei.*

2. Cor.3.verſ.3. *Manifeſtum ſit, vos eſſe epiſtolam Chriſti ſubminiſtratam à nobis, inſcriptam non atramento, ſed Spiritu Dei viui:*

viui: non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis.

2. Cor. 4. v. 6. *Deus, qui dixit, vt è tenebris lux splendesceret, is est, qui splenduit in cordibus nostris ad lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Iesu Christi.*

Eph. 2. v. 5. *Nos, cùm in peccatis mortui essemus, vnà viuificauit Deus cum Christo, cuius gratiâ estis seruati.*

Confer supra cum loco 14. num. 3.

Hinc patet, vocationem internam esse nouam creationem & generationem, siue regenerationem.

5. Præcepta, quibus iubemur credere & sanctè viuere, sunt adminicula, quibus vocatio interna in nobis perficitur.

2. Chron. 20. v 20. *Firmè credite Domino Deo vestro, & confirmabimini: firmè credite prophetis, & prosperamini.*

Psal. 34. v. 10. *Timete Deum sancti eius.*

Psal. 37. v. 3. 4. 5. *Confide in Domino, & fac bonum: inhabita terram, & pascere fide, & oblecta te in Domino, qui dabit tibi petitiones animi tui. Deuolue super Dominum viam tuam & confide in eo. nam ipse efficiet.*

Gen. 17. v. 1. *Indesinenter ambula coram me, & esto integer.*

Deut. 30. v. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus animum tuũ, & animum seminis tui, ad diligendum Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, vt viuas.*

Et v. 8. *Tu conuersus auscultabis voci Domini, & facies omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie.*

Et c. 19. v. 20. *Contestor hodie contra vos cœlum & terram; me vitam ac mortem proposuisse tibi, benedictionem & maledictionem. Quare vitam electurus es, vt viuas tu cum semine tuo, diligendo Dominum Deum tuum, auscultando voci eius, & adhærendo ei. Nam ipse est vita tua, & longitudo dierum tuorum.*

Matth. 5. v. 16. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera.*

1. Cor. 6. v. 20. *Emti estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.*

Philip. 4. v. 8. 9. *Quæcunq; sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunq; bona*

boni nominis; si qua virtus, & si quæ laus est, hæc reputate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audiuistis, & vidistis in me, hæc, inquam, facite.

1.Ioh.3.v.11.18.24. *Hæc est denunciatio, quam audiuistis à principio, vt diligamus alij alios. Filioli mei, ne diligamus verbo & linguâ, sed facto & veritate. Hoc est eius præceptum, vt credamus nomini Filij eius Iesu Christi, & diligamus alij alios, sicut præcepit nobis.*

Eadem est ratio interdictionum diuinarum.

Psal.32.vers.9. *Ne estote, vt equus aut mulus, expertes intelligentiæ.*

Esa.1.v.16. *Lauate vos, purificate vos, amouete malignitatem actionum vestrarum ex aduerso oculorum meorum; desinite malefacere.*

1.Cor.5.v.7. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua massa.*

1.Thess.5.v.19.20 22. *Spiritum ne extinguite, prophetias ne pro nihilo habete. Ab omni specie mali abstinete.*

6. Promissiones euangelij sunt vniuersales ratione electorum siue credentium, quorum vniuersitas est quasi peculiaris mundus.

Ioh.3.v.16. *Ita enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Et c.6.v.51. *Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ.*

Matth.11.v.28. *Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, & ego faciam vt requiescatis.*

Confer cum vers.25.& 29.in quorum illo promissionis huius analysis à priori, in hoc à posteriori traditur.

1.Iohan.2.vers.2. *Et ipse* (Christus Iesus) *est propitiatio pro nostris peccatis: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis.*

Marc.16.vers.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur.*

Esa.53.v.11. *Cognitione sui iustificabit iustus seruus meus multos; quorũ iniquitates ipse baiulauerit.* Vide quoq loc.seq.n.2.

LOCVS

LOCVS XX.

De Iustificatione.

1. Iustificandi verbum in hoc doctrinæ loco
   a) interdum idem valet quod iustum constituere, seu iustum censere reputareve.
   b) interdum idem valet, quod iustum pronuntiare seu absoluere.

a) Rom.5.v.19. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.*

Et c.4.v.6. *Dauid dicit beatificationem esse hominis, cui Deus imputat iustitiam.*

b) Rom.8.v.33.34. *Quis accusabit electos Dei? Deus est is qui iustificat. Quis est qui condemnet?*

2. Iustificatio est, quâ Deus gratiâ suâ gratum faciente, id est beneuolentiâ & fauore paterno, hominem fidelem in animo ipsius certum reddit, quòd eum, peccatis remissis, pro iusto reputet, ob redemtionem seu satisfactionem & meritum Christi mediatoris. Itaque iustificatio pendet

   a) à gratiâ Dei tanquam causâ architectonicâ.
   b) à merito Christi tanquam fundamento.
   c) à fide tanquam instrumento & manu.

De tribus hisce causis coniunctim vide Tit.3.vers.4. & seqq.

a) Rom.3.v.23.24. *Omnes peccauerunt ac deficiuntur gloriâ Dei, vt qui iustificentur gratis, eius gratiâ.*

Et c.5.v.21. *Vt quemadmodum regnauerat peccatum in mortem, ita etiam gratia regnaret per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum.*

Ephes.2.v.8. *Gratiâ seruati estis per fidem, idq; non ex vobis. Dei donum est.*

Rom.11.v.6. *Quòd si per gratiam, non iam ex operibus. alioquì gratia iam non est gratia.*

Esa.43.v.12. *Ego, ego ipse deleo defectiones tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordor.*

Matth.9.v.6. *Sciatis, potestatem habere filium hominis in terrâ remittendi peccata.*

Gen.15.v.6. *Credidit Abraham Domino, qui imputauit ei illud ad iustitiam.*

Rom.4.v.6.& deinceps. *Dauid declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat iustitiam absq; operibus, dicens: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum.*

b) Rom.5.v.15. *At non vt offensa, ita etiam est quod Deus gratificatur* (τὸ χάρισμα) *nam si illius vnius offensâ multi mortui sunt, multò magis gratia Dei* (ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ) *& donum per gratiam* (ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι) *quæ est vnius hominis Iesu Christi, in multos redundauit.* Hìc pulcherrimè gratia gratis data distinguitur à gratiâ gratis dante & gratiam faciente.

Iohan.1.v.16. *Et ex plenitudine ipsius* (Christi) *omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ,* (χάριν ἀντὶ χάριτος) id est, gratiam supra gratiam, & gratiam propter gratiam, ita vt Christus sit vberrimus fons gratiarum, quæ nobis conferuntur, Rom.3.v.23. *Omnes peccauerunt & deficiuntur gloriâ Dei, vt qui iustificentur gratis, id est, eius gratiâ, per redemtionem factam in Iesu Christo.*

Colos.1.vers.14. *In quo* (Iesu Christo) *habemus redemtionem* (ἀπολύτρωσιν) *per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum.*

Tit.2.v.13.14. *Iesus Christus seruator noster dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret* (λυτρώσηται) *nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

1.Petri1.v.18.19. *Non rebus corruptibilibus, argento vel auro, redemti estis* (ἐλυτρώθητε) *ex vanâ illâ conuersatione à patribus traditâ, sed pretioso sanguine, vtpote agni immaculati & inconta-*
minati, Christi.

Gal.3.

Gal.3.v.13. *Christus nos redemit* (ἐξηγόρασεν) *ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio.*

Et cap.4. vers.5. *Postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret* (ἐξαγοράσῃ) *vt adoptionem acciperemus.*

Apoc.5.v.9.10. *Dignus es, qui accipias librum & aperias sigilla eius: quoniam mactatus es, & redemisti* (ἠγόρασας) *nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & linguâ & populo & natione; & fecisti nos Deo reges & sacerdotes: & regnabimus in terrâ.*

Colos.1.v.13. *Eruit* (ἐρρύσατο) *seu extraxit nos ex potestate tenebrarum.*

Hebr.2.v.14.15. *Vt per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium, hoc est, diabolum: Et liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti.*

Hinc Christus appellatur vindex, *Iob.19.v.25.* liberator, *Ioh.8.v.38. Gal.5.v.1.* saluator & seruator, *Luc.2.v.11. Ioh.4.v.4. Act.5.v.31. & 13.v.23. Phil.3.v.20. 2.Tim.1.v.10. Tit.2.v.10.13. & 3.v.4.6. 2.Petri 1.v.1. & 2 v.20. & 3.v.2.18. 1.Ioh.4.vers.14. Iud.v.25.*

Esa.53.v.10. *Dominus delectatus conterere ipsum, morbo affecit, quandoquidem exponebat se ipse sacrificium pro reatu.*

Eph.5.v.2. *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.*

Hebr.9.v.14. *Christus per spiritum æternum obtuli seipsum inculpatum Deo.*

2.Cor.5.v.18. *Deus reconciliauit nos sibi per Iesum Christum.*

Hebræor.7. vers.22. *Tantò melioris pacti sponsor factus est Iesus.*

1.Cor.6.v.19.20. *Non estis vestri iuris. Nam pretio emti estis.* Idem repetitur 1.Cor.7.v.23.

Matth.10.v.28. *Filius hominis non vênit, vt sibi ministretur, sed vt ministret, detq; animam suam redemtionis pretium pro multis,* λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

1.Tim.2.v.6. *Qui* (Christus Iesus) *sese ipse dedit redemtionis pretium pro omnibus,* ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Hoc pretium dicitur *pretiosus sanguis agni inculpati & incontaminati*

Christi, 1.Petr.1.v.19.*sanguis testamenti*, Zach. 9.v.11:*& pacti aterni*,Hebr.13.v.20.

Matth. 26. v. 28. *Hoc poculum est sanguis meus noui fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Confer Luc.22.v.19.

Eph.2.v.13. *Propinqui facti estis per sanguinem Christi.*

Colosſ.1. v.20. *Pace per sanguinem crucis eius factâ, per eum reconciliare sibi omnia, per eum, inquam, tum quæ in terrâ, tum quæ in cœlis.*

1.Ioh.1. v.7. *Sanguis Iesu Christi Filij eius purgat nos ab omni peccato.*

Apoc. 1.v.5.*Lauit nos à peccatis per sanguinem suum.*

Et c. 7.v.14. *Sancti lauerunt stolas suas ac dealbarunt in sanguine Agni.*

Rom.3.v.23.& deinceps. *Omnes peccauerunt ac deficiuntur gloriâ Dei, vt qui iustificentur gratis, id est, eius gratiâ, per redemtionem factam in Iesu Christo, Quem proposuit Deus placamentum* (ἱλαστήριον) *per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem iustitiæ suæ, propter dissimulationem peccatorum.*

Et c.5.v.10.*Si, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius.*

Hebr.2.v.17.*Debuit per omnia fratribus similis fieri, vt misericors & fidelis pontifex in iis, quæ apud Deum agenda erant ad expiandum peccata populi.*

1.Ioh. 2. v.2. *Iesus Christus est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solùm, sed etiam totius mundi peccatis.*

Et c. 4. vers. 10. *In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum, vt esset propitiatio pro peccatis nostris.*

Porrò de redemtionis pretio & satisfactione Christi sunt elegantissimæ & significantissimæ phrases Scripturæ. Nominatur enim

Dominus ipse, qui se tradidit, obtulit & dedit pro nobis, Ephes. 5.vers.1. 1.Timoth.2.vers.5.Tit.2.vers.14. Hebr.7. v.26.27. c.9.vers.14.

Corpus

Corpus eius quod pro nobis traditum est, 1.Corinth.11.v.24. 1.Petri 2.v.24.

Caro ipsius, Eph 2.v.14.15. 1.Petri 4.v.1.

Corpus carnis, Col.1.v.20.21.22.

Sanguis Dei, & Christi, Act.20.v.28. Eph.2.v.13. Colosſ.1. v.14. 1.Iohan.1.v.7. Hebr.9.v.14.

Anima seu vita Christi, Esa.53.v.10. Matth.20.verſ.28. Iohan.10.verſ.15.

Iustitia Christi, Rom.5.v.18.

Obedientia, Rom.5.v.19.

Paupertas, 2.Cor.8.v.9.

Passio, Hebr.13.v.12.

Vibices & liuor, seu tumex, Esa.53.v.5. 1.Petri 2.v.24.

Attritio seu vulneratio, Esa.53.v.10.

Effusio sanguinis, Matth.26.v.28.

Immolatio, Hebr.9.v.26.c.10.v.10.

Mactatio & sanguis, Apoc.5.v.9.

Mors, Rom.5.v.8.c.6.v.10. 1.Corinth.15.v.3.Gal.2.v.21. 1.Theſſ.5.v.10. Heb.2.v.9.14. 1.Petri 3.v.18.

Crucifixio, 1.Cor.1.v.23.c.2.v.22. 2.Cor.13.v.4.

Mors crucis, Phil.2.v.8.

Sacrificium, Hebr.9.v.26.c.10.v.12.

Derelictio, Psal.22.v.2. Matth.27.v.46.

Maledictum, Gal.3.v.13.

Condemnatio peccati, Rom.8.v.3.

Christus factus peccatum, id est, sacrificium pro peccato, 2.Cor.5.v.21.

Profusio ipsius in mortem, Esa.53.v.12.

Deletio chirographi, Colosſ.2.v.14.

Baiulatio iniquitatum, Esa.53.v.11.

Propitiatio, Rom.3.v.24. 1.Ioh.2.v.2.

Curatio, Malach.3.v.20.

c) Rom.3.verſ.28. *Colligimus igitur fide iustificari hominem absq; operibus legis.*

Galat.2.verſ.16. *Scientes hominem non iustificari ex operibus legis, id est, nisi per fidem Iesu Christi: etiam nos in Christum Iesum*

credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Phil.3.v.7.8.9. *Quæ mihi erant lucra, ea duxi, propter Christum, damnum esse. Quinetiam certè duco, omnia damnum esse propter eminẽtiam notitiæ Christi Iesu Domini mei: propter quem omnibus istis me ipsum mulctaui, eaq; duco pro stercoribus, vt Christum lucrifaciam: & comperiar in eo, non habens meam iustitiam, nempe, quæ est ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, id est iustitiam, quæ est ex Deo per fidem.*

Ioh. 3. v. 14. & deinceps. *Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis, vt, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Et v.36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.*

Cap.11.v.25.26. *Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & quisquis viuit, & credit in me, non morietur in æternum.*

Et c.6.v.54. *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.*

3. Iustificari ex operibus & lege, est propriâ iustitiâ iustum esse: at ex fide iustificari est iustum esse & absolui coram Deo ob alienam, nempe Christi, iustitiam, nobis imputatam, & verâ fide acceptam, adeoq; appropriatam.

Phil.3. v.9. *Non habens meam iustitiam,* &c. Vide paulò antè, ad lit.c.

Hab.2.v.4. Rom.1.v.17. *Iustus ex fide viuet.*

Rom.3. vers.20. ad 29. *Ex operibus legis nulla caro iustificabitur, &c.*

Act.10.v.43. *Huic* (Iesu Nazareno) *omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius, qui crediderit in eum.*

Rom.4.v.11. *Abrahamus signum accepit circumcisionis, sigillum iustitiæ fidei.*

Et v.23.24. *Non est scriptum propter eum solum, quòd hoc imputatum fuerit ei: sed etiam propter nos, quibus, futurum est, vt imputetur, iis nimirum, qui credunt in eum, &c.*

Rom.5.

Rom.5.v.1. *Iustificati ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Gal.3. v.24. *Lex pædagogus noster fuit in Christum, vt ex fide iustificaremur.*

4. Fides, quâ iustificamur,

a) non est nuda & historica notitia;

b) neque est temporale gaudium: sed est

c) notitia certa & firma, quâ non tantùm assentimur verbo Dei in genere, sed promissionem gratiæ in Christo, nobis, vt nostram peculiariter, adiudicamus.

d) cum quâ coniuncta est fiducia, in Deo acquiescens; & gaudium spirituale.

e) quæ denique omnis generis opera, tanquam fructus, ex se producit, & ad finem vsq; perseuerat.

a) Iac.2.v.17. *Fides, si opera non habeat, mortua est.*

Et v.19. *Tu credis, Deum vnum esse. Rectè facis. Etiam dæmonia credunt; & horrescunt.*

Actor.26. vers.27. *Credis rex Agrippa prophetis? Scio te credere.*

b) Matth.13.v.20.21. *Qui in petrosâ semen excepit, id est, qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio accipit: non habet autem radicem in se.*

c) Rom.4.vers.18. *Qui* (Abraham) *contra spem sub spe credidit.*

Et c.8.v.28.29. *Mihi persuasum est, neq; mortem neq; vitam, neq; angelos neq; principatus, neq; potestates, neq; præsentia neque futura, neq; sublimitatem neq; profunditatem, neq; vllam rem aliam creatam nos posse separare à dilectione Dei, quæ est in Iesu Christo Domino nostro.*

2. Tim.1.v.12. *Non pudefio. Noui enim, cui crediderim; & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem custodire.*

Gal.2.v.20. *Per fidem illam Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

Iohan.3.verſ.33. *Qui recipit eius teſtimonium, is obſignauit Deum veracem eſſe.*

Eſa.26.v.3. *Cogitationi innitenti cuſtodis continuam pacem, cùm tibi confidit.*

Et cap.53.v.11. *Cognitione ſui iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos.*

1.Cor.3.v.12.*Vt ſciamus, quæ Deus eſt nobis gratificatus.*

Iob.19.v.25. *Noui redemtorem meum viuere.*

Huc pertinent magnifici illi tituli, quòd fides appellatur πληροφορία, πεποίθησις, ἔλεγχος, & ὑπόστασις: & quòd dicitur ex ſe parere παῤῥησίαν, *libertatem ad Deum*, & προσαγωγὴν, *aditum ad Deum*. Epheſ.3.v.12. Rom.5.v.2.c.8. verſ.38. 2.Cor.3.v.4.Hebr.11.v.1. item, quòd dicitur *noſtra victoria*, 1.Iohan.5.v.4. *ſcutum*, Epheſ.6.v.16. *& arma militiæ noſtræ*, 2.Cor.10.v.4.5.

d) Epheſ.3.v.12. *In quo* (Chriſto) *habemus libertatem & aditum cum fiduciâ, per fidem ipſius.*

Iohan.8.verſ.56. *Abraham geſtiuit, vt videret diem meum: & vidit, & gauiſus eſt.*

e) Iacob.2.verſ.17. & ſeqq. *Fides, ſi opera non habeat, mortua eſt per ſe, &c.*

Gal.5.v.6. *In Chriſto Ieſu neq; circumciſio quidquam valet, neque præputium, ſed fides per charitatem efficax.*

Luc.22.v.32. *Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua.*

Ioh.10.v.28. *Oues meas nemo rapiet ex manu meâ.*

2. Tim.2.v.19. *Solidum fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc, Nouit Dominus qui ſint ſui.*

1.Petri 1.v.5. *Virtute* (ἐν δυνάμει) *Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem.*

Et v.23. *Renati eſtis ex ſemine incorruptibili.*

Eſa.42.v.3. Matth.12.verſ.20. *Arundinem quaſſatam non franget, & linum fumigans non extinguet.*

Ier.32.v.40. *Timorem meum indam cordi eorum, vt non recedant à me.*

Iohan.2.verſ.27. *Vnctio, quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis.*

5. Iuſtificatio ex ſe parit
a) vnionem & communionem cum Deo.
b) gloriam adoptionis.
c) conſolationem viuam.
d) bonam conſcientiam.
e) ſalutarem vſum bonorum huius mundi.
f) tolerantiam crucis.
g) ſpem firmam.
h) libertatem Chriſtianam.

a) Eſa.54.v.5. *Coniux tuus erit opifex tuus, cuius nomen Dominus exercituum.*

Hoſ.2.v.16.19.20. *Eritq; die illo, dictum Iehouæ, vt voces me, Vir mi. Et deſponſabo te mihi in ſeculum: deſponſabo te, inquam, mihi iuſtitiâ, iudicioq; & benignitate ac miſericordiâ; & deſponſabo te mihi fide, vt agnoſcas Dominum.*

Iohan.6.v.56. *Qui edit carnem meam, & ſanguinem meum bibit, in me manet, & ego in eo.*

1.Cor.7.v.17. *Qui adhæret Domino, vnus cum eo ſpiritus eſt.*

Eph.5.v.30. *Membra ſumus corporis eius* (Chriſti) *ex carne eius & ex oſſibus eius.*

1.Cor.10.v.17. *Vnus panis vnum corpus multi ſumus.*

2.Cor.11.v.2. *Aptaui vos, quos vni viro, vt virginem puram ſiſtam, nempe Chriſto.*

Gal.3.v.28. *Omnes vos vnus eſtis in Chriſto.*

Coloſſ.3.v.15. *Vocati eſtis in vnum corpus.*

Iohan.6.verſ.54. *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam.*

Ioh.15.v.4.& ſeqq. *Manete in me, & ego in vobis manebo. ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, id eſt, niſi manſerit in vite: ita nec vos, niſi in me manſeritis, &c.*

Rom.18.verſ.17. *Si filij, ſumus etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

Eph.4.v.3. & ſeqq. *Studete conſeruare vnitatem ſpiritus per vinculum pacis. Vnum eſt corpus, & vnus ſpiritus: ſicut & vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, &c.*

1.Iohan.1.v.5.& ſeqq. *Hic eſt nuncius ille, quem audiuimus*

ex ipso, & renuntiamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo vllas esse. Si dixerimus, nos communionem habere cum ipso, & in tenebris ambulamus, mentimur, nec sincerè agimus. Quòd si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam. & sanguis Filij eius purificat nos ab omni peccato.

De hâc vnione & communione vide Canticum canticorum.

b) Esa.43.v.17.& seqq. *Sic ait Dominus, qui fecit te & formauit te ex vtero, adiuturus te: ne timeto. Nam effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super prognatos tuos. Et efflorescent velut inter gramen, velut salices secundùm processus aquarum. Hic dicet, Domini sum, & iste vocabit se nomine Iacobi: ille verò scribet manu suâ, sum Domini, & de nomine Israëlis cognominabit.*

Et c.56.v.4.5. *Qui obseruarint sabbata mea, & elegerint id quo delector, apprehenderintq; fœdus meum: eis daturus sum in domo meâ, & intra muros meos spatium & nomen melius, quàm filiorum aut filiarum: nomen perpetuum daturus sum eorum cuique, quod non excindetur.*

Et c.62.v.4. *Indetur tibi nomen nouum, quod os Domini prafixerit.*

Hos.1.v.10. *Erit pro eo, quod dicitur, non populus meus estis, vt dicatur, Filij Dei viuentis estis.*

Matth.5.v.9. *Beati, qui sunt pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.*

Et v.45. *Estis filij patris illius vestri, qui est in cœlis.*

Et c.13.v.38. *Bonum semen sunt filij regni.*

Luc.6.v.35. *Diligite inimicos vestros, &c. & erit merces vestra multa, ac filij eritis illius altissimi.*

Iohan.1.v.12. *Quotquot eum* (Christum) *exceperunt, dedit eis hoc ius, vt filij Dei sint facti, nempe iis, qui credunt in nomen eius.*

Rom.8.v.14.& seqq. *Quotquot spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei: Non enim accepistis spiritum seruitutis rursum ad metum, sed accepistis spiritū adoptionis, per quem clamamus Abba, i. pater.*

2.Cor.

2.Cor.6.v.18. *Ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi pro filiis & filiabus: dicit Dominus omnipotens.*

Galat.3.vers.26. *Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.*

Gal.4.v.5.6. *Vt adoptionem acciperemus. Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem Abba, id est, Pater.*

Eph.1.v.5. *Quos adoptaret in filios per Iesum Christum.*

Phil.2.v.15. *Sitis integri & sine maculâ, tanquam filij Dei sinceri, qui habitant in generatione prauâ & peruersâ.*

1.Iohan.3.v.2. *Dilecti, nunc filij Dei sumus.*

Et v.9.10. *Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam; quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, quòd ex Deo natus est. Per hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli.*

Apoc.2.v.17. *Qui vicerit, ei tribuam, vt edat ex mannâ illo occulto, & dabo illi calculum album, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo nouit, nisi qui accepit.*

Et c.21.v.9. *Victor hæreditario iure obtinebit omnia: & ero ipsi Deus, & ipse erit mihi filius.*

c) Psal.94.v.19. *Cùm multæ cogitationes sunt apud me, consolationes tuæ oblectant animam meam.*

Esa.12.v.1. *Dices tempore illo, Celebrabo te Domine, quia iratus fuisti mihi, sed auersâ irâ meâ consolaris me.*

Et c.51.v.12. *Ego ego sum consolator vester.*

Et c.61.v.1.2. *Vnxit Dominus me, ad consolandum omnes lugentes.*

Et c.66.v.13. *Vt aliquem consolatur mater sua, sic ego consolaturus sum vos.*

2.Corinth.1.v.3.& seqq. *Benedictus Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, pater ille miserationum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostrâ: vt possimus in quâuis afflictione positos consolari eâ ipsâ consolatione, quâ nos ipsos consolatur Deus. Nam sicut exundant perpessiones Christi in nobis: ita per Christum exundat etiam consolatio nostra.*

2.Thess.2.v.16.17. *Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam &*

ſpem bonam per gratiam, conſoletur corda veſtra, & ſtabiliat vos in omni ſermone & opere bono.

d) 2. Cor. 1. v. 11. *Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd cum ſimplicitate & ſinceritate Dei verſati ſumus in mundo.*

Hebr. 13. v. 18. *Confidimus, nos bonam conſcientiam habere, vt quiin omnibus ſtudeamus benè verſari.*

Ioh. 8. v. 56. *Abrahamus, pater ille veſter, geſtiuit videre diem iſtum meum, & vidit, ac gauiſus eſt.*

Rom. 5. v. 1. *Iuſtificati ex fide, pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

1. Petri 3. v. 21. *Baptiſmus nos ſeruat, non quo carnis ſordes abijciuntur, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum*: id eſt, non baptiſmus externus, ſed internus.

e) 1. Timoth. 4. v. 3. 4. *Deus condidit cibos ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis, qui nôrũt veritatem. Nam quidquid condidit Deus, bonum eſt: nec quidquam reijciendum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur.*

Deut. 28. v. 1. & ſeqq. *Erit, ſi fideliter auſcultaueris voci Domini Dei tui, &c. Benedictus eris in ciuitate, & benedictus eris ruri, &c.*

f) Iob. 9. v. 23. *Ad probationem innocentium ridet.*

Pſal. 37. v. 20. *Multæ ſunt afflictiones iuſti: ſed ex omnibus illis eripit eum Dominus.* Vide inſignem ſimilitudinem *Eſa.* 28. *v.* 23. & deinceps.

Ier. 46. *v.* 28. *Caſtigaturus ſum te modicè, non autem prorſus relicturus impunem.*

Rom. 8. v. 17. *Si modò cum eo patimur, vt & cum eo glorificemur.*

1. Cor. 11. v. 32. *Dum iudicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur.*

2. Tim. 3. v. 12. *Omnes, qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.*

Hebr. 11. v. 35. & ſeqq. *Sanctorum alij diſtenti ſunt, alij ludibria & flagella ſunt experti,* &c.

Et c. 12. v. 5. 6. *Obliti eſtis adhortationis, quæ vobis tanquam filiis lo-*

his loquitur: *Fili mi, ne parui facito castigationem Domini, neque animo frangitor, cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem, quemcunque filium agnoscit.*

Iacob. 1. v. 2. 3. *Summo gaudio ducite, quoties in tentationes varias incideritis: scientes, explorationem fidei vestræ efficere tolerantiam.*

1. Petr. 4. v. 17. *Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei.*

Apoc. 3. v. 19. *Ego, quoscunque amo, arguo & castigo.*

g) Rom. 5. v. 5. *Spes non pudefacit, eò quòd charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.*

Et v. 2. *Per quem* (Iesum Christum) *etiam fide adducti sumus in hanc gratiam per quam stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei.*

Psal. 62. v. 8. *Spes mea in Deo est.*

Et 142. v. 6. *Dixi, Tu es spes mea.*

Esa. 30. v. 15. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.*

Rom. 8. v. 24. *Spe enim saluati sumus.*

1. Thess. 5. v. 8. *Induti thorace fidei & charitatis: & pro galea, spe salutis.*

Confer *Rom. 12. v. 12. c. 15. v. 4. 2. Cor. 1. v. 7. c. 3. v. 12. Coloss. 1. v. 5. 1. Thess. 1. v. 3. Tit. 1. v. 2. Hebr. 3. v. 6. 1. Petri 1. v. 3.*

h) libertas Christiana est in eo, quòd liberati sumus

i) à maledictione legis.

k) à rigidâ exactione legis.

l) à ceremoniis legis.

m) à rerum adiaphorarum necessariâ obseruatione.

i) Gal. 3. v. 13. *Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio.*

Rom. 6. v. 14. *Non estis sub lege, sed sub gratiâ.*

k) Rom. 7. v. 22. *Delector lege Dei, quod ad interiorem hominem.*

1. Ioh. 5. v. 3. *Mandata eius grauia non sunt.*

l) Gal. 3. v. 24. *Postquam vênit fides, non amplius sub pædagogo sumus.*

Eph.2.v.14.15. *Christus est pax nostra: qui vtraq; fecit vnum, & intergerini parietis septum soluit: inimicitiis (id est, lege mandatorum quæ in ritibus posita est) per carnem suam abolitis.*

Colos.2.v.14. & deinceps. *Christus deleuit, quod aduersus nos erat rituum chirographum, quod erat nobis contrarium: ipse verò cruci affixum sustulit. Ne quis igitur nos damnet ob cibum vel potum, &c. Quæ sunt vmbra rerum futurarum: corpus autem est Christi.*

m) Gal.2.v.3. & deinceps. *Sed neq; Titus, qui mecum erat, quamuis esset Græcus, coactus fuit circumcidi. Nempe propter irreptitios falsos fratres qui irrepserant, ad explorandum libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem adigerent. Quibus ne ad momentum quidem nos subiyciendo cessimus: vt veritas euangelij permaneret apud vos.*

LOCVS XXI.

De bonis operibus.

1. Sanctificatio est, quâ Deus in iustificatis, gratiâ suâ cooperante, sanctitatem gratiâ operante datam, dirigit ad bona opera facienda.

Exod.31.v.13. *Ego Dominus sum, qui sanctifico vos.*

Ezech.20.v.12. *Ego Dominus sanctifico vos.*

Et c.36.v.27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam vt in statutis meis ambuletis, & iura mea obseruetis, facientes ea.*

Et c.37.v.38. *Cognoscant gentes, me Dominum sanctificare Israëlem, cùm erit sanctuarium meum in medio ipsorum.*

Luc.11.v.13. *Si vos, qui mali estis, nostis bona dare liberis vestris: quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus ab ipso.*

Ioh.17.v.17. *Sanctifica, Pater, eos, tuâ veritate.*

2. Cor.3.vers.5. *Non sumus idonei per nos ipsos ad cogitandum quidquam, velut ex nobis ipsis: sed quòd idonei sumus, id ex Deo est.*

Phil.4.

Phil.4.v.13. *Omnia valeo per eum, qui me corroborat, nempe Christum.*

Hebr.13.v.20.21. *Deus pacis compingat vos ad omne opus bonum, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis, quod gratum sit in conspectu suo.*

2.Thess.1.v.18. *Oramus semper pro vobis, vt vos dignetur istâ vocatione Deus noster, & compleat omnem suæ gratuitæ bonitatis beneuolentiam, & opus fidei potenter.*

Tit.2.v.14. *Dedit semetipsum* (Iesus Christus) *pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

Phil. 2.v.13. *Deus is est, qui efficit in nobis, & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuitâ suâ beneuolentiâ.*

1.Cor.15.v.10. *Gratiâ Dei sum id, quod sum: & gratia eius, quæ in me collata est, non fuit inanis, sed ampliùs quàm omnes laborauí: non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est.*

Rom.6.v.22. *Liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam: finem autem vitam æternam.*

Hinc est, quòd sancti tum pro se, tum pro aliis orant, vt sanctè incedant.

Psal.93.v.24. *Deduc me, Deus, viâ perpetuâ.*

Et 141.v.3.4. *Compone, Domine, obserua os meum; custodiens moderare quidquid efferunt labia mea, ne sine inclinari animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem cum viris operam dantibus iniquitati: etiam inescer rebus amœnis eorum.*

Et 143.v.10. *Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus es: tuo spiritu bono deduc me per terram planam.*

Eph.3.v.14.& seqq. *Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo tota familia in cœlis & in terrâ nominatur; vt det vobis pro diuite suâ gloriâ, vt fortiter corroboremini per spiritum ipsius in interiore homine, & inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris: vt in charitate radicati & fundati valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa latitudo & longitudo, profunditas & sublimitas.*

1.Petri 5.v.10. *Deus omnis gratiæ, qui vocauit vos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, pauliſper afflictos, is perficiat vos, ſtabiliat, roboret, fundet.*

2. Bona opera debent fieri ex fide, ſecundùm legem Dei, ad ipſius gloriam.

Rom.14.v.vlt. *Quidquid verò ex fide non eſt, peccatum eſt.*

Hebr.11.v.6. *Fieri non poteſt, vt ſine fide quiſquam ei placeat.*

1.Sam.15.v.22. *At dixit Samuel, An delectatur Iehoua holocauſtis & ſacrificiis, vt cùm auſcultatur voci Iehouæ? Ecce, auſcultare eſt melius ſacrificio; attendere, adipe arietum.*

Eph.6.v.17. *Galeam etiam ſalutis recipite, & gladium ſpiritus, hoc eſt, verbum Dei.*

Pſal.119.v.105. *Lucerna pedi meo verbum tuum eſt, lux itineri meo.* Vide paſſim in hoc pſalmo.

Deut.12.v.vlt. *Vnamquamque rem, quam ego præcipio vobis, eam obſeruantes facite: ne addito ei, neq; detrahito ex eâ.*

Eſa.29.v.13. *Dixit enim Dominus, propterea quòd appropinquans populus iſte, ore ſuo & labiis ſuis honorant me, cor autem ſuum procul amouet à me: eſtq; reuerentia eorum erga me, quam præcepto hominum edocti ſunt.* Confer Matth.15.v.8.

Ezech.20.v.18.19. *Edixi enim filiis illorum in deſerto, In ſtatutis patrum veſtrorum ne ambuletis, & iura illorum ne obſeruetis; neq; ſtercoreis diis illorum vos polluatis. Ego ſum Iehoua Deus veſter, in ſtatutis meis ambulate, & iura mea obſeruate, ac facite ea.*

Matth.15.v.9. *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum.*

1.Cor.10.v.31. *Omnia in Dei gloriam facite.*

Et c.6.v.20. *Glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.*

3. Bonorum operum curſus quotidie eſt inſtaurandus per pœnitentiam, hoc eſt, mortificationem veteris, & viuificationem noui hominis.

Matth.3.v.4. *Ferte fructus reſipiſcentiâ dignos.*

Eſa.1.v.16.17. *Lauate vos, purificate vos, amouete malignitatem*

tatem actionum vestrarum ex aduerso oculorum meorum; desinite malefacere, discite benefacere.

Amos 5.v.15. *Odio habete malum, & amate bonum.*

Psal.34.v.15. *Recede à malo, & fac bonum.*

Eph.4.v.21. & seqq. *Per eum* (Christum) *edocti estis deponere, quod ad pristinam conuersationem attinet, veterem illum hominem, qui de seductricibus cupiditatibus sese corrumpit: renouari verò spiritu mentis vestræ, & induere nouum illum hominem, qui secundùm Deum conditus est ad iustitiam & sanctimoniam veram.*

Et c.3.v.8. *Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis incedite.*

Tit.2.v.11.12. *Illuxit gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt, abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, & iustè, & piè viuamus in præsenti seculo.*

2.Cor.7.v.9.10. *Nunc gaudeo, non quòd tristitiâ affecti fueritis, sed quòd tristitiâ affecti fueritis ad resipiscentiam. Nam tristitiâ fuistis affecti secundùm Deum, &c. Nam qui secundùm Deum dolor est, is resipiscentiam efficit ad salutem, cuius nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit.*

4. Deus remuneratur bona opera, præmiis temporalibus & æternis, ex merâ gratiâ.

Luc.17.v.10. *Vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. nam quod debuimus facere, fecimus.*

Matth.5.v.12. *Gaudete & exultate: quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Confer Luc.6.v.23.35. Apoc.22.v.12.

Matth.25.v.34. & seqq. *Tunc dicet rex iis qui ad sinistram ipsius erunt, Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iacto mundi fundamento. Esuriui enim, & dedistis mihi, quo vescerer: sitiui, & dedistis mihi potum, &c.*

1.Tim.4.v.8. *Pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.* Confer Deut.28.

5. Opera primæ tabulæ præcipua, sunt

a) Dilectio Dei supra omnia, coniuncta cum timore filiali.

b) Fidu-

b) Fiducia in Deo.
c) Patientia erga Deum, coniuncta cum ſpe.
d) Precatio.
e) Confeſſio.
f) Iuramentum.
g) Votum.
h) Religioſitas.

a) Pſal. 18. v. 2. 3. *Ex intimis viſceribus meis diligam te, Domine firmitas mea; Domine petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, ad quam recipiam me; clypeus meus, & cornu ſalutis mea, editus locus meus.* Confer Matt. 22. verſ. 37.

Deut. 10. v. 12. *Quid Dominus tuus petit abs te* (Iſrael) *niſi vt timeas Dominum Deum tuum, ambules in omnibus viis eius, & diligas eum, & colas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo?*

b) Eſa. 26. v. 4. *Confidite Domino vſq; in ſempiternum. Nam in Domino Domino rupes ſeculorum eſt.*

Pſal. 4. v. 6. *Fiduciam habete in Domino.*

Pſal. 115. v. 9. & deinceps. *Iſrael confide Iehouæ, auxilium horum & ſcutum horum eſt. Vos è familiâ Aharonis confidite Iehouæ, auxilium horum, & ſcutum horum eſt. Timentes Iehouam confidite Iehouæ, auxilium horum & ſcutum horum eſt.*

c) Luc. 8. v. 15. *Quod ſemen in bonam terram cecidit, ij ſunt, qui corde honeſto ac bono auditum ſermonem retinent, & fructum afferunt in patientiâ.*

Et c. 21. v. 19. *Per tolerantiam veſtram poſſidete animas veſtras.*

Apoc. 2. v. 2. *Noui opera tua, & laborem tuum, & tolerantiam tuam.*

Iacob. 5. v. 8. *Patiente animo eſtote, & ſtabilite corda veſtra.*

Pſal. 103. v. 7. *Expectationem habeat Iſrael in Domino: quia apud Dominum eſt benignitas, & plurimũ apud eum redemtionis.*

Hoſ. 12. v. 7. *Tu* (Iſrael) *ad Deum tuum conuertere; benignitatem & iudicium obſerua, & expectationem habe in Deo tuo iugiter.*

Pſal. 22.

Psal.22.v.5. *Tibi confisi sunt maiores nostri: confisi sunt, & liberasti eos.* Confer 1.Petri 1.v.13.21. 1.Tim.4.v.10.

d) Psal.50.v.15. *Inuoca me in die angustiæ, eripiam te.*

Psal.138.v.1. *Celebrabo te ex toto animo meo.*

1.Thess 5.v.17.18. *Indesinenter orate. In omnibus gratias agite. Hæc enim est voluntas Dei per Iesum Christum erga vos.*

e) Rom.10.v.10. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Matth.10.v.32.33. *Quisquis igitur agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego eũ coram Patre meo qui est in cœlis: Quisquis autem abnegauerit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo qui est in cœlis.*

f). Leuit.19.v.12. *Neq; iurate per nomen meum ad fallaciam vllam: sic profanaueris nomen Dei tui, ego sum Iehoua.*

Matth.5.vers.33. *Non peierabis, sed reddes Domino quæ iuraueris.*

Ierem.4.v.2. *Quin iures, viuit Iehoua, in veritate, iudicio, & iustitiâ.*

g) Psal.50.v.14. *Redde excelso vota tua.*

Et 116.v.13.14. *Quid responderem Domino? omnia beneficia eius superant me. Poculum omnis salutis acceptum exhibebo, & nomen Domini prædicabo; vota mea Domino rependens.*

Eccles.5.v.5. *Melius est, vt non voueas, quàm vt voueas ac non persoluas.*

h) Psal.50. Esa.1.v.11. & seqq. 1.Cor.11.vers.20. & seqq. Iacob.1.v.vlt. *Religio pura & incontaminata apud Deum & Patrem hæc est, inuisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum sese seruare à mundo.*

6. Circa precationem attendenda sunt hæc tria:

a) Quid nos debeat mouere ad precandum: putà sensus nostræ necessitatis, mandatum Dei, & promissio exauditionis.

b) Quomodo sit precandum: videl. reuerenter, ardenter, demissè, fiducialiter, piè & perseueranter.

c) Quales circumstantiæ sint obseruandæ.

a) Psal.50.v.15. *Inuoca me in die angustiæ: eripiam te.*

Iohan.16.v.23.24. *Petite, & accipietis. Amen amen dico vobis, Quæcunque petieritis à Patre meo in nomine meo, dabit vobis.*

Matth.7.v.7. *Petite, & dabitur vobis.*

Et c.18.v.19. *Si duo ex vobis consenserint in terrâ, quodcunq; petierint, fiet eis à Patre meo qui est in cœlis.*

b) Vide exemplum Abrahami, *Gen.18. v.24. & deinceps.* Danielis, *cap.9.v.3. & deinceps.* publicani, *Luc.18.v.13.* & parabolam de viduâ, *Luc.18.v.1. & seqq.*

Hebr.10.v.22. *Cùm habeamus libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Iesu: accedamus cum vero corde & certâ persuasione fidei.*

Iac.1.v.6. *Postulet cum fide.*

Vide infrà Artem precandi.

c) In N. T. non sumus astricti ad certum locum publicum, 1.*Tim.2.v.8. Iohan.4. Matth.14.v.23. & c.6.v.6.* & priuatis precibus non est præscriptum certum tempus, publicis verò præscriptus est dies Dominicus, *Act.20.v.7. 1.Corinth.16.v.2.* denique gestus varij possunt adhiberi, putà eleuatio manuum, 1.*Reg.8.v.22:* flexio genuum, *Act.20.v.36:* eleuatio oculorum versus cœlum, *Ioh.11. v.41:* capitis detectio, 1.*Cor.11.v.4.* &c.

7. Circa votum hæc sunt obseruanda.

a) ne aliquid voueamus quod pugnet cum verbo Dei, vel cui præstando non simus pares, vel quod non conueniat nostræ vocationi.

b) vt per votum nostrum studeamus beneficium aliquod à Deo impetrare, non verò illud habeamus pro opere meritorio.

c) vt per votum nos astringamus ad officium faciendum.

a) *Act.23. v.12.* recitatur impium votum quadraginta virorum, qui vouerant se non esuros neque bibituros, donec trucidassent Paulum.

1.Cor.7.v.9. *Quòd si se non continent, matrimonium contrahant.*

hunt. Itaque peccant, qui vouent cœlibatum, si non habeant donum continentiæ.

1.Cor.7.v.4. *Neuter* (coniugum) *habet potestatem proprij corporis.* Peccaret igitur maritus, si voueret continentiam cum vxore; & vicissim.

b) Tale fuit votum Iacobi, *Gen.28.v.20*: Iephthe, *Iud.11. v.32.33*: Hannæ, *1.Sam.1.v.11*: Absalomi, *2.Sam.15.v.8.*

c) Tale fuit votum Dauidis de inueniendo loco pro arcâ fœderis, *Psal.132.v.2.& deinceps.*

8. Præcipua opera secundæ tabulæ sunt,

a) Dilectio proximi sincera & constans.

b) Eleemosyna.

c) Euitatio scandali.

d) Ædificatio proximi.

e) Legitimus vsus rerum indifferentium.

a) 1.Iohan.4.v.21. *Hoc præceptum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat etiam fratrem suum.*

Matth.5.v.44. *Diligite inimicos vestros, benedicite iis qui deuouent vos, & precamini pro iis qui vobis infesti sunt, & prosequuntur vos.* Confer Luc.6.v.27.& Matth.6.v.15.16.

Rom.12.v.20. *Si esurit inimicus tuus, ciba eum: si sitit, da ei potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput eius.*

b) Dan.4.v.27. *Peccata tua iustitiâ abrumpe, & iniquitates tuas gratiâ erga afflictos.*

Vide etiam Matth.6.v.1.& seqq.& c.25.v.34.& seqq.

c) Matth.18.v.6.& deinceps. *Quisquis offenderit aliquem exparuis istis, qui in me credunt, præstiterit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, ac demergatur in profundum maris. Væ mundo ab offendiculis.* Hîc tamen non debemus curare, si quis nostris rectè dictis aut factis offendatur, *Matth.5.v.12. Iohan.6.vers.61.*

1.Cor.10.v.32. *Estote sine offendiculo, & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei.*

d) Rom.15.v.2. *Vnusquisq; proximo indulgeat ad bonum, ad ædificationem.*

1.Corinth.10.vers.vlt. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non*

ceo, non quærens meam ipſius vtilitatem, ſed multorum, vt ſeruentur.

e) Rom.14.v.13. & ſeqq. *Ne ampliùs igitur alij alios iudicemus : ſed hoc iudicate potiùs, ne offendiculum ponatis fratri aut ſcandalum.* Item: *Si propter eſcam frater tuus triſtitiâ afficitur, non iam ſecundùm charitatem ambulas.*

1.Cor.10.v.23. *Omnia mihi licent: ſed non omnia ædificant.*

Rom.15.v.1. *Debemus autem nos qui firmi ſumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobis ipſis.*

LOCVS XXII.

De Sacramentis in genere.

1. Sacramenta ſunt ſigna fœderis gratuiti.

Gen.17.v.10.11. *Hoc eſt fœdus meum inter me & vos, & ſemen tuum poſt te, quod ſeruabitis: vt circumcidatur vobis omnis mas. Circumcidetis igitur carnem præputij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me & vos.*

Rom.4.v.11. *Accepit Abraham ſignum circumciſionis.*

Luc.22.v.20. *Hoc poculum eſt nouum illud teſtamentum (ſeu fœdus) per meum ſanguinem.*

Exod.13.v.8.9. *Et annuntiabis filio tuo die illo, dicendo: Propter hoc fecit iſta Iehoua mihi, cùm exirem ex Ægypto: Vt ſit tibi in ſignum ad manum tuam, & in monimentum inter oculos tuos, vt ſit doctrina Iehouæ in ore tuo; quia manu forti eduxit te Iehoua ex Ægypto.*

2. Sacramenta res ſignificatas repræſentant ſimilitudine ſuâ.

Deut.30.v.6. *Iehoua circumcîdet cor tuum.* Sic Roman.2. verſ.29.

Exod.12.verſ.46. *Os ne confringatis in illo,* agno paſchali.

Hoc præfigurauit fore vt Chriſto crucifixo non frangerentur crura, *Iohan.19.v.33.36.*

1.Cor.5.v.7. *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, nempe Chriſtus.*

Act.22.

Act.22. v.16. *Baptizare & ablue peccata tua.*

1.Corinth.11. v.24. *Hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur.*

Luc.22. v.20. *Hoc poculum est nouum illud testamentum per meum sanguinem, qui pro vobis effunditur.*

3. Sacramenta sunt signa

a) significantia & docentia, siue picturæ.

b) obsignantia & confirmantia, siue sigilla.

c) exhibentia rem significatam in legitimo vsu.

d) discernentia, siue indicantia Christianos.

e) memorialia.

f) prædicentia resurrectionem carnis, & vitam æternam.

a) Vide num.2.

b) Rom.4.vers.11. *Et signum accepit circumcisionis,* (Abraham) *sigillum iustitiæ fidei.*

c) Matth.26.v.26.27.28. *Accipite, comedite: Hoc est corpus meum.* Item: *Bibite ex eo omnes. Hoc est enim sanguis meus noui fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

d) Gen.17. v.14. *Præputiatus autem mas, qui non circumciderit carnem præputij sui, vtique exscindetur homo ille è populis suis.*

Exod.12.v.43. *Nullus alienigena vescitor illo.*

e) Exod.13. v.8.9. Vide num.1.

1.Cor.11.v.24.25. *Hoc facite ad mei commemorationem.*

f) Rom. 6. v.4. *Sepulti sumus igitur cum eo per baptismum in mortem: vt sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nouâ vitâ incedamus.*

4. In sacramentis vniuntur res terrestris & cœlestis vi promissionis Christi verâ fide apprehensæ.

Matth.26.v.26. *Hoc est corpus meum.*

Et v.28. *Hoc est sanguis meus.* Sic Marci 14.v.22.24. Lucæ 22.v.19.20. 1.Cor.10.v.4.& 6. 1.Cor.11.v.24.25.

5. Phrases sacramentales sacramentaliter sunt accipiendæ.

Gen.17.v.11. *Fœdus meum erit in carne veſtrâ.*

Exod.12.v.11. *Agnus eſt tranſitus Iehouæ.*

Act.22.v.16. *Baptizare, & ablue peccata tua.*

Vide etiam num.præced.4.

In his locutionibus nomina rerum ſignificatarum ipſis ſignis attribuuntur.

6. Verbum & ſacramenta

a) conueniunt nucleo, qui eſt Chriſtus.

b) differunt modo docendi.

a) 1.Iohan.1.v.7. *Sanguis Ieſu Chriſti Filij eius purgat nos ab omni peccato.*

Matth.26.v.26. *Hoc eſt corpus meum.* Et v.28. *Hoc eſt ſanguis meus.*

b) Rom.10.v.17. *Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

Et c.4.verſ.11. *Signum accepit circumciſionis, ſigillum iuſtitiæ fidei.*

7. Verbum in ſacramentis eſt concionale, & proinde ratione credentium eſt practicum ſeu efficax, ratione incredulorum eſt inefficax.

2.Rom.2.v.25.& ſeqq. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem exequaris, &c. quòd ſi tranſgreſſor legis fueris, circumciſio tua facta eſt præputium, &c.*

1.Petri 3.v.21. *Cui rei nunc correſpondens exemplar baptiſmi nos quoque ſeruat (non quo carnis ſordes abijciuntur, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum) per reſurrectionem Ieſu Chriſti.*

2.Cor.2.v.15.16. *Chriſti bona fragrantia ſumus Deo, in iis qui ſeruantur, & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam.* Confer 1.Cor.10.v.5. *Sed pleroſque illorum non approbauit Deus:* eos videlicet qui eſcam ſpiritualem non rectè verâ fide ſumſerunt, &c.

8. In ſacramẽti adminiſtratione ſunt diſtinguenda iſta ſex: homo exterior diſpenſans & accipiens ſacramentum, res terreſtris, & actio circa rem terreſtrem; quæ tria ſunt externa: tum homo interior, res cœleſtis ſeu tota

Trini-

Trinitas quæ ibi est præsens, & actio interior circa rem cœlestem.

Ier. 4. v. 4. *Circumcidite vos Iehouæ, & amouete præputia animi vestri.*

Matth. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos aquâ ad resipiscentiam: is verò qui post me venit, validior me est, &c. ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Confer Marc. 1. v. 8. Luc. 3. vers. 16. Iohan. 1. vers. 26.

Marci 16. vers. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur.*

Matth. 28. v. 19. *Baptizantes eos in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti.*

Colos. 2. v. 11. *In Christo circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus.*

Vide quoque 1. Petri 3. v. 21. ad num. præced. 7.

LOCVS XXIII.

De sacramentis vet. Testamenti.

1. Sacramenta V. & N. T. conueniunt reipsâ seu fundamento, nucleo & substantiâ; differunt gradu & modo claritatis, & facilitatis, itemq; largioris atque laxioris administrationis.

Vide suprà loc. 16. de euangelio.

Hoc ipsum patet ex collatione circumcisionis cum baptismo, & agni paschalis cum sacrâ cœnâ.

Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.*

1. Cor. 10. v. 2. 3. 4. *Et omnes in Mosen baptizatos esse nube & mari: Et omnes eandem escam spiritualem edisse: Et omnes eundem potum spiritualem bibisse. Bibebant enim ex sequente spirituali petrâ. Petra verò illa erat Christus.*

1. Cor. 5. v. 7. *Pascha nostrum, pro nobis sacrificatum est, nempe Christus.*

Colos. 2. v. 11. 12. *In Christo circumcisi estis circumcisione quæ*

ſine manibus, corpore peccatis carnis exuto per circumciſionem Chriſti, conſepulti cum eo per baptiſmum, &c.

2. Circumciſio ponebat populo Dei ob oculos naturam corruptam, & ſimul obſignabat, ipſos fœderi gratiæ eſſe inſitos, & proinde in Chriſtum venturum incorporatos.

Gen.17.v.10.11. *Hoc eſt fœdus inter me & vos*, &c, Vide loc.præced.num.1.

De interrupto & redintegrato circumciſionis vſu vide *Ioſ.5.*

Rom.4.v.11. *Et ſignum circumciſionis accepit, ſigillum iuſtitiæ fidei.*

3. Circumciſio externa, quæ erat ſignum communionis externæ, hypocritis etiam adminiſtrabatur: ſed eadem coniuncta cum internâ circumciſione cordis ſolis electis fuit propria.

Rom.2.v.25. & deinceps vſque ad finem: vbi, v.28.29. apoſtolus ait: *Nec ea, quæ eſt in propatulo circumciſio, id eſt, in carne, circumciſio eſt. Sed circumciſio cordis, id eſt, in Spiritu, non in literâ.*

4. Paſcha populo Dei redigebat in memoriam liberationem ex Ægypto, & obſignabat ſpiritualem liberationē per ſanguinem Chriſti.

Exod.12.& 13. collato cum 1.Cor.5.v.7.

Sub liberatione ex Ægypto intelligere oportet conſeruationem à cæde primogenitorum, Exodi 12. verſ.27. *Victima paſchatis eſt Domino, qui tranſieris præter domos filiorum Iſraëlis in Ægypto, cùm cæderet Ægyptios, familias noſtras eripuit.*

Vide infrà in Chronologiâ de quinque Paſchatis, quæ Chriſtus celebrauit, & ſuprà in Computo de illâ quæſtione num Chriſtus, iam iam aditurus magnam & ſolennem ſuam paſſionem, anticipauerit Paſcha.

LOCVS

LOCVS XXIV.

De baptiſmo.

1. Baptizandi ſunt, tum adulti qui recens ad fidem Chriſtianam conuerſi ſunt, tum infantes è Chriſtianis parentibus nati.

Matth.28.v.19. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Hîc obſeruandum eſt in Græco eſſe μαθητεύσατε, id eſt, diſcipulos facite. quaſi dicat, diſcipulos factos baptizate, hoc eſt, congregatos in eccleſiam baptizate. Tales verò etiam ſunt liberi Chriſtianorum.

Act.16.v.33. à Paulo & Silâ baptizatus eſt commentarienſis Philippenſis, & omnes domeſtici eius. *Ibid. v.15.* baptizata eſt Lydia & domus eius. Proinde & paruuli.

Coloſſ.2.v.11.12. Baptiſmus circumciſioni ſucceſſit. At verò liberi Iudæorum ſunt circumciſi octauo die, *Geneſ.* 17.*v.*12. Itaque & Chriſtianorum liberi recens nati ſunt baptizandi: quia non ſunt deterioriconditione, quàm infantes in V.T.

1.Cor.7.v.14. *Liberi veſtri ſancti ſunt:* quia ſcilicetcomprehenſi ſunt in fœdere, de quo Gen.17.v.10. *Hoc eſt fœdus meum inter me & vos, & ſemen tuum poſt te, quod ſeruabitis,* &c. Confer Matt.19.v.14.15. *Ieſus autem ait, Omittite iſtos puerulos, & ne prohibete eos ad me venire. Talium eſt enim regnum cœlorum. Et cùm impoſuiſſet eis manus, profectus eſt illinc.* Sic Marc.10.v.13.& ſeqq. vbi v.16.dicitur: *Et impoſitis manibus benedixit eis.*

Act.2.v.38.39. *Petrus autem dixit ad eos, Reſipiſcite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomen Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim facta eſt promiſſio, & liberis veſtris, & omnibus longè pòſt futuris, quoſcunque videl.aduocauerit Dominus Deus noſter.*

2. Adminiſtratio baptiſmi cohæret cum prædicatione verbi.

Matth. 28. verſ. 19. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos.*

Itaque quia mulieri non licet docere, *1. Cor. 14. verſ. 34. 1. Tim. 2. v. 12.* neq; etiam licet baptizare.

3. Ritus baptizandi, qui fit per immerſionem in aquam, ſignificantiùs exprimit mortificationem veteris hominis, quàm ritus aſperſionis.

Rom. 6. v. 3. 4. *An ignoratis, nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius eſſe baptizatos. Sepulti igitur ſumus cum eo per baptiſmum in mortem,* &c.

Matth. 3. v. 16. *Et baptizatus Ieſus aſcendit ex aquâ.*

Act. 8. v. 38. *Deſcenderunt ambo in illam aquam, Philippus ſimul & eunuchus: & ille baptizauit eum.*

4. Per baptiſmum

a) omnes qui baptizantur, profitentur ſe eſſe Chriſtianos.

electi & credentes confirmantur

b) in fide remiſſionis peccatorum.

c) in fide & ſpe renouationis naturæ noſtræ.

d) in fide & ſpe vnionis cum Chriſto.

a) *Matth. 28. verſ. 19.* baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus ſancti, eſt per baptiſmum conſecrari Deo.

b) Act. 2. v. 38. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomen Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.*

c) *Rom. 6. v. 3.* & deinceps. Vide num. 3.

Tit. 3. v. 5. *Ex ſuâ miſericordiâ ſeruauit nos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti.*

d) 1. Cor. 12. v. 13. *Per vnum ſpiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus.*

5. Baptiſmus integer conſtat actione corporali & ſpirituali, ſeu externâ & internâ.

Matt. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos aquâ ad reſipiſcentiam: is verò qui poſt me venit, validior me eſt,* &c. *ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne.* Vide loc. 22. num. 8. & confer 1. Petri 3. verſ. 21.

LOCVS

LOCVS XXV.

De cœna Domini.

1. Ad ſacram cœnam nemo admittendus eſt niſi baptizatus & maturæ ætatis.

*Exod.*12. *v.* 48. non niſi circumciſi admittebantur ad agnum paſchalem ; in cuius locum ſucceſſit cœna Domini.

Matth.26. v. 26. *Edentibus autem eis* (diſcipulis Chriſti) *Ieſus cùm accepiſſet panem*, &c.

2. Optima cœnæ adminiſtratio eſt, quæ cum inſtitutione Chriſti per omnia conuenit.

Prout videl. illa deſcribitur à tribus euangeliſtis, & apoſtolo Paulo. *Matth.*26. *Marc.*14. *Luc.*22. 1. *Cor.*11.

3. Sacra cœna eſt adminiſtranda in conuentu fidelium, eoq; fermè ordinario.

1. Cor. 11. v. 20. *Cùm conuenitis in vnum, hoc non eſt Dominicam cœnam edere.*

Act. 20. v. 7. *Primo autem die hebdomadis, congregatis diſcipulis ad frangendum panem* (id eſt, ad celebrandum cœnam Domini) *Paulus diſſerebat.*

4. Panis ſacræ cœnæ eſt corpus Chriſti, itemque vinum eſt ſanguis Chriſti, ſacramentaliter.

Vide ſupra loc. 22. num. 3. 4. 5. Idem iudicium eſt de illâ phraſi, 1. Cor. 10. v. 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt?*

5. Sacra cœna eſt inſtituta

a) principaliter, vt commemoremus mortem Chriſti, idq; ex verâ fide, adeoque communionem habeamus cum Chriſto & omnibus eius beneficiis morte ipſius partis.

b) ſecundariò, vt nos ipſos Deo immolemus, & ad mutuam charitatem obligemus.

a) 1. Corinth. 11. v. 24. 25. 26. *Hoc facite ad mei recordationem*, &c.

nem,&c. Quotieſcunq; enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate,donec veniat. Annuntiatio iſta non eſt nuda & hiſtorica, ſed practica & coniuncta cum verâ fide,quâ ſolâ edimus carnem Chriſti, & bibimus ſanguinem ipſius, *Iohan. 6. verſ.29. 35. 50. 53. 54. 55. 56. 63.*

b) 1.Cor.5. verſ.7 8. *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt,nempe Chriſtus. Itaq; feſtum agitemus, non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ, ſed non fermentatis panibus ſinceritatis & veritatis.*

1.Cor.10.v.17. *Quoniam vnus eſt panis, vnum corpus nos illi multi ſumus: nam omnes ex vno illo pane participamus.*

6. Ad ſacram cœnam nemo debet accedere, niſi qui rectè ſe præparauit.

1.Cor.11.v.28.& ſeqq. *Probet quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.*

LOCVS XXVI.

De vltimo Chriſti aduentu.

1. Chriſtus è cœlo redibit ad iudicium, idq; ſubitò, inopinatò, & magnâ cum gloriâ.

Matth.24.v.37. *Sicut erant dies Noë, ita erit & aduentus filij hominis.*

Et verſ. 24. *Vigilate ergo. neſcitis enim, quâ horâ Dominus venturus ſit.*

2.Petri 3.v.10. *Veniet ſicut fur in nocte dies ille Domini.*

Confer Matth.24.v.43.& Luc.21.v.35.

Matth.25.v.31. *Cùm venerit filius hominis cum gloriâ ſuâ, & omnes ſancti angeli cum eo, tunc ſedebit in throno gloriæ ſuæ.*

1.Theſſ.4.v.16. *Ipſe Dominus cum hortationis clamore, cum voce archangeli, & cum Dei tu' â deſcendet è cœlo.*

1.Tim.6.v.14. *Vſque ad illuſtrem illum aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Tit.2.

Tit.2.v.13. *Expectantes beatam illam ſpem, & illuſtrem illum aduentum gloriæ magni illius Dei ac ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti.*

2.Petri 3. v.10. *Quo* (ſcilicet die Dominus veniet) *cæli cum ſtridore præteribunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, terraq3, & quæ in eâ ſunt opera, exurentur.*

Iud.v.14. *Ecce venit Dominus cum ſanctis millibus ſuis, vt ferat iudicium aduerſus omnes.*

2. Chriſtus veniet ad iudicium, cùm impleta fuerint omnia vaticinia, è quibus tria reſtant

a) prædicatio euangelij ſucceſſiua per totum terrarum orbem.

b) conuerſio Iudæorum.

c) regnum Chriſti per mille annos in his terris.

a) Matth.24. v.14. *Et prædicabitur iſtud euangelium regni in toto terrarum orbe, vt ſit teſtimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis.*

b) Rom.11. v.25. & ſeqq. *Nolim enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, &c. obdurationem ex parte Iſraëli obueniſſe, tantiſper dum plenitudo gentium introierit. Et ita totus Iſraël ſeruabitur: ſicut ſcriptum eſt, Veniet ex Sion ille liberator, & auertet impietates Iacob. Et hoc illis à me fœdus, cùm abſtulero peccata ipſorum.*

Hoſ.3. verſ.4.5. *Nam diebus multis deſidebunt Iſraëlitæ, nullo rege, nulloq3 principe, & nullo ſacrificio, ac nullâ ſtatuâ, nullo denique amiculo, aut imaginibus. Poſtea reuerſi Iſraëlitæ quærent Iehouam Deum ſuum, & Dauidem regem ſuum; & pauidi accedent ad Iehouam, & ad bonitatem eius, vltimis temporibus.*

c) Apoc.20.v.2. *Qui* (angelus) *apprehendit draconem, ſerpentem illum antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & vinxit eum ad annos mille*, &c. Vide totum caput.

LOCVS XXVII.

De reſurrectione carnis.

1. Sub vltimum Chriſti aduentum

a) omnes mortui reſurgent.

b) viui

b) viui demutabuntur in ſtatum immortalem.

a) Dan.12.v.2. *Tandem multi ex dormientibus in puluerulentâ terrâ expergiſcentur.*

Ioh.5.v.28. *Veniet hora, quâ omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & prodibunt.*

Apoc.20.v.12.13. *Vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu Dei. Et reddidit mare mortuos quos habebat. Mors quoq; & ſepulchrum reddiderunt mortuos quos habebant.*

b) 1.Cor.15.v.51. *Ecce myſterium vobis dico: Non omnes quidem obdormiemus, ſed omnes mutabimur, momento & ictu oculi ad vltimam tubam.*

1.Theſſ.4.v.15.& ſeqq. *Hoc vobis dicimus verbis Domini, fore, vt nos viui, qui reliqui erimus in aduentu Domini, non præueniamus eos, qui obdormierint. Nam ipſe Dominus cum hortationis clamore, cum voce archangeli, & cum Dei tubâ deſcendet è cœlo: & qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primùm: deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis in nubes, in occurſum Domini in aëra.*

2. Idem numero corpus, quod hîc geſtauimus, reſurget.

Iob.19.v.26.25. *Et poſtquam vermes confoderint iſtud, euigilante me, tum carne meâ me viſurum eſſe Deum,* noui. *Idem qui ſum, ac non alienus viſurus ſum mihi, & oculi mei aſpicient.*

1.Cor.15.v.42.43. *Seritur corpus corruptioni obnoxium, ſuſcitatur cum incorrupti naturâ: Seritur fœdum, ſuſcitatur cum decore: ſeritur omnium virium expers, ſuſcitatur potens: ſeritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.*

3. Alij ad vitam æternam, alij ad mortem æternam reſurgent.

Dan.12.v.2. *Tandem multi ex dormientibus in puluerulentâ terrâ expergiſcentur; hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemtum æternum.*

Iohan.5.verſ.28. *Veniet hora, quâ omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei: & prodibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis.*

Huc

Huc pertinet, quod Christus *Iohan.6.vers.39.40.44.& 54.* promittit, se electos & credentes suscitaturum vltimo die.

LOCVS XXVIII.

De vltimo iudicio.

1. Christus in formâ aspectabili exercebit hoc iudicium erga omnes in vniuersum homines.

Iohan.5.v.22. *Nec enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

Act.10.v.42. *Præcepit autem nobis vt prædicemus populo, & cum testificatione denuntiemus, eum* (Iesum Christum) *esse qui definitus sit à Deo, iudex viuorum ac mortuorum.*

Et c.17.v.31. *Eò quòd statuit diem, quo iustè iudicaturus est orbem terrarum, per eum virum, quem definijt.*

Apocal.1.v.7. *Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: & plangent coram eo omnes tribus terræ: etiam, Amen.*

Matth.25.v.32. *Congregabunt* (angeli) *coram eo* (Christo) *omnes gentes, & separabit eos, alteros ab alteris, vt pastor separat oues ab hœdis.*

Rom.14.v.11. *Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.*

1.Cor.5.v.10. *Omnes nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi, vt vnusquisq; reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecerit, siue bonum, siue malum.*

Porrò sancti homines approbabunt hoc iudicium, *Matth.19.v.28. 1.Cor.6.v.2.*

2. In vltimo iudicio tria ista fient,

a) omnium hominum conuocatorum opera manifestabuntur.

b) sententia feretur, absoluendo electos, & condemnando reprobos.

c) sententia dicta quantocyus implebitur, seu executioni mandabitur, ita vt electi euehantur

hantur in cœlum, & reprobi detrudantur in infernum.

a) Rom.2.v.12.16. *Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege quoq; peribunt; & quicunq; in lege peccauerunt, per legem damnabuntur, in die, quo iudicabit Dominus de rebus occultis hominum.*

Matth.12.v.36. *Quodcunque verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo reddent rationem in die iudicij.* Vide quoque loc. seq.num.1. & Rom.2.v.6.7.

1.Cor.5.v.10. Vide num.præced.

Matth.25.v.35.36.42.43. *Esuriui enim, & dedistis mihi quo vescerer, &c. Esuriui enim, & non dedistis mihi quo vescerer,* &c. Vide etiam lit.seq.Iud.v.15.

b) Matth.25.vers.34. *Tunc dicet rex iis qui ad dextram ipsius erunt, Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iacto mundi fundamento.*

Et v.41. *Exsecrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Et c.7.v.23. *Tunc autem profitebor eis, Certè nunquam noui vos. Discedite à me, qui operam datis transgressioni legis.* Confer Luc.13.vers.27.

Iud. v.15. *Feret iudicium aduersus omnes, & redarguet, quicunque ex ipsis sunt impij, de factis omnibus, quæ impiè patrarint, deq; omnibus duris, quæ locuti fuerint aduersus ipsum peccatores impij.*

c) Matth.25.v.vlt. *Et abibunt isti ad supplicium æternum, iusti verò ad vitam æternam.*

3. In vltimo iudicij die Deus creabit cœlum nouum, & terram nouam.

2.Petri 3.v.13. & seqq. *Cœlos nouos & terram nouam expectamus, in quibus iustitia inhabitat. Quapropter dilecti, cùm hæc expectetis, studete vt incontaminati & inculpati ab eo inueniamini cum pace; Dominiq; nostri tarditatem ad iram, salutem ducite.*

Et v.10. *Veniet autem sicut fur in nocte dies ille Domini, quo cœli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia soluentur, terraq; & quæ in eâ sunt opera exurentur.*

Rom.8.

Rom. 8. v. 19. & seqq. *Creatura quasi exserto capite obseruans, expectat reuelationem filiorum Dei. Nam vanitati creatura est subiecta: non suâ sponte, sed propter eum, qui subiecit eam isti vanitati: sub spe, quòd & ipsa creatura liberabitur ex seruitute corruptionis in libertatem gratiæ filiorum Dei. Scimus enim, omnem creaturam vnà suspirare & vnà parturire ad hoc vsq; tempus.*

Apoc. 21. v. 1. *Deinde vidi cœlum nouum & terram nouam: primum enim cœlum & prima terra abierat: & mare non amplius extabat.* Confer Esa. 65. v. 17. & 66. v. 22.

LOCVS XXIX.

De vitâ æternâ.

1. Vita æterna consistit in
   a) gloriâ virtutis & beatitudinis consummatæ, seu in communione naturæ Dei in secula.
   b) pleno & perpetuo, & ineffabili, sensu fauoris Dei.
   c) perpetuâ celebratione nominis Dei.

a) Dan. 12. vers. 3. *Erudientes splendebunt quasi splendore expansi, & iustificantes multos, vt stellæ, in sempiterna secula.*

Luc. 20. v. 36. *Pares enim angelis sunt.* Confer Matth. 22. vers. 30.

Rom. 2. v. 6. 7. *Deus reddet vnicuiq; secundùm opera ipsius: Iis quidem, qui per tolerantiam quærunt boni operis gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem, vitam æternam.*

Vide Iohan. 3. v. 15. 16. & c. 5. v. 24. vbi hæc vita dicitur *æterna*: & Act. 26. v. 18. vbi appellatur *sors inter sanctos*: Coloss. 1. v. 12. vbi vocatur *sors sanctorum in luce.*

Rom. 8. v. 18. *Reor minimè pares esse temporis præsentis perpessiones gloriæ in nobis reuelandæ.*

Et v. 30. *Quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit.*

1. Cor. 15. v. 49. *Sicut gessimus imaginem terreni, geremus etiam imaginem cœlestis.*

Et v. 53. 54. *Oportet corruptibile istud induere incorruptibili-*

tatem, & mortale istud induere immortalitatem. Postquam autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale istud immortalitatem, tum fiet illud, quod scriptum est : Absorpta est mors ad victoriam.

2. Cor. 5. v. 1. *Scimus, nos, si terrestris huius domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis.*

Gal. 6. v. 8. *Qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat Spiritui, ex Spiritu metet vitam æternam.*

2. Tim. 4. v. 8. *Reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in isto die, iustus ille iudex : non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui expetiuerint illustrem illum ipsius aduentum.*

2. Petri 1. v. 4. *Vt per hæc efficeremini participes,* κοινωνοὶ, *diuinæ naturæ.*

Hebr. 12. v. 22. 23. *Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & myriadas angelorum, conuentum vniuersalem & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem vniuersorum Deum, & spiritus iustorum consummatorum.*

Apoc. 2. v. 11. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis. Qui vicerit, nequaquam lædetur à morte secundâ.*

Et v. 26. 27. 28. *Si quis vicerit, & ad finem vsq; obseruauerit opera mea, dabo ei potestatem in gentes: & reget eas virgâ ferreâ, & tanquam vasa fictilia conterentur : sicut & ego accepi à Patre meo. Et dabo ei stellam matutinam.*

Et c. 3. v. 5. *Qui vicerit, amicietur vestimentis albis: neque vnquam delebo nomen eius ex libro vitæ, sed agnoscam nomen eius in conspectu Patris mei, & in conspectu angelorum eius.*

Et vers. 12. *Qui vicerit, faciam, vt is sit columna in templo Dei mei: nec forâs egredietur amplius: & inscribam ei nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hierusalem, quæ descendit è cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.*

Et vers. 21. *Qui vicerit, tribuam ei, vt sedeat mecum in throno meo; vt & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno eius.*

Apoc. 21. per totum.

Et c. 22. v. 5. *Nox illic* (in ecclesiâ gloriosâ) *non erit, neque opus est*

opus est ei lumine lucernæ, neq; lumine solis: quoniam Dominus Deus illustrat eos: & regnabunt in secula seculorum.

2.Cor.4.v.17. *Momentanea leuitas afflictionis nostræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis.*

b) Psal.16.v.11. *Satietas lætitiarum est apud faciem tuam: iucunditates in dexterâ tuâ semper.*

Psal.17.v.15. *Satiabor specie tuâ.*

Apoc.2.v.7. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis. Victori dabo edere ex arbore illâ vitæ, quæ est in medio paradisi Dei.*

Et v.17. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis. Ei, qui vicerit, tribuam, vt edat ex mannâ illo occulto, & dabo ei calculum album, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo nouit, nisi qui accipit.*

1.Cor.2.v.9. *Prædicamus, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt: quæ parauit Deus iis, à quibus ipse diligitur.* Confer Esa.64.v.8.

1.Cor.13.v.12. *Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coram cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout cognitus fuero.*

Et c.15.v.28. *Vt Deus sit omnia in omnibus.*

c) Apoc.22.v.4. *Sedes Dei & agni erit in eâ, & serui eius colent eum.* Confer Apoc.5.v.12.13.14.& c.19.v.1.& seqq.vbi turba in cœlo aliquoties ingeminat *Halleluia.*

2. Gloriæ cœlestis erunt quidam gradus.

1.Cor.15.v.41.42. *Alia est gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Stella enim à stellâ differt in gloriâ. Ita & resurrectio mortuorum.*

Huc pertinet, quòd vita æterna comparatur paradiso, domui, ciuitati, regno, cœnæ magnæ, nuptiis regalibus, brauio & coronæ, *Luc.23.Iohan.14. Apoc.21. Matth.20.c.25. Luc.14.1.Cor.9.2.Tim.4.* quæ omnia ita sunt comparata, vt admittant iucundam varietatem.

Matth.13.v.43. *Tunc iusti effulgebunt vt sol, in regno Patris sui:* hoc est, splendebunt & coruscabunt radiis solis iustitiæ, quisque videlicet secundùm suum gradum.

3. Impij in inferno erunt ſub peccatis infelices in omnem æternitatem.

Eſa.66.v.24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, eruntque nauſeæ omni carni.*

1.Theſſ.1.v.6. & deinceps. *Iuſtum eſt apud Deum vicißim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem: vobis verò, qui affligimini, relaxationem nobiſcum, in reuelatione Domini Ieſu de cœlo cum angelis ſuis potentibus, cum igne flammante, infligens vltionem iis, qui Deum neſciunt, neq; auſcultant euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui pœnam pendent æterni exitij, expulſi à facie Domini & gloriâ virium ipſius.*

Apoc.20.verſ.14.15. *Infernus autem ac Mors coniecti ſunt in ſtagnum ignis: quæ eſt mors ſecunda. Et qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, coniectus eſt in ſtagnum ignis.*

Et c.21.v.8. *Formidoloſis, & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & ſcortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus portio aßignata eſt in ſtagno, vbi ardet ignis & ſulphur, quod eſt mors ſecunda.*

Et c.22.v.15. *Foris autem erunt canes, & venefici, & ſcortatores, &c.*

4. In damnatis erunt gradus cruciatuum.

Matth.10.v.15. *Amen dico vobis, Tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum in die iudicij, quàm vrbis illius:* ſcil. quæ reiecerit euangelium.

Et c.11.v.20. & deinceps. *Væ tibi Chorazin, &c. Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in die iudicij quàm veſtra.* Item: *Terræ Sodomorum tolerabilior erit conditio in die iudicij quàm tua,* ſcil. Capernaum.

XXXII.

THEOLOGIA NATVRALIS.

I. THeologia poſitiua eſt expoſita: ſequitur theologia methodica, quæ methodo certâ connectit ea, quæ in Scripturis hinc inde ſpa ſa occurrunt.

II. Eſtq;

II. Eſtq; naturalis, vel ſupernaturalis.

III. Theologia naturalis è Scripturâ ſacrâ colligit documenta illa, quæ ſumuntur à creaturis, beneficio luminis naturæ & quotidianæ experientiæ.

Index ipſius hic eſto.

1. *Angeli*, tum boni, tum mali, docent Deum eſſe, & eſſe Spiritum omnipotentem & infinitum. Vide hiſtorias de angelis Gen. 19. 21. 28. Num. 22. Iud. 6. & 13. 2. Sam. 24. 1. Reg. 13. & 19. 2. Reg. 1. & 19. 1. Chron. 21. Iob. 1. & 2. Matt. 1. 2. 4. 28. Luc. 1. Iohan. 5. 12. 20. Act. 5. 8. 10. 11. 12. 27. Apoc. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

2. *Cœlum* enarrat gloriam Dei, Pſal. 19. v. 2. & 104. v. 3. Eſa. 40. v. 22.

3. *Sol, luna & cæteræ ſtellæ* conuincunt nos eſſe Deum, eumq; ſapientiſſimum, optimum, & omnipotentem. Iob. 9. v. 4. 7. 9. & c. 38. v. 31. 32. 33. Pſal. 8. v. 2. 4. & 19. v. 2. & ſeqq. & 136. v. 7. 8. 9. Ier. 31. v. 35. 36.

4. *Viciſſitudo temporis* teſtatur de prouidentiâ Dei, Geneſ. 8. & 9. Pſal. 19. & 65.

5. *Elementa* docent Deum eſſe, qui curet omnia.

Huc pertinent, vis conſumens & fouens in *igne*, 1. Reg. 18. v. 38: commoda & incommoda quæ habemus ab *aëre*, Deut. 28: verſ. 22. 1. Reg. 8. v. 37: beneficia quæ habemus ab *aquâ* & *terrâ*, Gen. 1. v. 11. 20: item, quòd Deus decreto circinauit ſuperficiem aquarum, vt terram nõ obruant, Iob. 26. v. 10. c. 38. v. 8. 9. 10. 11. Pſal. 104. v. 6. 7. 8. 9. Ier. 5. v. 21. 22. 23. denique quòd Deus terram fundauit ſuper maria, Pſ. 24. v. 1. 2. & 136. v. 6. 2. Petri 3. v. 5.

6. *Meteora* ſunt ſpecula prouidentiæ Dei. Nam Deus ligat aquas in *nubibus*, & illas in aëre ſuſpendit, Iob. 26. v. 8. 9. c. 37. v. 15. Pſal. 104. v. 3. & 105. v. 29. Ier. 51. v. 16. Idem facit ſtillare *nubes* ad fœcundandum hæc inferiora, Iob. 36. v. 27. 28. Idem edicit *niui & pluuiæ*, vt decidant in terram, Iob. 37. v. 5. c. 38. v. 28. Idem per *pluuiam* fœcundat terram,

ingentes calores æstiuos mitigat, homines & animalia recreat, Leuit.26.v.3.4. Deut.11.v.13.14.c.28.v.12. Iacob.5. v.18. Esa.30.v.23. Psal.104.v.13.14.15.16. Act.14.v.17. Idem gignit guttas *roris*, quo terra mirum in modum fœcundatur, Iob.38.v.28. Prou.3.v.20. Genes.27.v.30. Deut.33.v.13.28. Zachar.8.v.12. Idem deiicit *grandinem* è cœlo, Psalm. 147.v.17. Iob.38.v.22.23. Exod.9.vers.17.18.19.22.& seqq. Ios. 10.v.11. Ps.78.v.47.48. Idem è thesauris suis producit *ventos*, Psal.135.v.6.7. Ierem.10.v.13.c.51.v.16. Exod.10.v.13. 19. Num.11.v.31. Amos.4.v.13. Ion.1.v.4. Idem volat super alas *venti*, Psalm.18.v.11.& 104.v.3. Idem creat *fulgetrum*, tanquam anteambulonem suæ maiestatis, Psal.18.v.13.& 50.v.3. Idem edit vocem suam fortissimam, *tonitru*, Psalm. 29. Exod.19.v.16.c.20. v.18. 1.Sam.12.vers.18.19.20. Iob. 40.vers.3.4. Idem creat *terræmotum*, Psal.18.vers.8. Matth. 28.vers.2.

7. *Mineralia*, siue *fossilia*, id est, lapides vulgares & pretiosi, metalla, succi item & terræ metallares, partim maiestatem, partim beneficia & iudicia Dei nobis ponunt ob oculos. Iob.28.v.13. & seqq. Exod.28. Genes.19.v.24.25.& c.14.v.3.

8. *Plantæ*, seu *stirpes*, sunt documenta paternæ Dei curæ, Gen.1.v.29.30.c.2.v.16. Psal.104.v.14.15.

9. *Volatilia* testantur de potentiâ, sapientiâ & prouidentiâ Dei. Iob.39.v.2.16.17.& seqq. Matth.6.v.26.

10. *Aquatilia* narrant nobis sapientiam, potentiam,& prouidentiam Dei, Iob.12.v.8. Psal.104.v.25. 26.27. Iob. 26.v.13. & seqq.

11. *Bruta terrestria* docent nos Deum esse, & esse sapientem, potentem,& bonum, Iob.12.v.7.

12. *Homo*, constans animâ rationali & corpore organico, in se habet satis miraculorum & oraculorum, quibus nunquam non admonetur de naturâ & curâ Dei. Gen.2. Iob.10.v.10.11.

Confer suprà cum Physicis, & infrà cum ζωοπαιδείᾳ, &c.

Vide

Vide quoque theologiam naturalem peculiari volumine à nobis editam.

XXXIII.

THEOLOGIA CATECHETICA.

I. THeologia ſupernaturalis, ſiue arcana, è Scriptura colligit ea, quæ ſine ſpeciali reuelatione cognoſci non poſſunt.

II. Eius partes ſunt numero ſex, hoc ordine. Primò ſe offert *theologia Catechetica*, de quâ Gal.6.v.6. Hanc ſequitur *theologia didactica*, 1.Tim.3.v.2.Tit.2.verſ.9. Tertio loco eſt *theologia polemica*, quæ etiam appellatur *elenctica*, & *irenica*, de quâ Tit.2. v.9. Quarta pars theologiæ ſupernaturalis appellatur *theologia caſuum*, ſiue *ſchola tentationum*, 1. Cor.7. Penultimum locum obtinet *theologia prophetica*, 1.Timoth.3.& Tit.1. & 2: vltimum, *theologia acroamatica* ſiue *moralis*, Tit.2. & 3. Vide etiam 2.Tim.3.v. 16.vbi theologia didactica, elenctica & moralis coniunguntur. Cæterùm quoties locus vel titulus occurrit in his theologię partibus, oportet recurrere ad theologiam poſitiuam, tanquam fundamentum & matricem.

III. Theologia catechetica eſt compendium religionis Chriſtianæ in quinque capitibus ab eccleſiâ catholicâ in N. T. receptis.

IV. Primum caput catechiſmi eſt ſymbolum apoſtolicum, quod eſt ſumma ſiue compendium eorum, quæ homini Chriſtiano ſunt neceſſaria creditu ad ſalutem.

V. Partes ſymboli tres ſunt. *Prima* eſt de Deo Patre, articulo primo: *ſecunda* de Filio, articulis ſex: *tertia* de Spiritu ſancto, articulis quinque. Hæc trichotomia ſumta eſt ex Matth.28. v.16. *Baptizantes eos in nomen Patris, Filij, & Spiritus ſancti.*

VI. Primus ſymboli articulus habet duo membra. *Primum* eſt commune, in voce *CREDO*, quâ ſignificatur fides catholica & ſaluifica, quæ complectitur notitiam, confeſſionem, & fiduciam, ita vt hæc tria deinceps ad ſingulos articulos ſint repetenda. *Alterum* eſt ſingulare, de primâ perſonâ Trinitatis, de quâ prædicantur iſta tria: quòd ſit *DEVS*, id eſt, Iehoua ille, cuius eſſe eſt per-eſſe, ſemper eſſe, & energeticum eſſe, ita vt à ſe habeat ſuum eſſe, & à ſe atque per ſe faciat omnia eſſe & prodeſſe tum in mundo, tum in eccleſiâ, *Exod. 6. v. 2*: quòd ſit *Pater*, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti, non creando aut adoptando, ſed generando ipſum ſine principio, medio ſiue ſucceſſione, & fine, *Hebr. 1. v. 2*. quòd denique ſit *omnipotens creator cœli & terræ*, qui ſolo nutu fecit omnia eſſe & bene eſſe, illaque facit porrò eſſe, aut non eſſe, prout ipſius gloria, & vtilitas tum vniuerſi, tum eccleſiæ poſtulat, *Gen. 1. Act. 17. v. 25*. Atque hic eſt primus articulus, in quo mentio fit omnipotentiæ potiùs quàm reliquorum Dei attributorum, tum quia omnipotentia præſupponit infinitam eſſentiam & ſapientiam: tum quia eſt baſis fidei noſtræ in ſequentibus articulis. Porrò origo rerum tribuitur Patri, quòd ille ſit origo & fons Trinitatis: redemtio Filio, quia ius filiationis à Filio Dei, & vnio atq; communio cum Deo procurari debebat à perſonâ mediâ inter Patrem & Spiritum ſanctum: denique ſanctificatio Spiritui ſancto, quia vltimum hoc opus peculiari modo efficitur ab vltimâ Trinitatis perſonâ.

VII. Secundus articulus habet quatuor commata. *Primum* eſt in copula *Et*, quæ ſignificat paritatem cultus religioſi, qui æquè defertur Filio atque Patri, *Iohan. 14. verſ. 7. 10. 11*. *Secundum* eſt in duobus nominibus, è quibus *Ieſus* eſt proprium in quarto modo, vt loquuntur, ſi quidem non ſumatur typicè, *Matth. 1. verſ. 21*: *Chriſtus* eſt cognomen, additum nomini proprio, idem quod *Meſſias*, *Iohan. 1. verſ. 41*. & ſignificat officium propheticum,

ticum, ſacerdotale,& regium *Hebr.* 1. *v.* 1. 2. 3. quod nobis prodeſt vt medicina,itemq; vt regula, quatenus debem⁹ eſſe prophetæ,ſacerdotes, & reges Chriſto conformes 1. *Petr.*2.v.5. 9. quâ in re conſiſtit tota ars imitationis Chriſti. *Tertium* eſt de perſona Chriſti, quod ſit *Filius eius* (Patris) *vnigenitus*,ab æterno ſcil.& in æternum manens à Patre, inque ipſo manens, ipſi per omnia conſubſtantialis, *Hebr.* 1. *v.* 3. *Quartum* eſt de ipſius officio,quòd ſit *dominus noſter*,iure videl.acquiſitionis ſeu emptionis, cõſeruationis,defenſionis,& plenariæ liberationis,2. *Petr.*2.*v.*1.

VIII. Tertius articulus agit de conceptione & nativitate Chriſti. Et *primo* quidem Chriſtus *conceptus eſt ex Spiritu ſancto*, *Luc.*1.*v.*35. qui fecit germinare virginem ſine viro, ſicut in principio fœcundando terrã informem fecit illam proferre herbas ſine ſole & ſemine in ipſius gremium projecto, *Gen.* 1. *v.* 2. 12. Hæc talis conceptio ſeruit conſolationi & imitationi: *Conſolationi*; quia mediator noſter debuit ſanctus eſſe ratione principii,medii,& finis, vt eſſet idoneus ad hoc tam nobile officium. *Imitationi*:quia debemus id operam dare,vt anima noſtra ex Spiritu ſancto, non autem impuro aliquo genio, concipiat omnis generis cogitationes ſanctas.*Deinde* Chriſtus *natus eſt ex Mariâ virgine*,ita vt illa ante partum,in partu,& poſt partum manſerit intemerata,*Matth.*1.*v.*25. Natus autem eſt Chriſtus ex Mariâ ita,vt aſſumſerit non perſonam, ſed naturam humanam, eamque totam ratione partium eſſentialium &integralium,itemque infirmitatum naturalium,*Hebr.* 2. *v.*17. Fructus nativitatis idem eſt,qui conceptionis: vt nempe mediator noſter eſſet ſanctus, & vt nos quotidie naſcamur,non è libidine carnis&ſanguinis, ſed ex virgineo ſpiritu.

IX. Quartus articulus habet quatuor mẽbra. E quibus *primum* eſt *de Paſſione Chriſti, ſub Pontio Pilato*,quæ eſt maxima omnium paſſionum Chriſti inde à primâ ipſius infantiâ. Paſſionis huius pretium pendet à perſonæ

ſonæ patientis excellētiâ, innocentiâ, & obedientiâ: modus conſiſtit in varietate & atrocitate, ſiue longitudine & latitudine, altitudine & profunditate: fructus eſt partim expiatio peccati, partim edulcatio crucis noſtræ. *Gal.* 3.*v.*10. *Rom.*8.*v.*29. *Deinde* Chriſtus eſt *crucifixus*, vt morte maledictam oppetendo nos liberaret à maledictione, & doceret nos crucifixionem carnis, quâ nos crucifigimur mundo, & mundus crucifigitur nobis: quæ quidem crucifixio eſt differentia ſpecifica inter Chriſtianum & hypocritam. *Gal.*3.*v.*13. *Rom.*6.*v.*6. *Tertiò* Chriſtus eſt *mortuus*, morte ſcilicet primâ, quâ ſeparata fuit anima à corpore, & ſecundâ, quâ ipſius anima ad tēpus ſeparata fuit à Deo. Mortuus autem eſt, triumphando de morte æternâ & tēporali, non verò ſuccumbendo vel illi vel iſti. Itaq; mors Chriſti non fuit ſimplex martyrium, ſed ſacrificium propitiatorium, DEO acceptum, & omnibus credentibus ſalutare ratione iuſtificationis, ſanctificationis, & glorificationis. *Pſalm.*22. *Hebr.*2.*v.*14. *Rom.*6.*v.*8. *Denique* Chriſtus eſt *ſepultus*, vt veritatem mortis obitæ teſtatā faceret, mortemque perſequeretur in ſpeluncam vſque ſuam, & ſanctificaret ſepulchra noſtra, noſtra denique peccata ſepeliret. *Rom.*6.*v.*4. Sepultus autem eſt ſplendidè & regiè, vt hoc ipſo ſignificaretur, ipſum non eſſe mortuum vt ſceleratum aliquem, item ipſum reſurrecturum magnificè.

X. Quintus articulus agit de deſcenſu Chriſti ad inferna, & reſurrectione ex mortuis, adeoq; coniungit infimum gradum exinanitionis & primum gradum exaltationis. *Primò* itaque Chriſtus *deſcendit ad inferna*, hoc eſt, ſuſtinuit mortis dominium, & tum à diſcipulis, tum ab hoſtibus ſuis iudicatus fuit ſimilis iis, qui ſtatum mortuorum experti non redeunt in vitam. Hic deſcenſus opponatur horrifico mortis ſpectro, & nos cōſoletur aduerſus ſtatum mortuorum *Eph.*4.*v.*10. *Deinde* Chriſtus *reſurrexit tertio die à mortuis*: reſurrexit, inquam, verè & glorioſè tanquam triumphator mortis,

mortis, sepulchri, inferni & damnationis, vt nobis partã salutem siue meritum suum efficaciter applicaret, spiritualem resurrectionem ex morte peccatorum nos doceret, inque nobis efficeret, pignus denique resurrectionis suæ nobis daret. *Iom.* 4. *v.* 25. *c.* 6. *v.* 4. 8. 1. *Cor.* 15. *v.* 20. 21.

XI. Sextus articulus est de ascensione Christi in cœlum, & sessione ipsius ad dextram Patris. Et *primò* quidem *Christus ascendit in cœlum*, vt pignus nostræ ascensionis ibi deponeret, ibique pro nobis intercederet, & inde Spiritum sanctum ad nos mitteret. *Eph.* 2. *v.* 6. *Hebr.* 9. *v.* 24. *Ioh.* 16. *v.* 7. *Deinde sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis*, hoc est, versatur in statu maiestatis quæ mediatori soli est propria, & dominatur in medio inimicorũ suorum, *Psal.* 110. *Eph.* 1. *v.* 20. 22. 23. Ascensio itaque Christi confirmat fidem remissionis peccatorum & vitæ æternæ fruendæ in cœlis iam apertis à Christo: itemque accendit spem & charitatem quâ sursum habemus corda. Sessio ipsius nos consolatur aduersus peccatum & hostes externos: quia Christus in cœlo pro nobis intercedit, & inde regnat, vincit atque imperat in medio inimicorum suorum.

XII. Septimus articulus est de reditu Christi ad iudicium vniuersale. In quo Christus, expleto ecclesiæ in his terris militantis curriculo, in formâ aspectabili cognoscet causam omnium hominum, & sententiâ dictâ sine morâ accingetur ad executionem, quæ piis erit initium plenæ gloriæ ac gaudii in cœlis, impiis initium plenæ ignominiæ & doloris in inferis. Recordatio itaque huius iudicii continebit nos in officio, & eriget aduersus omnis generis calamitates. 2. *Thess.* 1. *v.* 7. 8. 9. 10. *Apoc.* 20. *v.* 10.

XIII. Octauus articulus est de Spiritu sancto, his verbis: *Credo in Spiritum sanctum.* Vbi cultus Spiritus sancti pari gradu coniungitur cum cultu Patris & Filii, & simul indicatur persona atque officium Spiritus sancti.

ſancti. Perſona notatur voce *Spiritus*, officium voce *ſanctus*. Et Spiritus quidem hîc dicitur peculiari ratione, quia ſpiratur à Patre & Filio, hoc eſt, procedit ab ijs eo prope modo, quo amor ſpiratur à voluntate, ſicut Filius à Patre emanat eo ferè modo, quo ratio ab intellectu promanat. Deinde Pater & Filius ſpirant Spiritum ſanctum in corda noſtra. *Iohan.* 15. *v.* 26. *Gal.* 4. *v.* 6. Quod attinet ad officium Spiritus ſancti, illud conſiſtit in fouendo, illuminando, & ſanctificando. Nam ille fouet inde ab initio creationis res creatas, *Gen.* 1. *v.* 2. & illuminat homines, vel fouendo lumen naturæ, vel accendendo lumen gratiæ: & denique ſanctificat ſeu regenerat nos, ex carnalibus faciendo ſpirituales, ſeu eripiendo è regno impuri ſpiritus, & creando in nobis fidem, ſpem, & charitatem. Vnde confertur oleo lætitiæ, paracleto, arrhaboni, igni, vento, & aquę. *Pſal.* 45. *Iohan.* 16. *Gal.* 4. *Act.* 2. *Ioh.* 3. *Ezech.* 47.

XIV. Nonus articulus incipit de ijs, quæ credimus. Vbi vox *Credo* communiter pertinet ad hunc articulum & ſequentes. Sunt autem duo membra huius articuli. *Primum* eſt de *eccleſiâ ſanctâ & Catholicâ*, hoc eſt, de cœtu electorum omnium, qui fuerunt, ſunt & erunt, ſiue iam regnent cum Chriſto in cœlis, ſiue adhuc militent in terris & deinceps militaturi ſint. *Col.* 1. *v.* 20. Hic cœtus dicitur ſanctus: tum quia ſanctitas Chriſti eſt ipſius ſanctitas, *Eph.* 4. *v.* 25. 26. 27. tum quia Spiritus ſanctus electos magis magiſque efficit ſanctos in hâc vitâ, *Phil.* 3. *v.* 12. 14. donec tandem in beatâ æternitate Chriſto coniuncti deponant omnem imperfectionem, 1. *Cor.* 13. *v.* 9. *& ſeqq. Secundum* huius articuli membrum eſt de *communione ſanctorum*, quâ omnes electi in capite ſuo Chriſto & inter ſeſe habent communia omnia bona gratiæ & gloriæ, omniaque aduerſa in hâc vitâ. *Eph.* 5. *v.* 19. 30. *Coloſſ.* 2. *v.* 10. 1. *Iohan.* 1. *v.* 3.

XV. Decimus articulus eſt de remiſsione peccatorum. Remiſſio iſta eſt beneficium Dei, quo homini

homini credenti propter Christi meritum omnia peccata condonantur à solo Deo, gratis, perfectè, & efficaciter, ita vt in corde existat gaudium spirituale, & in toto homine fuga peccati. *Rom.3.v.24.1.Iohan.1.v.7.*

XVI. Vndecimus articulus est de resurrectione carnis: quâ resurget ad imperium Dei creatoris hæc ipsa caro, eadem numero, sed gradu non eadem. *Iob.19.v.25.& seqq.1.Cor.15.v.51.52.*

XVII. Duodecimus articulus est de vitâ æternâ: quæ est finis fidei, consistens in gloriâ & gaudio ineffabili. Gloria in eo est, quòd carebimus omni malo, & implebimur omni bono. Gaudium consistit in plenâ fruitione Dei & sensu fauoris eius. *1. Cor.2. v.9. Apoc.21.& 22.* Atq; hoc est symbolum Apostolicum, quod obsignatur particulâ *Amen*: quod non est ita accipiendum, quasi sit formula precationis, sed quòd fiduciam nostrã hoc modo faciamus testaram.

XVIII. Secundum caput Catechismi est Decalogus, qui est compendium siue summa eorum, quæ homini credenti sunt necessaria factu ad salutem. Est, inquam, compendium totius legis naturæ à Deo exaratum *Exod.* 20; & proinde obligat omnes homines, & ediscendum est ab omnibus eo, quo legislator proposuit modo.

XIX. Partes decalogi post præfationem sunt duæ tabulæ: è quibus secunda cedit primæ, & vtraque informat & reformat totum hominem, quantum ad spiritum & corpus, facultates animæ & membra corporis, in quolibet statu vitæ humanæ. Quæ omnia in singulis præceptis oportet attendere.

XX. Præfatio decalogi continet tria argumenta suadentia obedientiam. *Primum* est à maiestate legislatoris, qui est Iehoua: *secundum* à bonitate ipsius, quòd sit Deus noster, qui vi fœderis gratuiti se quidem

dem dat nobis fruendum, ſuaverò bona vtenda-fruenda: *tertium* ab omnipotentiâ, quòd nos è domo ſeruitutis, rebus omnibus conclamatis, ἀπὸ μηχανῆς eductos beneficiis accumulet.

XXI. Primum præceptum prohibet, ne habeamus deos alienos: hoc eſt, ne in aliquo fiduciam collocemus vel ſupra, vel iuxta, vel infra Deum: ſed illum ſolum habeamus pro ſummo noſtro bono, cui adhæreamus fide, ſpe & charitate in rebus ſecundis & aduerſis, deteſtati omnem idololatriam internam.

XXII. Secundum præceptum prohibet externam idololatriã: ne ſcilic. repræſentemus Deum vllâ imagine; aut veneratione aliquâ religiosâ proſequamur imaginem aliquam ſiue DEI, ſiue creaturæ: ſed cultum Dei externum ita inſtituamus, vt reſpondeat ſpirituali eius naturæ. Quia verò homines licenter hîc peccant, DEVS addit ſanctionem, quâ teſtatur, ſe peccata patrum punire in filiis, qui oderunt ipſum, hoc eſt, peccata patrum faciunt ſua; & facere miſericordiam millibus eorum qui diligunt ipſum, cuſtodiendo præcepta ipſius, nominatim hoc ſecundum, cuius neglectus introducit εἰδωλοπερισοθρησκείαν, quâ introductâ neceſſe eſt paulatim collabi totam rationem cultus Dei tum interni, tum externi.

XXIII. Tertium præceptũ ſimiliter conſtat prohibitione & ſanctione. Prohibet enim, ne nomen Dei quantum ad eſſentiam, perſonas, opera & voluntatem ipſius irreligiosè vſurpemus, ſed ſanctè, humiliter, & reuerenter de maieſtate ipſius ſentiamus, loquamur, ſcribamus, & loquentes audiamus, ac ſcribentes legamus. Quia verò homines ferè pro leui ducunt hoc peccatum, DEUS addit ſanctionem, quâ teſtatur non impunè laturum, qui peccato blaſphemiæ aut periurij ſe obſtrinxerit.

XXIV. Quartum præceptum cõſtat quatuor

tuor partibus. *Prima* imperat solicitissimam sabbati sanctificationem, hoc est, segregationem vnius è septimanâ diei, quem nonnisi solenni cultui Dei impendamus. *Secunda* exprimit substantiam præcepti, *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum*, quasi dicat, sex diebus facies opus tuum, & septimo die facies opus Dei, pari scilicet solicitudine vt tuum. *Tertia* exprimit circumstantiam diei septimi. *Quarta* est sanctio ab exemplo Dei cessantis ab opere creationis die septimo, & illum benedicentis atque sanctificantis, hoc est, peculiarem benedictionem promittentis omnibus iis, qui diem hunc, ab ipso destinatum non nisi rebus sanctis, ita transigunt vt ipse præcepit. Cæterùm vt Deus diem septimũ sanctificauit quiescendo ab opere creationis : ita Christus diem primum sanctificauit resurgendo à mortuis, & diem septimum sustulit, quiescendo in sepulchro, atque ita finem imponendo huic ceremoniæ, quæ figurauit ipsius quietem. Itaque Christus transtulit benedictionem à die septimo in primum. *Apoc.* 1. *v.* 10. *Act.* 20. *v.* 7.

XXV. Præceptum quintum constat mandato & sanctione. *Mandatum* præcipit iis qui sunt in statu subiectionis, vt patrem & matrem, hoc est, omnes qui sunt in statu eminentiæ, & habent rationem parentum, ita vt sint instar vel etiam loco ipsorum, in statu œconomico, ecclesiastico, scholastico, & politico: vt, inquam, illos honorent amore, more, ore, & re, ita vt honor iste complectatur rectum in intellectu iudicium de personâ & officio ipsorum; in voluntate propensionem ad illos amandum & filialiter timendum, illorumq; næuos tolerandum quatenus bonâ conscientiâ fieri potest; modestiam insuper in gestu, reuerentiam in sermone & scriptis, obsequium & seruitium in factis, denique studium implendi studij in occasionibus. Ex his pendent officia correlatiua eorum qui sunt in statu eminentiæ, erga inferiores, quos debent habere loco filiorum, & illos amare

& iuuare

& iuuare per omnes numeros στρῶς, meritorum, exercitiorum, & coercitionum. Cæterùm quia hoc præceptum est fundamentum politiæ, quæ sine distinctione officiorum est nulla, ideo non tantùm est primum in secundâ tabulâ, sed etiam *sanctione* munitum, quâ dicitur, parentes prolongare vitam filiorum frugi, precibus nempe, rectâq; institutione. Intelligitur autem sub prolongatione vitæ benedictio, etiam æterna, cuius typus erat terra Canaan.

XXVI. Sextum præceptum vult, ne occidamus: scil. vel mente, parui faciendo vitam proximi; vel voluntate & affectibus, ipsum odio habendo, priuatæ vindictæ cupiditate flagrando, & iræ præcipiti atq; iniustæ fræna laxando; vel gestibus toruis & austeris; vel sermone virulento; vel reipsâ; vel denique captando aut præbendo occasionem: sed vitam & valetudinem ipsius defendamus, & mansuetudini, concordiæ, humanitati, placabilitati, misericordiæ, &c. studeamus. De propria valetudinis & vitæ defensione idem est iudicium.

XXVII. Præceptum septimum vult, ne committamus adulterium: videlicet intellectu, prauè sentiendo de coniugio; vel voluntate & affectibus, fouendo cogitationes impuras; vel gestibus & habitu inuerecundo; vel sermone Fescennino; vel ipso facto; vel captatione aut præbitione occasionis: sed studeamus castitati extra coniugium & in coniugio, castitati, inquam, virginali, coniugali, & viduali. Cæterùm sub adulterio continetur fornicatio, stuprum, incestus, & omnis illicitus modus amoris.

XXVIII. Octauum præceptum vult, ne committamus furtum: siue illud sit plagium, siue abigeatus, siue sacrilegium, siue furtum rei profanæ, idq; simplex vel coniunctum, occultum vel manifestarium, paruum vel magnum; ne, inquam, furtum committamus intellectu, malè sentiendo de distinctione dominiorum;

vel

vel voluntate & affectibus, inuidendo proximis dona ipsorum; vel gestibus auaris, inuidis & fallacibus; vel sermone fallente, aut tacente vitium in contractibus; vel ipsomet opere; vel captatione aut præbitione occasionum, quibus bona proximi mobilia vel immobilia damnum & vitium capiunt: sed, vt modis acquirendi legitimis studeamus, adeoque nostram rem augendo non diminuamus rem proximi.

XXIX. Præceptum nonum vult, ne dicamus falsum testimonium: vel iudicio siniſtro, vel propensione malâ, vel gestib. ironicis, vel sermone mendace, vel actionibus fallacibus, vel occasionibus, simulationi & dissimulationi hypocriticæ viam sternendo: sed studeamus veracitati, vt illâ vel eloquamur, vel celemus, prout gloria Dei, & salus publica & priuata, animi & corporis, exigit.

XXX. Præceptum decimum prohibet concupiscentiam inordinatam: hoc est, prauitatem cogitationum & cupiditatum, siue illæ sint formatæ siue informes, siue consensum eliciant siue non, siue sint morosæ siue subitaneæ; quæ cùm sint specie vnę, non rectè hoc præceptum à quibusdam in duo discerpitur. Cæterùm prauitati cogtationum & cupiditatum opponitur sanctitas ipsarum, & lucta aduersus omnem impurum motum.

XXXI. Tertium caput Catechismi est Oratio dominica, quæ est compẽdium siue summa eorum, quæ homini rectè credenti & viuẽti nunquam non sunt petenda à Deo. Præscriptũ est hoc compendium à Christo, *Matth. 6. Luc. 11.*

XXXII. Eius partes sunt tres; præparatio, sex petitiones, & confirmatio.

XXXIII. Præparatio siue præfatio continet tres causas impulsiuas & exemplares precationis. Nam quia Deus est *Pater*, affectu & effectu,

seu σφεγγῆ καὶ ἔξω, debemus illum inuocare libenter, frequenter, ex fide, spe, & charitate. Deinde quia est Pater *noster*, non solùm debemus ipsum inuocare pro nobis, sed etiam pro aliis; & non soli nos oramus, sed etiam alii vnà nobiscum, ita vt communi operâ & vno veluti ore & corde totam Ecclesiã Catholicam orare meminerimus, quãdo dicimus *Pater noster*. Deniq; quia Pater ille noster *est in cœlis*, maiestas, omnipotentia, & sanctitas eius debet nos inuitare ad sanctè, humiliter, & fiducialiter orandum.

XXXIV. Sex petitiones diuiduntur in duas veluti tabulas: ita nempe, vt prima complectatur tres petitiones spectantes Deum, vt indicat pronomen *tuus*, quod occurrit in singulis: secunda cõtineat reliquas tres, quæ spectant nos, vt indicat pronomen *noster* & *nos*.

XXXV. Prima petitio est regula omnium actionum nostrarum. In vniuersâ siquidem vitâ nostrâ id nobis debet esse propositum, vt *nomen* DEI Patris nostri cœlestis, hoc est, gloria eius ratione essentiæ, personarum, & operum *sanctificetur*, id est, separetur & vindicetur ab omni obliuione & abusu ad sanctum vsum in cogitationibus, sermonibus & operibus nostris, secundum quatuor præcepta primæ tabulæ decalogi.

XXXVI. Secunda petitio est summa desideriorum nostrorum. In vniuersâ siquidem vitâ nostrâ id vnicè debemus optare, vt destructo regno Satanæ, *regnum* gloriæ *adueniat*, partim in hâc vitâ, per inchoationem, procedendo de gradu in gradum; partim post hanc vitam, per consummationem, euehendo in supremum gradum.

XXXVII. Tertia petitio est norma abnegationis nostri ipsorum. In vniuersâ siquidem vitâ nostrâ debemus vnicè acquiescere in voluntate Dei, & simul facere voluntatem eius patefactam in lege & Euangelio, idq; exemplo sanctorum Angelorum in cœlis, qui acquiescunt in voluntate DEI sine murmure, & faciunt

volunta-

voluntatem eius totam, libenter, citò, & fideliter.

XXXVIII. Quarta petitio docet, quomodo debeamus petere bona huius vitæ, τὰ βιωτικὰ: nimirum ita, vt petamus *dari*, siue donari, *panem* satietatis, sanitatis, & tranquillitatis: deinde panem *nostrum*, qui vocationi nostræ congruat, qui appellatur panis charitatis: tertio panem *quotidianum*, siue panem diei, qui in præsentem diem ad nostri sustentationem sufficiat, vnde appellari solet panis frugalitatis: deniq; *hodiè*, hoc est, singulis diebus, quibus viuimus hanc vitam breuem & caducam, ita vt sit panis sufficientiæ.

XXXIX. Quinta petitio respicit sensum iustificationis seu remissionis peccatorum. Hîc enim petimus, vt Deus remissionem peccatorum magis magisque nobis ingeneret atque obsignet per placabilitatem, quæ est insignis fructus fidei, & iustificationis signum infallibile. Nam Christus promisit, patrem in cœlis remissurum peccata omnibus iis, qui proximo remittunt offensas animo sincero.

XL. Sexta petitio respicit sanctificationem nostri, & est bipartita. Proponitur enim in formâ axiomatis discreti. Pars prima est negatiua, quâ petimus, ne Deus nos *inducat in tentationem*, deserendo nos, & permittendo vt ab ipso deserti superemur à diabolo, mundo, & carne. Altera pars est affirmatiua, quâ petimus *liberari à malo*, hoc est, à diabolo & omnibus eius technis & artibus malis, quibus ille tanquam mille-artifex vtitur, vt vel malum culpę nobis suggerat, vel malum pœnæ nobis acerbum reddat, vel denique bonum virtutis & felicitatis conuertat in malum.

XLI. Confirmatio complectitur columnas & sigillum fidei. *Columnæ fidei* sunt tres: videlicet regnum, potentia & gloria Dei, eaque omnia sempiterna. *Sigillum fidei* est particula *Amen*, quâ optamus asseuerãdo, & asseueramus optando. Hic itaque est sensus: Hæc omnia à te

petimus, quia tu es rex ſummè glorioſus, qui omnia in omne æuum potes atque vis, quæ ad gloriam nominis tui pertinent. Nos itaq;, filii tui, hoc firmiter perſuaſum habemus, te non fruſtraturum fiduciam noſtram, quam in te collocamus. Fiat itaque, fiat, fiat, quod rectè petiuimus.

XLII. Quartum Catechiſmi caput eſt Inſtitutio baptiſmi: Ea deſcribitur *Matth.* 28. *& Marc.* 16.

XLIII. Inſtitutio baptiſmi eſt formula rectè adminiſtrandi ſacramentum ſpiritualis generationis in N. T. complexa verbum præceptionis, promiſſionis, & comminationis. *Verbum præceptionis eſt* quo Chriſtus iubet Apoſtolos ire per totum terrarum orbem; & ibi diſcipulos facere per prædicationem euangelii; & hos diſcipulos baptizare, ſiue aquâ cõſecratâ & cœleſtem vocationem gerente lauare, in nomen, hoc eſt, in cultum, tum Patris, qui nobis dedit Filium; tum Filii, qui nos effecit Patri ſuo filios dilectos; tum denique Spiritus ſancti, qui nobis ſalutem à Filio partam applicat. Intellige cultum fidei, obedientiæ, & inuocationis. *Verbum promiſſionis* eſt ipſiſſimum vinculum, quo ſignũ & ſignatum, id eſt, res terreſtris & cœleſtis, vniuntur per fidem promiſſioni reſpondentem eâq; nitentem. *Verbum comminationis* eſt fulmen, quo hypocritæ conſternuntur, & electi excitantur, vt ſeueritatem Dei in alieno ſubiecto intuiti diſcant religioſè tractare ſacramentum.

XLIII. Quintum & vltimum Catechiſmi càput eſt Inſtitutio ſacræ cœnæ. Ea deſcribitur Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

XLIV. Inſtitutio ſacræ cœnæ eſt formula rectè adminiſtrandi ſacramentum ſpiritualis nutritionis in N. T. complexa quatuor iſtas partes. *Prima* eſt de circumſtantiis, vt ſunt perſona inſtituens, & tempus inſtitutionis: quæ duo plurimum nobis commẽ-

dant

dant hoc sacramentum. *Secunda pars* est consecratio panis, quem Christus accepit, prout nempe in vsu erat apud Iudæos pascha celebrantes: & gratiis actis ipsum sanctificauit, ordinando ad vsum mysticum, & ipsi imponendo sublime officium: postea fregit, ac dixit, *Hoc est corpus meum*, id est, Panis iste & corpus meum in legitimo vsu sacramentaliter vniuntur & offeruntur homini verâ fide memoriam Christi in hoc mysterio recolenti. *Tertia pars* est consecratio vini, quod Christus eodem modo tractauit vt panem. Neque enim phrasis illa, quâ dicit, *Poculum esse nouum fœdus per suum sanguinem*, est diuersa abillâ, quâ dixit, *Panem esse corpus suum*: sed vtriusque vna est ratio, puta sacramentalis, ita vt panis in eucharistiâ sit corpus Christi sacramentaliter, & poculum in eucharistiâ sit fœdus nouum sacramentaliter, h.e. medium, quo nobis significatur, obsignatur & exhibetur Christus, quatenus est mediator N. T. per oblationem corporis & sanguinis sui. *Quarta pars* est veluti celeusma, quo excitamur ad mortem Christi, tanquam summum beneficium, in hoc symbolo annunciandum verâ fide, spe, & charitate, idque vsquequò venerit, h. e. quamdiu Ecclesia in his terris militat. Plura vide in Theologiâ catecheticâ peculiari volumine.

XXXIV.

THEOLOGIA DIDACTICA.

I. THeologia didactica plenè explicat locos cõmunes sacros ex Scripturâ sacrâ.

II. Scriptura sacra est doctrina legis & euangelij, tradita à Deo, vt sit canon fidei, spei, & charitatis. 2. Tim. 3. v. 15. 16. 17. Atque hic est *primus locus*.

III. Scriptura tractat de Deo, & operibus Dei.

IV. Deus est spiritus essentiâ vnus, perso-

nis & operibus trinus, videlicet Pater, Filius & Spiritus ſanctus, creator cœli & terræ, redemtor electorum, illorumque ſanctificator. 1. Iohan. 5. verſ. 7. Hebræor. 1. verſ. 2. 3. Iohan. 1. Atq; hic eſt *locus ſecundus.*

V. Opera Dei ſunt, quæ ab ipſo proficiſcuntur liberè erga creaturas: & conſiderantur in genere, vnde *locus tertius*: vel in ſpecie.

VI. Opera Dei in ſpecie ſunt decretum, & executio decreti. Eſa. 46 v. 9. 10.

VII. Decretum Dei eſt conſilium & propoſitum eius, quo ab æterno iudicauit bonum eſſe aliquid agere in tempore, illudq; immutabiliter voluit. Pſal. 33. verſ. 11. Act. 2. verſ. 23. Hinc *locus quartus.*

VIII. Decretum Dei eſt prouidentia vel prædeſtinatio.

IX. Prouidentia eſt decretum Dei, quo ille ab æterno apud ſe conſtituit regnum potentiæ: hoc eſt, illa, quæ pertinent ad creaturas citra reſpectum æterni ſtatus. Matth. 10. v. 29. 30. Atque hic eſt *locus quintus.*

X. Prædeſtinatio eſt decretum Dei, quo ille ab æterno apud ſe conſtituit regnum gratiæ & gloriæ: hoc eſt, ea, quæ concernunt æternum ſtatum angelorum & hominum. Matth. 11. v. 25. 26. Atque hic eſt *locus ſextus.*

XI. Executio decreti Dei eſt, quâ ille in tempore implet ea, quæ ab æterno apud ſe conſtituit. Eph. 1. v. 11.

XII. Eſtq; alia executio decreti prouidentiæ, alia prædeſtinationis.

XIII. Exe-

XIII. Executio decreti prouidentiæ est creatio, vel gubernatio.

XIV. Creatio est, quâ Deus in principio temporis, solo nutu, ex nihilo, intra sex dies, ea quæ non erant fecit esse. Gen. 1. Psal. 33. v. 6. 9. Hinc est *locus septimus*.

XV. Gubernatio est, quâ Deus mundum, & omnia, quæ sunt & fiunt in eo, moderatur & regit secundùm voluntatem suam. Psalm. 104. Hinc *locus octauus*.

XVI. Gubernatio est inprimis euidens circa angelos & hominem.

XVII. Angeli sunt creaturæ merè spirituales. Hebr. 1. v. 7. Hinc *locus nonus*.

XVIII. Homo est creatura spiritualis & corporea simul: & gubernatur à Deo aliter ante lapsum, aliter post lapsum. Gen. 2. & 3.

XIX. In homine ante lapsum consideratur gratia primi hominis, *loco decimo*; & coniugium, *loco vndecimo*.

XX. In homine post lapsum spectatur miseria, & subleuatio miseriæ.

XXI. Miseria hominis est peccatum, & pœna peccati. Hinc *locus duodecimus*.

XXII. Subleuatio miseriæ cernitur in lege, *loco decimo tertio*: reliquiis liberi arbitrij, *loco decimo quarto*: & magistratu, *loco decimo quinto*.

XXIII. Executio prædestinationis fit in regno gratiæ vel gloriæ.

XXIV. Executio prædestinationis in regno gratiæ spectatur in promulgatione & administratione istius regni.

XXV. Promulgatio regni gratiæ fit in euangelio, quod est lætum nuntium de redemtione nostri per Christum. Luc.2.v.10.11.Hinc locus *decimus sextus.*

XXVI. Administratio regni gratiæ spectatur in personis & donis.

XXVII. Personæ sunt caput, & subditi.

XXVIII. Caput regni gratiæ est Iesus Christus, in quo consideratur persona & officium. Phil.2.v.6.7. Atque hic est *locus decimus septimus.*

XXIX. Subditi regni gratiæ sunt ecclesia. Hinc locus *decimus octauus.*

XXX. Dona capitis erga subditos considerantur quantum ad collationem & obsignationem.

XXXI. Collatio donorum fit per vocationem, *loco decimo nono*: iustificationem, *loco vigesimo*; & sanctificationem, *loco vigesimo primo.*

XXXII. Obsignatio donorum fit per sacramenta, quæ considerantur in genere, *loco vigesimo secundo*: vel in specie; vbi sunt sacramenta V. T. *loco vigesimo tertio*: & N. T; eaq; tum baptismus, *loco vigesimo quarto*: tum cœna Domini, *loco vigesimo quinto.*

XXXIII. Executio prædestinationis in regno gloriæ spectatur in præparatione & complemento.

XXXIV. Præparatio fiet per aduentū Christi vltimum, *loco vigesimo sexto*: per resurrectionem carnis, *loco vigesimo septimo*: & per vltimum iudicium, *loco vigesimo octauo.*

XXXV. Complementum erit in vitâ æternâ, &

nâ, & morte æternâ: vnde *locus vigesimus nonus.*

Explicationem singulorum locorum diexodicam non fert ratio instituti operis: synopticam pete ex theologiâ Positiuâ, plenam ex peculiari volumine theologiæ didacticæ à nobis edito.

XXXV.

THEOLOGIA IRENICA.

I. THeologia irenica est doctrina de componendis controuersiis in religione. Dicitur aliàs *polemica.*

II. Eius partes duæ sunt: vna communis, altera specialis & propria.

III. Pars cõmunis monstrat in genere modum componendi controuersias theologicas. Quâ de re sunt istæ regulæ. 1. *Illa in N.T. est* vera *fides, cuius author est solus Christus & Apostoli præcones.* Hæc est illa fides, ad quam Paulus Corinthios reuocabat, vt labefactatam interillos doctrinam de sacrâ eucharistiâ in integrum restituerent. *Ego,* inquit, *à Domino accepi, quod & tradidi vobis,* 1. *Cor.* 11. *v.* 23. Ea est fides, ad quam idem Apostolus etiam Galatas reuocabat, tantâ contentione affirmans, aliud nullum esse Euangelium, nisi illud, quod ipse eis prædicauerit: nihil dubitans Spiritu Dei plenus, etiam de cœlo venientibus angelis anathema dicere, si aliquid aliud doctrinæ fidei adiicerent, παρ' ὃ παρελάβετε, *præter id quod accepistis, Gal.* 1. *v.* 6. 7. 8. 9. Ea est fides, ad quam *Iudas versu* 4. omnes omnium ecclesiarum fideles reuocabat, cum pullulantibus inter ipsos iam tum hæresibus, hortatur pios ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις, *vt fortiter decertent pro fide quæ semel tradita fuit sanctis.* O diuina verba, numero illa quidem pauciſſima, sed sensu vberrima! quæ vel sola rectè expensa, hodiernas de fide con-

trouersias tollere, & ecclesiis pacem reddere, si mens plerisque mortalium non esset læua, sint idonea. Volumus scire, quæ sit vera fides? Ea est authore Iudâ apostolo, QVÆ SEMEL FVIT TRADITA. Volumus fidei regulam tenere? Sequamur Iudam, & illo docente discamus, illam demum esse veram regulam fidei, quæ *semel fuit tradita*. Volumus hodie scire, vbi tot iactantur fides, Pontificis Romani, Lutheri, Caluini, & cuius non? quæ sit vera, quam defendere, sit veram antiquitatem defendere: quam oppugnare, sit meram nouitatem inducere? Confugiamus ad sacram anchoram, & discamus à Iudâ, illam demum esse veram fidei antiquitatem, QVÆ SEMEL FVIT TRADITA. Huc pertinet, quod Christus Pharisæis nouatoribus respondit, NON ITA FVIT A PRINCIPIO, *Mat. 19. v. 8.* Nos itaque in controuersiis religionis assiduè rotemus illum Christi gladium, *A principio* non *ita fuit*: aut Iudæ illud vnicum SEMEL arripiamus. Sic v. g. si quis in sacrâ cœnâ non adhibeat verum panem, neque fractionē panis admittat, neque poculum porrigat communicantibus: nos dicamus, *A principio non ita fuit*. Si quis tot religiones monachorum defendat, dicamus, *A principio non fuit ita*. Si quis merita operum operosè defendat, dicamus, SEMEL tradita fides erat hæc, *Rom. 3. v. 28. Colligimus igitur, fide iustificari hominem absque operibus legis*. Quòd si hæc via obseruetur, facillimo negotio componentur controuersiæ, quæ tanto feruore hodiè vel testimoniis Patrum, vel variis ratiunculis suffultę gliscunt. 2. *Tutissimum fuerit theologiam positiuam profiteri in scholis*. Ita enim Scriptura in sanguinem & succum conuertetur, & controuertendi pruritus sistetur. 3. *In disputationibus optimum fuerit ad capita catechetica respicere*. Illa enim sunt principia cōfessa inter Christianos. 4. *Si negotium nobis sit cum atheis & Epicureis, ad theologiam naturalem oportebit recurrere*. 5. *Exempla disputationum, quas Christus habuit, semper nobis sint in conspectu*. Vide infrà Artem disputandi.

IV. Pars specialis, siue propria, theologiæ irenicæ,

irenicæ, perſequitur controuerſias in ſpecie. Eiuſmodi ſunt controuerſiæ Arianorum, Libertinorum, Socinianorum, Papiſtarum &c. de quibus vide in Theologiâ noſtrâ Polemicâ.

XXXVI.

THEOLOGIA CASVVM.

I. THeologia caſuum eſt doctrina ſoluēs caſus conſcientiæ, ad obtinendum ipſius tranquillitatem.

II. Tranquillitas conſcientiæ obtinetur mediis generalibus & ſpecialibus.

III. Media generalia ſunt arma defenſionis & offenſionis. Ibi eſt quies ſpiritualis, & gaudium ſpirituale: hîc oratio & diſputatio fidei. *Quies ſpiritualis* eſt ſabbatum, quo homo patitur Deum, ita vt dicat cum prophetâ, *Obmutui, non aperiam os meum, quia tu feciſti, Pſal. 38. v. 10.* & cum Chriſto, *Pater mi, ſi non poteſt hoc poculum abire à me quin bibam ipſum, fiat voluntas tua, Matth. 26. v. 42.* & cum apoſtolo acquieſcat illis Domini verbis, *Sufficit tibi gratia mea, 2. Cor. 12. v. 9. Gaudium ſpirituale eſt*, quo homo Dei lætatur propterea, quòd tentatur. *Rom. 5. v. 3. Oratio fidei* eſt, quâ tentationis exitum bonum à Deo petimus, exemplo Chriſti, qui ter deprecatus eſt calicem tentationis, verùm ita, vt ſuam voluntatem ſemper ſubiecerit voluntati Patris ſui, *Matth. 26. Diſputatio fidei* eſt, quâ homo tentatus ingreditur diſputationem cum tentatore, ſiue is ſit Deus, ſiue diabolus, ſiue caro, ſiue mundus, exemplo Chriſti *Matth. 4.* & mulieris Cananææ, *Matth. 15. v. 22. & deinceps.*

IV. Media ſpecialia ſunt regulæ ad ſingulas quæſtiones conſcientiæ ex Scripturis deductæ.

De his

De his vide Theologiam casuum peculiari volumine à nobis editam.

XXXVII.

THEOLOGIA PROPHETICA.

I. THeologia prophetica est doctrina enarrans officium prophetæ, id est, doctoris ecclesiæ.

II. Eius partes duæ sunt, Rhetorica & Politia ecclesiastica.

III. Rhetorica ecclesiastica est institutio tradens modum bene concionandi in ecclesiâ. *Dicitur etiam ars concionandi.*

IV. Modus bene concionandi positus est in concionis formatione, impressione, promulgatione & animatione. *Formatio concionis* absoluitur inuentione, dispositione, & elocutione ecclesiasticâ: de quibus vide suprà Oratoriam sacram. *Impressio concionis est*, quâ concio ritè formata imprimitur memoriæ. Vide ibidem. *Promulgatio concionis* est, quâ concio publicè recitatur. Exempla vide *Nehem.* 8. *v.* 5. *& seqq. Act.* 2. *&* 4. *Animatio concionis* est, quâ ecclesiastes dat operam, vt concionem habitâ conuertat in viuam praxin apud auditores suos, idq; per preces, repetitionem concionis, συζήτησιν cum auditoribus, & disciplinam ecclesiasticam.

V. Politia ecclesiastica est administratio ecclesiæ quatum ad ordinem & decorum attinet. Eius partes sunt, distincta officia personarum ecclesiasticarum, ædes sacræ, bona ecclesiastica, visitatio & reformatio ecclesiastica, catechisatio, disciplina ecclesiastica, de quibus vide 1. *Reg.* 6. *&* 8. 1. *Chron.* 23. *Exod.* 29. *Ios.* 21. *Nehem.* 13. *Gal.* 6. *v.* 6. *Matt.* 18. De his consule theologiam propheticam peculiari libro à nobis editam.

XXXVIII.

XXXVIII.

THEOLOGIA MORALIS.

I. THeologia moralis est doctrina informans hominem Christianum moribus decentibus.

II. Eius partes duæ sunt; communis & propria.

III. Pars communis proponit regulas vitæ generales. Eiusmodi regulæ sunt numero quatuor: videlicet imitatio Dei, Christi, bonorum angelorum, & sanctorum hominum. Quicunque enim vitam suam ita degere cupit, vt Deo placeat, ille debet sibi proponere quatuor ista exemplaria, *Luc.6.v.36. 1.Cor.4.v.16.c.11.vers.1. Ephes.5.vers.1.Philip.2.vers.5.cap.3.vers.17.1.Thess.1.vers.6.c.2. vers.14. Hebr. 6.vers.12. Matth.6.v.10.* Hæc latiùs diducta magnum habent momentum ad vitam ritè instituendam. Sic verbi gratiâ debemus imitari iustitiam & misericordiam Dei, mansuetudinem & obedientiam Christi, alacritatem sanctorum angelorum, fidem Abrahami, &c.

IV. Pars propria theologiæ moralis persequitur officium hominis Christiani in statu œconomico, ecclesiastico, politico & scholastico. Confer suprà cum œconomicâ, politicâ & scholasticâ. Pertinent huc omnia Scripturæ dicta de bonis operibus & officiis secundùm quatuor status vitæ humanæ.

XXXIX.

ΕΥΖΩΙΑ SACRA

siue

Ars bene viuendi.

I. Εὐζωΐα sacra est ars benè viuendi, ex Scripturis collecta. Hæc doctrina est particula theologiæ.

II. Eius

II. Eius partes ſunt duæ: prima, de exemplari ſanctæ vitæ, ſecunda, de modo vtendi hoc exemplari: Memineris hîc exemplari rectè ſubiici exempla: qualia ſunt hoc loco Abrahami, Iacobi, Dauidis, Pauli, & aliorum ſanctorum.

III. Exemplar ſanctæ vitæ eſt Ieſus Chriſtus. Hic enim eſt *via illa, & veritas illa, & vita illa*, per quã itur ad æternam felicitatem, per q̃ cognoſcitur omne verum, per quam denique æternùm viuitur. *Iohan.* 14. *v.* 6. In hoc eſt vita. *Iohan.* 1. *v.* 4. Ille eſt panis vitæ. *Iohan.* 6. *v.* 51. Ipſe dedit carnem ſuam pro mundi vitâ. *Ibid.* Ipſe ſolus habet verba vitæ æternæ. *ibid. v.* 68. Illius denique vita eſt regula vitæ Chriſtianæ. 1. *Cor.* 11. *v.* 1.

IV. Modus rectè vtendi hoc exemplari conſiſtit in fide in Chriſtum, & in imitatione Chriſti.

V. Fides in Chriſtum eſt fiducia in ſolo merito Chriſti, quâ homo perſuaſus eſt, Chriſtum ſibi à Deo Patre factum eſſe ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, & redemtionem. 1. *Cor.* 1. *v.* 30. De hac fide loquitur Habacuc *cap.* 2. *v.* 4. *Iuſtus fide ſuâ viuet*: item apoſtolus Paulus *Gal.* 2. *v.* 20. *Vnà cum Chriſto crucifixus ſum. Viuo autem non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus: & vitam, quam nunc viuo in carne, viuo per vitam illã Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſeipſum* pro me. Confer *Iohan.* 3. *v.* 16. 39. *c.* 4. *v.* 34. *c.* 5. *v.* 24. 40. *cap.* 6. *per totum. cap.* 8. *v.* 12. *cap.* 10. *verſ.* 10. 28. *cap.* 11. *v.* 25. *c.* 17. *v.* 2. *c.* 20. *v.* 31.

VI. Fides in Chriſtum conſideratur quantum ad conceptionem ſui, & dominium. *Conceptio*, ſiue ortus fidei eſt planè ſupernaturalis. Nam Spiritus ſanctus ex ſemine verbi Dei 1. *Petri* 1. *v.* 23. educat hanc plantam, illamq; ita inſerit cordibus noſtris, vt nunquam inde euelli poſſit. 1. *Iohan.* 3. *v.* 9. vbi Apoſtolus dicit, ſemen Dei manere in nobis, hoc eſt, verbum Dei fidei mixtum.

Noſtrum

Nostrum itaque est, captiuam ducere rationem nostram, iuxta illud 2. *Cor.* 10. *vers.* 4. 5. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed diuinitùs valida ad subuersionem munitionum: ratiocinationes euertendo, omnemq; sublimitatem, quæ se extollit aduersus cognitionem Dei: & in captiuitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo.* Hoc nisi faciamus, nobis idem accidet, quod gentibus & Iudæis, de quibus apostolus 1. *Cor.* 1. *v.* 23. ait: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam.* At verò si fide veiâ simus præditi, Christus nobis erit Dei potentia & Dei sapientia. *ibid. v.* 24. Itaque fides nostra quærat in mundo verbum Dei, in verbo Dei euangelium, in euangelio Christum. Ita enim Euangelium nobis erit potentia Dei ad salutem. *Rom.* 1. *v.* 16. Sequitur iam *dominium fidei*, quo fit, vt fides sola regnet in corde & vitâ. In corde fides ita regnat, vt cor subiiciat soli Deo, illudque tranquillum reddat, excitando pacem cõscientiæ, & gaudium Spiritus sancti. *Rom.* 3. *v.* 5. *Rom.* 5. *v.* 1. *Phil.* 3. *v.* 1. In vitâ fides ita regnat, vt gubernet vitam nostram spiritualem & animalem. Vitam spiritualem gubernat fides excitando in nobis puritatem cordis, *Act.* 15. *v.* 9. 1. *Iohan.* 3. *vers.* 3. 1. *Petri* 1. *vers.* 22. hoc est, veram sapientiam, bonos motus, & bona facta. *Psal.* 119. Vitam animalem gubernat fides efficiendo, vt eligamus Deo placentem vocationem, & in illâ rectè ambulemus, tum in secundis, tum in aduersis rebus. *Rom.* 14. *v.* 23. *Hebr.* 11. Cæterùm dixi, *fidem solam* regnare in corde hominis credentis. Nam imperium fidei est planè monarchicum, ita vt vbi fides regnat, ibi neque cogitatio carnis siue ratio corrupta, neque voluntas cæca, neque affectus mundani, neque concupiscentiæ carnales possint dominari. De hâc fidei monarchiâ vide locum paulò ante recitatum ex 2. *Cor.* 10. *v.* 4. 5. Exemplum insigne est in Abrahamo. *Rom.* 4. *v.* 18. 19. 20. 21. 22.

VII. Imitatio Christi est, quâ vitam & crucem Christi quotidie nobis proponimus, & vtramque

tramque habemus pro regulâ omnium noſtrarum actionum.

De vitâ Chriſti rectè dicitur:

Omnia nos Chriſti vita docere poteſt.

De cruce Chriſti itidem rectè:

Crux Chriſti egregium eſt vexillum Chriſticolarum.

Vide hanc in ſententiam *Matth.* 11. *v.* 28. 29. *cap.* 10. *v.* 38. *c.* 16. *v.* 24. *Marc.* 8. *v.* 34. *Luc.* 9. *v.* 23. *c.* 14. *v.* 27. 1. *Cor.* 11. *verſ.* 1. Hæc imitatio facit, vt Chriſtus viuat in nobis. 2. *Cor.* 4. *v.* 10. 11. *Gal.* 6. *v.* 8. *Coloſſ.* 3. *v.* 3. 4. 1. *Iohan.* 1. 2. 3. 5. *capp.*

XL.

ΕΥ̓ΘΑΝΑΣΙΑ
ſiue
Ars bene moriendi.

I. Εὐθανασία ſacra eſt ars bene moriendi, ex ſacris literis collecta. Eſt itaque particula theologiæ.

II. Eius partes duæ ſunt, prima eſt de exemplari huius artis, ſecunda, de modo vtendi hoc exemplari. Memineris hîc exemplari commodè ſubiungi varia exempla: vt hoc in loco exemplum Simeonis *Luc.* 2. Stephani *Act.* 7. &c.

III. Exemplar huius artis eſt Ieſus Chriſtus. Ars moriendi eſt admodum excellens. Oportet itaque vt habeamus exemplar perfectum, ex quo hanc artem poſſimus diſcere. Huiuſmodi autem exemplar non poteſt eſſe aliud ſub cœlo, quàm Ieſus Chriſtus, qui in vitâ & morte ſuâ omnes perfectionis gradus & numeros impleuit. *Pſal.* 16. & 22. *Matth.* 11. *verſ.* 28. 29. *cap.* 16. *v.* 21. *cap.* 26. *v.* 36. 39. 42. 44. *Luc.* 23. *v.* 34. 46.

IV. Modus vtendi hoc exemplari conſiſtit in imitatione Chriſti viuentis & morientis. Huius imitationis partes ſunt duæ: legitima præparatio ad mor-

ad mortem, & commoda in morte constitutio. *Legitima præparatio ad mortem* est vniuersalis & particularis. *Vniuersalis* est, quâ quis toto vitæ suæ curriculo ad moriendum se accingit. Consistit hæc præparatio in tribus hisce partibus. *Primò* requiritur mortis in vitâ meditatio, exemplo Christi. *Matth.* 16. *v.* 21. Confer *Psal.* 39. *v.* 5. & 90. *v.* 12. Oportet autem mortem intueri primò vt pœnam peccati *Gen.* 1. & 2. deinde vt transitum ex hâc vitâ in vitam æternam *Eccles.* 7. *v.* 1. *Luc.* 23. *v.* 43. *Secundò* requiritur praxis & instauratio quotidiana pœnitentiæ, consistens in mortificatione veteris & noui hominis. Ita enim fit, vt vim roburque, mortis, id est, peccatum, quotidiè infringamus 1. *Corin.* 15. *v.* 56. & ad primum vitæ æternæ gradum in hâc vitâ accedamus *Luc.* 17. *v.* 21. *Gal.* 2. *v.* 20. & indies moriamur, ne in æternum moriamur. 1. *Cor.* 15. *v.* 31. Pertinet huc illud elegantissimum Germanorum: **Wer da stirbt ehe er stirbt, der stirbt nicht wann er stirbt.** Neq; enim malè mori potest, qui bene vixit. Ita videmus Christi sanctam vitam præcessisse & peperisse mortem gloriosam. *Tertiò* oportet res nostras tempestiuè constituere. *Eccles.* 9. *v.* 10. *Gal.* 6. *v.* 10. Sic videmus Christum fideliter fecisse officium suum prædicando hinc inde euangelium, antequam pateretur, *Præparatio particularis*, siue specialis est, quæ fit infirmâ valetudine appetente; vbi officium ægri est triplex. Primum est *erga Deum*; operam videl. dare reconciliationi sui ipsius cum DEO in Christo per renouationem fidei & resipiscentiæ, adeoque confessionem peccati. *Psalm.* 6. & 38. Secundum est *erga seipsum*: vbi æger curabit animam & corpus. Et *animam* quidem ita, vt nõ tam mortem, quàm beneficia Dei post mortem intueatur; vt mortem contempletur non in speculo legis, sed euangelii; denique vt meditetur prouidentiam Dei, eiusque promissiones, ministerium sanctorum angelorum &c. *Corpus* verò hâc ratione, vt omnem valetudini & vitæ tuendæ atque conseruandæ det operam, tantisper, dum prorsus à Deo tollatur. 2. *Reg.* 10. *v.* 7. *Luc.* 10. *v.* 34. Sic autem vtatur medicinâ,

vt benedictionem à solo Deo petat, atque ita medicinam sanctificet. 1. *Tim.* 4. *v.* 5. 2. *Chron.* 16. *vers.* 15. Tertium est *erga proximum*, vbi est opus reconciliationis. *Matth.* 5. *v.* 24. & factione testamenti aut dispositione rerum suarum. 2. *Reg.* 20. *v.* 1. *Commoda constitutio in morte* in eo vertitur, vt moriamur in fide, & nostram voluntatem subiici amus voluntati Dei. Deoque nos commendemus. *Luc.* 1. 22. *v.* 42. 23. *v.* 46.

XLI.

ARS PRECANDI.

I. ARs precandi est particula theologiæ de rectâ ratione eleuãdi mentẽ ad Deum. Precatio est eleuatio mentis ad Deum, siue colloquium animæ fidelis cum Deo. Itaq; ars precandi præscribit modum eleuandi mentem ad Deum, siue rectam rationem cum Deo colloquendi; siue id fiat per deprecationes, siue per preces, siue per postulationes, siue per gratiarum actiones: quam tetrachotomiam proponit Apostol. 1. *Timot.* 2. *vers.* 1.

II. Eius partes sunt duæ, vna de necessitate, altera de modo precum.

III. Necessitas precum tanta est, vt illæ sint animæ fideli idem, quod corpori panis quotidianus. Sicut enim inter omnia alimenta primatum obtinet panis: ita inter omnia fidei exercitia, animæque fidelis præsidia precatio: vtpote, quę omnis generis bona nobis à Deo impetrat. Vnde legimus Mosen, Samuelẽ, Dauidem, Eliam, Hiskiam, Assã, Iosaphatum, Danielem, & alios innumeros, imprimis autem Christum Dominum nostrum, precibus suis nihil non impetrasse à Deo. Quæ causa est, quòd doctores ecclesiæ istos titulos honorarios precationi attribuunt: ipsam videlicet esse *scalam cœli*, per quam ascendamus in cœlum, & per quam sancti angeli nobis-

nobiscum descendant: esse *osculum pacis*, quo anima fidelis sponsum suum IESVM Christum osculatur: esse *sabbatum animæ*, quo anima quiescit in Deo: esse *viridarium spiritualis Libani, in quo cœlestis Salomo, Iesus Christus se oblectat*: esse *medicinam quotidianæ infirmitatis; emplastrum cordis sauciati; quotidianum exercitium omnium virtutum principum & benedictionem omnium nostrarum actionum; victoriam omnium hostium nostrorum; confortationem infirmorum gaudium tristium; denique metropolin virtutum & vnicum medium, per quod omnia bona donata cœlitùs in nos defluunt.* Nimirum vt in mare omnia flumina, sic in precationem omnes Christianæ virtutes confluunt. Sedulò itaque precemur. Ad hoc enim inter alia sumus conditi, vt cum Deo colloquamur, ipsum inuocemus, ipsum consulamus, ipsique gratias agamus. Vnde videmus cõscientiæ hominis tam altè insidere hanc notionem, Deum esse, ipsumque esse colendum per preces & similia exercitia, vt ethnici maluerint idola inuocare, quã omittere ritum istum deuotionis. Sed quid ego de creatione loquor? Ad hoc quoque redemti & sanctificati sumus, vt spirituales labiorum & cordium nostrorum victimas Deo offeramus. *Hebr.* 13. *v.* 15. Vt autem confirmaremur in hâc sententiâ, Deo placere has victimas, non vno in loco ille nobis præcepit, vt sine intermissione ipsum inuocemus, & simul promisit, se preces nostras paternè acceptaturum & exauditurum: vt, *Esa.* 65. *v.* 24. *Eritq; nondum clamantibus vt ego respondeam; adhuc ipsis loquentibus, vt ego exaudiam.* *Luc.* 11. *v.* 9. 10. *Petite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit; & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Ob insignem hanc vtilitatem precum apostolus 1. *Thess.* 5. *v.* 17. 18. ait, *Indesinenter orate: in omnibus gratias agite: hæc enim est voluntas Dei per Christum Iesum erga vos.* Hanc Dei voluntatem implere student, quicunque sunt γνήσιοι ipsius filii. E' contrario filii huius seculi aut planè non orant, aut malè orant. Semper autem nobis ob oculos sint ista: Qui non orat, ille contẽnit mandatum Dei, ipsiusque promissionem iuramento

ſancitam : Qui non orat, in illo extinguitur fides, timor Dei, & deuotio, omniſque tandem religio: Qui non orat, ab illo Spiritus ſanctus & boni angeli velut aufugiunt, & è contrario impuri Spiritus ad illum quaſi vocati accedunt, eiuſque ſocietate gaudent.

IV. Modus precationis conſiſtit in ſubſtãtiã & circumſtantijs. Vbi perpetua tenenda eſt regula: *Circumſtantiæ precationis debent commenſurari ſubſtantiæ, non verò illam euertere.*

V. Subſtantia precationis in eo eſt poſita, vt precemur in ſpiritu & veritate. Hoc docet nos Chriſtus *Iohan. 4. v. 23. & 24. Veri adoratores adorabunt Patrẽ ſpiritu ac veritate: etenim Pater tales quærit, qui ipſum adorent. Deus eſt ſpiritus: & qui adorant eum, oportet vt ſpiritu & veritate adorent. In ſpiritu* orare eſt ex verâ fide orare: *In veritate* orare eſt animo cõtrito, & nouæ vitæ ſtudioſo, orare. Quicunque ſic orat, cum illo Deus libenter colloquitur, & ille ſolus poteſt cum Deo colloqui. Qui ſic orat, ille admittitur in ſocietatem angelorum, & facit officium angeli. Qui ſic orat, certiſſimâ ὑποθεώσει transfertur in familiam Dei. Sed vt planius euadat, quid ſit in ſpiritu & veritate orare, certis regulis totum hoc negotium cõplectemur. 1. A' ſolo Spiritu ſancto docetur homo *orare in ſpiritu & veritate.* Oportet itaque orare Deum, vt nobis largiatur Spiritum ſuum bonum, Spiritum precum, Spiritum ſapientiæ, intelligentiæ, fortitudinis, conſilii, ſcientiæ & timoris Iehouæ. *Eſa. 11. v. 3. Zach. 12. v. 10.* Difficillimum eſt precari, idemque facillimum, vt quidam eremita aiebat. Difficillimum eſt carni & ſanguini: facillimum eſt homini regenito. Oremus itaque Deum, vt ille doceat nos orare. 2. *In ſpiritu & veritate orare*, eſt animo contrito, nouæque vitæ ſtudioſiſſimo orare. Nam precatio eſt opus noui atque interioris hominis: & proinde non poteſt ſeparari à ſanctimoniâ vitæ. Pauci admodum hoc perpendunt, ideoq; tantum abeſt, vt ſentiant precum ſuarum commodum,

vt potiùs

vt potiùs innumeris malis se ipsos exponant, dum malè precantur. Vtinam illi meminissent, sanctam vitam esse optimam precationem; precationem dico practicam, viuam, & realem! 3. *In spiritu & veritate orare*, est sine intermissione orare. Spiritus siquidē est actus merus, siue semper est in actu. Sicut itaque sol semper lucet: ita spiritus noster semper oret. Hoc ipsum etiam inde confirmatur, quòd optima precatio consistit in quotidianâ praxi & instauratione pœnitentiæ. Sicut ergò singulis momentis debemus crucifigere veterem, & viuificare nouum hominem: ita quoq; mentem nostram absque intermissione debemus ad Deum eleuare. Vide, quæ iamiam dicētur de precationis gradibus. Nam inde quilibet Christianus facilè intelligere potest, animam Deo deditam semper orare. 4. *In spiritu & veritate orare*, est orare ita, vt Deus præscripsit. Vult autem Deus, vt hunc ordinem in precib. nostris seruemus, vt priùs petamus regnum ipsius, quàm panem quotidianum. *Matt.* 6. *v.* 10. 11 33. vt item nostram voluntatem ipsius voluntati subiiciamus. *ibid. v.* 10. Quòd si hoc obseruemus, Deus omnia nobis dabit, quæ ab illo petiuerimus in nomine Filij ipsius. *Iohan.* 16. *v.* 23. 24. 5. *In Spiritu & veritate orare*, est feruidè orare. Feruor iste cernitur in quinque gradibus precum. *Primus* est orare voce & corde simul: *secundus*, orare sanctâ vitâ: *tertius*, orare gemitib. ineffabilibus: *quartus*, orare lachrymis oculorum vel cordis: *quintus*, orare tripudio quodam cordis, & igni amoris. Vide exemplum Hannæ 1. *Sam.* 1: Mariæ *Luc.* 1: fœminæ peccatricis. *Luc.* 7: & Mariæ Magdalenæ. *Iohann.* 20. inprimis Dauidis atque Christi: Dauidem quod attinet, ex psalmis ipsius liquet, quomodo voce suâ clamauerit ad Dominum, quomodo animam suam leuauerit ad cœlos, quomodo ploret hinc inde, quomodo vitam suam conformare studuerit legi Dei, quomodo denique exaltauerit in spiritu, omnibusque suis hostibus insultauerit. Similiter Christus totas noctes perseuerauit in precibus, & subinde lachrymatus est, & in spiritu gestiuit præ gaudio,

& altâ voce clamauit. *Matt.* 11. & 26. *Luc.* 22. *Iohan.* 17. *Hebr.* 5. *v.* 7. 6. *In ſpiritu & veritate orare*, eſt à ſolo Deo petere bona corporis & animi, & ipſi ſoli gratias agere pro beneficiis deſuper datis. *Matth.* 4. *v.* 10.

VI. Circumſtantiæ precationis ſunt locus, tempus, geſtus, vox, & ſimilia. De his omnibus tenenda eſt regula: *Circumſtantiæ precationis non ſunt meritoria aut pars cultus Dei, ſed tantùm adminicula, quibus homo exterior ſubijcitur interiori.* Proponamus hîc nobis Chriſtum, quí ſubinde ſeceſſit à populo & diſcipulis, vt poſſet maiori cũ feruore orare. Idem oculis in cœlum eleuatis, item genubus flexis oraſſe legitur, ſub dio, in templo, in priuatis ædibus &c. Vide paſſim hiſtoriam euangeliſtarum. Moſes in faciem ſuam procidit *Exod.* 16. *v.* 4. *Deut.* 9. *v.* 18. Hanna tacitè orauit. 1 *Sam.* 1. *v.* 13. De Dauide legimus, ipſum veſperi, manè & meridie precatum eſſe, tumultuando & clamando *Pſal.* 55. *v.* 16. 17. Daniel quoque ordinariè ter precatus eſt de die, flexis genubus. *Dan.* 6. *v.* 10. Porrò ad circumſtantias precationis pertinent etiam *formulæ*, quales in ſacris literis paſſim occurrunt, hoc ordine. *Gen.* 18. *v.* 23. & *ſeqq.* Abraham pro Sodomitis ſedulò deprecatur apud Deum, ſexies ſupplicando. *c.* 32. *v.* 9. & *ſeqq.* Iacob implorat auxilium Dei aduerſus Eſauum. *Exod.* 15. Moſes cum Iſraëlitis, & Maria cum fœminis Deum victoriæ authorem cantico & inſigni epinicio celebrant. *c.* 32. *v.* 11. 31. 32. Moſes deprecatur iram Dei aduerſus populum.

Num. 6. *v.* 24. 25. 26. deſcribitur formula benedictionis, quâ Aharon & filii eius iuſſi ſunt benedicere filiis Iſrael. *c.* 10. *verſ.* 35. 36. deſcribuntur formulæ precationis in profectionib. caſtrorumque metationibus vſurpandæ. *c.* 12. *v.* 13. Moſes orat Deum pro Mar. â ſorore ſuâ à leprâ mundandâ. *cap.* 14. *v.* 17. 18. 19. Moſes deprecatione ſuâ flectit iram Iehouæ.

Deut. 32. Moſes proponit & commendat populo canticum Dei.

Ioſ. 7. *v.* 7. 8. 9. Ioſua fit ſupplex Deo pro peccatis populi.

Iud. 10.

*Iud.*10.*v.*10. Israelitæ inclamant Deum.*c.*16.*v.*28. Simson inuocat Deum.

1.*Sam.*2. Hanna cantico celebrat DEVM.

2.*Sam.*7.*v.*18. *& seqq.* Dauid indignitatem suam coram DEO agnoscit, & simul gratitudinem suam exponit.*c.*22. describitur carmen Dauidis laudatiuum, editum ab eo sub finem vitę.

1.*Reg.* 3.*v.*6. *& seqq.* Salomon petit à DEO sapientiam.*c.* 8.*v.*15.*& seqq.* idem cum populo benedicit DEO.

2.*Reg.*20.*v.*3. *& seqq.* Hiskias ex lethali vlcere decumbens, DEVM precatur.

2.*Paral.*14.*v.*11. Asa inuocat Deum contra Æthiopum vim.*c.*20.*v.*6. Iosaphat implorat opem Dei contra Moabitas.

*Esdr.*9.*v.*6.*& seqq.* Esdra iram Dei pro omnibus publicè deprecatur.

*Neh.*1.*vers.*5. *& seqq.* Nehemias orat Deum, vt populo ignoscat, & consilius suis faueat.*cap.*4.*v.*4.5. idem precatur Deum.

*Iob.*1.*v.*21. Iob seipsum consolans benedicit Deo.

Psalmorum genera sunt varia. Et primò quidem sunt psalmi didascalici: 1.2.15.16.22.24.32.34.40.45.49.50.68.72. 73.77.78.91.96.97.98.107.110.112.117.119.125.127.128. Ex his quidam sunt prophetici: nimirum: 2.16.22.40.45. 68.72.96.97.98.110.117. Deinde quidã sunt epęnetici seu laudatiui, qui cõtinẽt laudes Dei: 8.19.29.33.40.45.68.72. 95.96.103.105.107.113.114.117.119.122.126.135.136.139. 145.147.148.149.150. Tertiò quidam sunt eucharistici, qui continent gratiarum actiones: 4.8.9.18.21.24.28.30. 31.34.40.41.46.47.48.56.65.66.72.75.76.81.87.89.92. 93.100.101.106.108 111.116.118.119.124.138.144. Quartò quidam sunt gloriabundi: 6.7.75.108. Quintò quidam sunt contestatiui: 119.131.139. Sextò quidam sunt epãgeltici, h.e. continent promissiones: 7.101.119. Septimò quidam sunt parænetici, siue protreptici, seu pædeutici, qui continent præcepta de officiis: 1.2.4.24.27.29.31.49.

62.82.95.97.98.99.122.130.131.133.134.135.136.146. Octauò quidam sunt confessorii; qui continent confessiones peccatorum:39.51.78.106. Nonò quidam sunt querulatiui,seu queribundi:item reprehensiui:3.13.14.22.36.38.41. 42.44.52.53.58.60.62.89.94.119.137. Decimò quidam sunt eucticiqui cõtinent preces supplices:3.4.5.6.7.9.10. 11.12.13.14.17.19.20.21.25.26.27.28.31.33.35.36.38.39.40. 41.43.44.51.54.55.56.57.58.59.60.61.63.64.67.68.69. 70.71.72.74.75.79.80.83.84.85.86.88.89.90.94.102. 106.108.109 115.119.120.121.123.125.126.130.132.137.140. 141.142.143.144. Vndecimò quidam sunt consolatorii:3. 5.10.11.12.14.17.20.21.23.25.27.36.37.42.43.53.54.55.56. 57.58.59.60.61.62.63.64.85.89.94.102.115.121.129.140. Duodecimò quidam sunt mixti;qui ad diuersa genera referuntur. Vide psalmos,qui bis vel sæpiùs hîc sunt adnotati:e.g.primus & secundus sunt didascalici & protrepti. Cæterùm septem vulgo recensentur psalmi pœnitentiales:putà 6.32.38.51.102.130.143.Deniq; psalmi ita distribui solent, vt vel in genere omnib. hominibus sint accommodati:vt 1.103. &c. vel certis statibus & vitæ generibus inprimis quadrent:vt patrifamiliâs 127.128. magistratui.2.82.101.bellatori.46,victori.18.&c.

*Prou.*30.*v.*7.8.9.Agur precationem adhibet de iis rebus, quæ ad corpus & animum pertinent.

*Esa.*6.*v.*11.propheta exclamat, *Quousque Domine*:nimirũ ego &omnes prophetæ tui continenter clamabimus sine fructu.*c.*25.idem celebrat Deum.*c.*26.idem præscribit ecclesiæ laudationem.*c.*63. *&* 64. ecclesia laudat & inuocat Deum.

*Ier.*3.*v.*17. *&seqq.* est confessio & oratio, quâ Israëlitæ sistunt se Deo.*c.*17.*v.*13.*&seqq.*est oratio prophetæ *c.*32.*v.* 17.*&seqq.*propheta expostulat cum Deo per preces.

*Thren.*2.3.*&*5.describuntur formulæ supplicis expostulationis cum Deo.

*Dan.*9.*v.*4. *&seqq.* propheta precibus flagitat à Deo remissionem peccatorum.

*Ion.*2.

Ion.2. propheta in ventre ceti orat Deum.

Hab.3. describitur oratio Habacuci.

In Apocryphis etiam sunt formulæ precum: putà Tobiæ. *Tob.3.8.& 13.* Iudithæ. *Iudith.9.13.& 16.* Baruchi. *Baruch.2.* 3 *& 3.* sociorum Danielis. *Adiect. in Dan. c. 13.* Mardochæi & Estheræ. *Adiect. ad Esth. c.13.14.* sacerdotum, *1. Maccab.7.v.37. 38.& 2. Maccab.1.v.24.& seqq.* Salomonis. *Sap.9.& 15.* Siracidis. *Eccl.23.& 41.* Manassis. *orat Manass.*

In nouo testamento sunt hæ formulæ. *Matth.6.v.9.& seqq.* formula à Christo præscripta. *c.8.v.2.* oratio leprosi. *c.11.v.* 25 doxologia Christi. *c.27.v.46* expostulatio Christi. *cap. 26.v.39.42.44.* oratio Christi ter repetita: *Marc.1.v.40.* oratio leprosi. *Luc.1.v.26.* canticum Mariæ. *ibid. v.48.* canticum Zachariæ. *c.2. 29.* canticum Simeonis. *c.18.v.13.* confessio publicani. *c.23.v.42.* oratio latronis in cruce. *Ioan.17.* oratio Christi. *Act.1.v.24.25.* oratio vndecim Apostolorũ. *c.4.v.24.& seqq.* preces discipulorum. *c.7.v.59.* oratio Stephani. *1. Tim.1.v.12.& 17.* doxologia Pauli. *Apoc.5.v.9.& 12.* canticum Agnodecantatum. *c.7.v.12.* doxologia angelorum. *c.11. vers.17.18.* oratio viginti quatuor Seniorum .15. *v.3.& 4.* canticum victorum bestiæ.

XLII.

PARADOXOLOGIA SACRA.

I. PAradoxologia sacra est collectio paradoxorum in sacris literis occurrentium. Est particula theologiæ.

II. Paradoxa sunt decreta, quæ præter sententiam multorum sunt, & audita admirationem habent. Vnde quibusdam dicuntur *Mirabilia*, & *Admirabilia*. Sunt etiam quædam paradoxa, quæ dicuntur *paralogа*, quæ sunt præter opinionem & veritatem; qualia sunt illa Stoicorum: *Sapientem imperturbabilem esse, non opinari, non fallere, non mentiri: Sapientem omnia rectè facere: Sa-*

pientem aliquando sibi mortem consciscere posse, decere, debere: Omnia vitia esse in omnibus: Peccata æqualia esse, &c. His dissimilia sunt paradoxa vera: vt illud Epicteti: *Solos eruditos liberos esse*: & istud Possidonii apud Senecam, *Vnum diem hominis eruditi plus patere, quàm imperiti longissimam ætatem*: & istud Senecæ,

Totâ vitâ discendum esse mori.

III. Paradoxa in sacris literis occurrentia sunt decreta siue effata Spiritus sancti, quæ carni & sanguini absurda videntur. Huius generis sunt plurima in V. & N.T. exempli gratia:

Deus omnia creauit ex nihilo. *Gen.*1. *Hebr.*11. *v.*3.

Fœmina prima facta est ex costâ viri. *Gen.*2. *v.*21.

Serpens seduxit hominem. *Gen.*3. *v.*1.

Deus est vnus & trinus. *Matth.*28. *v.*19. 1. *Ioh.*5. *v.*7.

Maria virgo peperit filium. *Matth.*1. *Luc.*1.

Corpora nostra resurgent in vltimo iudicio. *Iob.*19. *v.* 25. 26. 27.

Mors Christi nobis adfert vitam. *Esa.*53. *Rom.*4. *v.*25.

Non multi sapientes, nobiles & potẽtes placent Deo, sed qui stulti sunt, & ignobiles, & infirmi. 1. *Cor.*1. *v.*26. 27.

De his & similibus paradoxis sacris cogitandum est, quod apostolus pronuntiat de euangelio, 1. *Cor.*1. *vers.*18. *Nam sermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt, stultitia est: iis autem qui seruantur, id est, nobis, potentia Dei est.*

IV. Dantur certa & communissima quædam principia, quorum operatio hominis cõuinci potest, vt paradoxa sacra admittat. Ex his principiis primum est: *Dei natura longissimo, imò infinito interuallo, superat naturam creatam.* Non itaque de Deo & ipsius essentiâ iudicandum est ex legibus naturæ finitæ. Secundum: *DEVS est omnipotens.* Potest igitur illa omnia, quæ non destruunt naturam. Quare non debemus potentiam Dei metiri nostrâ impotentiâ, vel etiam decempedâ rationis corruptæ. Tertium: *DEVS est liberrimum agens.*

gens. Ergo non ſemper vno modo agit. Quartum: *Natura abhorret à progreſſu in infinitum.* Oportet itaq; vt tandem aliquando perueniatur ad primam aliquã cauſam. Quintum: *Anima hominis eſt aliquid diuinum & Spirituale.* Non itaq; ſubiacet legibus illis, quibus obnoxia ſunt corpora. Sextum: *Perfectio, quæ lucet in naturâ creatâ, modo longè excellentiori eſt in Deo.* Septimum: *Quidquid Deus vult, id neceſſe eſt fieri.* Nam ipſe eſt velut imperator huius vniuerſitatis, ad cuius nutum omnes creaturæ ſe componunt. Quòd ſi diligenter accommodentur hæc axiomata paradoxis illis, quæ in Scripturâ occurrunt, quæque rationi noſtræ corruptæ abſurda & incredibilia apparent, protinus ipſorum veritas reddetur credibilis. Vt autem actu ipſo credantur, opus eſt gratiâ Spiritus ſancti.

XLIII.

CIVILITAS MORVM SACRA.

I. CIuilitas morum eſt pars Ethicæ, præcipiens de ciuili conuerſatione. Ex ſacris literis ita eam proponimus, ſecuti ductum Cl. Icti *Iohannis Althuſii*, qui ciuilem ſuam conuerſationem dictis Scripturæ egregiè illuſtrauit.

II. Conuerſatio ciuilis poſita eſt in eo, vt decentibus moribus vtamur. Vt, inquam mores ſecundùm rectam rationem & decorum, quod Græci vocant τὸ πρέπον, conformemus, ita nempe, vt conueniant circumſtantiis perſonarum, locorum, temporum, & rerum, adeoque venuſtatem, concinnitatem, & pulchritudinem cum ſymmetriâ & gratiâ in ciuili conuerſatione exprimant. *Iacob* 3, *v.* 13. *Rom.* 12. *v.* 3. 4. *&* 15. *v.* 2. 1. *Cor.* 13. *v.* 5. 6. 11. *v.* 4. 5.

III. Conuerſatio ciuilis eſt communis, vel propria.

IV. Con-

IV. Conuersatio ciuilis communis posita est in eo, vt cum cuiusuis conditionis & status hominibus ritè conuersemur.

V. Ea cernitur in recto vsu sermonis, & gestu seu habitu conueniente. *Hæc duo coniunguntur Coloss.3.v.17.Iacob.2.v.12.1.Tim.4.v.12.*

VI. Rectus sermonis vsus est in conceptione & pronunciatione verborum.

VII. Conceptio verborum est, quâ animi nostri cogitata aliis, quibuscum conuersamur, significanda, præmeditamur, vt conuenientibus verbis illa enuntiemus. *Eph.4.v.29.* Cùm enim verba sint indicia animi, & veluti character interioris hominis, multum refert, vt illa rectè proferantur ex bono thesauro cordis. *Matth.12.vers.34.35.36.Luc.6.v.45.Iacob.3. Prou.4.v.23.c.18.v.20.21.*

VIII. Conceptio verborum legitima est, quæ rectè perpendit qualitatem rerum, personarum, & verborum. Rerum, de quibus; personarum, coram quibus; verborum, quibus sermonem instituere & habere conuenit.

IX. In rebus de quibus sermonem instituere volumus, videndum est, quas decorum & honestum sit proferre, & quas tacere. Hic itaque tradenda est ars loquendi & tacendi, vt ita dicamus.

X. Ars loquendi continetur his regulis. 1. Loquendum est *de rebus* cognitis, conuenientibus, vtilib. necessariis, & veris. *Ephes.4.v.29.1.Cor.14.v.19.Prou.10.v. 20 21.Eccl.20.v.4 5.c 3.v.23.c.4.v.27.Iacob.3.v.10.* Huc pertinent exempla Christi, & aliorum sanctorum hominum, qui nonnisi de rebus sanctis, piis, vtilibus & necessariis locuti & collocuti leguntur in sacris literis. 2. *Materia sermonis* est de Deo, vel nobis ipsis, vel proximo. De Deo ita est lo-

est loquendum, vt ipsius nomen sanctè vsurpetur & religiosè tractetur. *Exod.* 20. *v.* 7. De nobismet ipsis nihil est dicendum, quod ad laudem intempestiuam & nimiam, vel vituperium pertinet. *Prou.* 27. *v.* 2. De proximo si dicendũ, oportet considerare an causa sit bona vel mala. In bonâ promptè veritati testimonium est perhibendum. 3. *Iohan.* *v.* 12. In malâ nihil est dicendum, nisi propria conscientia & vocatio vrgeat, aut postulet: si nempe iubeat magistratus, si charitas Christiana imperet admoneri proximum, si ædificatio aliorum hoc requirat, deniq; si pericula possint præcaueri per nostram indicationem. *Gen.* 37. *v.* 2. 2. *Reg.* 6. *v.* 9. 1. *Cor.* 1. *v.* 11. *Act.* 23. *v.* 20. 21. 22. 3. De *arcanis & dubiis* non oportet sinistrè & in malam partem iudicare 1. *Cor.* 13. *v.* 5. *c.* 4. *v.* 5. Cogitandum hîc est vetus dictum: Fauores sunt ampliandi, odia restringenda. 4. *Sermo est gratiosus & acceptus*, si habeat quatuor comites: prudẽtiam in discretione circumstantiarum *Prou.* 25. *v.* 11. veritatem *Ps.* 15. *v.* 2. lenitatem, siue humanitatem *Coloss.* 4. *v.* 6. *Prou.* 15. *v.* 1. 1. *Sam.* 25. *vers.* 10. 24. denique grauitatem & pondus *Tit.* 2. *vers.* 7.

XI. Ars tacendi gubernatur his regulis. 1. Quædam sunt omnino tacenda, quædam aliquatenus. 2. *Omninò tacendæ* sunt res inconuenientes, alienæ, impertinentes, fœdæ, turpes, impiæ, & nobis non satis cognitæ. *Psal.* 141. *v.* 3. *Iacob.* 3. *v.* 2. 6. *c.* 3. *Coloss.* 3. *v.* 8. 1. *Tim.* 5. *v.* 13. 2. *Tim.* 2. *v.* 23. *Tit.* 3. *v.* 9. *Eph.* 4. *v.* 29. 5. *v.* 3. 4. *Psal.* 50. *v.* 16. 19. *Matth.* 12. *v.* 36. 37. 3. *Quæ aliquatenus sunt tacenda*, illa sic sunt comparata, vt in iis sermo sit silentio temperandus: putà in assensu & dissensu, in commendatione, in mentione aliorum faciendâ, in iocis, in irrisione, in censurâ, in reprehensione & increpatione, deniq; in contentione: idq; iuxta seqq. regulas 4. *In assensu & dissensu* non debet esse leuitas, vel vitiosus pudor; neque etiã malitiosa affectatio & obstinatio. *Leuitas* est in eo, si quis inconsideratè omnia approbet, improbet, damnet, neget, concedat &c. *Vitiosus pudor* est, cum quis ex vanâ suspicione & metu cuiusdam probri,

vel

vel ob imaginationem existimationis offensæ & præsumtionem mali, postulantibus nihil recusat, vel pollicetur quæ præstare non potest. *Malitiosa affectatio* est, cum affectamus τῶν δυσκόλων mores. *Obstinatio* est in vanâ contradictione & pertinaciâ. *Prov.* 12. *v.* 13. *Gal* 6. *v.* 3. *Eccles.* 7. *v.* 23. 1. *Sam.* 15 *v.* 3. 17. 5. *Commendatio* est vel sui ipsius, vel aliorum. *Commendatio sui ipsius* tum demum est probanda, quando est necessaria. 2. *Cor.* 3. *v.* 1. 2. 3. *c.* 4. *v.* 12. *Ioh.* 8. *v.* 14. In isto verò casu sic est instituenda, vt Deo tribuamus gloriam, infirmitatē nostrā confiteamur, facta nostra extenuemus, & denique laudes nostras mitigemus. 1. *Cor.* 15. 2. *Cor.* 12. 1. *Sam.* 12. *v.* 5. 1. *Cor.* 9. *v.* 1. 2. 2. *Cor.* 9. *v.* 12. Extra hunc casum & absque his cautelis cōmendatio sui ipsius est ridicula, impudens & superba. *Prov.* 27. *v.* 2. *Eccl.* 9. *v.* 21. 2. *Cor.* 10. *v.* 18. *Cōmendatio aliorū* debet esse procul ab adulatione. 1. *Sam.* 28. *&* 29. 1. *Thess.* 2. *v.* 3. 4. 5. 6. *Ps.* 5. 12. 140. 6. *Mentio aliorum* sic est facienda, vt absit maledicentia *Coloss.* 3. *v.* 8. 9. 1. *Tim.* 3. *v.* 2. 1. *Sam.* 24. *v.* 10. vt vitia proximi dissimulentur, quantum licet. 1. *Pet.* 4. *v.* 8. vt secreta, præsertim amici, non reuelentur. *Prov.* 20. *v.* 19 *c.* 25. *v.* 9. *Matt.* 18. *v.* 15. *c.* 1. *v.* 19. 7. *Ioci* debent esse subtiles, faceti, faciles & iucundi: non longè repetiti, rustici, tædiosi, molesti, scurriles, aculeati, impij &c. 1. *Reg.* 18. *v.* 27. *Esa.* 14. *v.* 11. *Prov.* 17. *v.* 5. *Psal.* 35. *v.* 16. 8. *Irrisio* non facilè locum apud nos inueniet. Certè non debet proficiscier ira, despicientia & ignominia. *Eccles.* 7. *v.* 10. *c.* 8. *v.* 5. *Psal.* 22. *v.* 7. 8. *Matth.* 27. *v.* 29. *Prov.* 22. *v.* 10. *Gen.* 21. *v.* 9. Aliàs irrisio festiua omninò probari debet, & quandoq; est necessaria. 1. *Reg.* 18. *v.* 17. *Esa.* 44. *&* 46. 9. *Exprobratio* tum demum est ciuilis, quando fit ob ingratitudinem, vel maleficium. *Prov.* 17. *v.* 9. 1. *Cor.* 13. *v.* 4. 2. *Petr.* 1. *v.* 6. 7. 1. *Sam.* 1. *v.* 6. 14. *c.* 25. *v.* 10. 11. 12. 10. *Censura* nō est ciuilis, nisi fiat iustè & ex necessitate officij. *Iacob.* 3. *v.* 1. *c.* 4. *v.* 11. *Matth.* 7. *v.* 1. 2. *Iob.* 1. *v.* 9. 11. *Act.* 28. *v.* 4. 11. *Contentio* non est licita, nisi pro veritate; ita tamen vt fiat prudenter & moderatè. 1. *Tim.* 6. *v.* 4. 20. *c.* 5. *v.* 13. *Phil.* 2. *v.* 3. *Tit.* 3. *v.* 9.

XII. Cum illis loquendum est, cum quibus conuer-

conuersari necessitas & vtilitas nos vrget, & cum quibus ex officio tenemur. *Principio* autem debemus vti affabilitate & comitate erga quosuis. *Rom.* 12.*ver.*15.2.*Tim.*3.*v.*2.1.*Cor.*13.*v.*4.5.6. *Deinde* commercium & collatio sermonis cum iis esse debet quorum conuersatio nos potest reddere meliores. *Prou.*13.*v.*20 *Eccl.*9.*v.*19. 20.& quos nostra conuersatio potest facere meliores, vt sunt indocti, infideles, infirmi,& similes, qui sunt tractabiles, ita vt sit Spes ædificationis & emendationis. 1. *Cor.* 9.*v.* 22. Extra hunc casum non licet conuersari cum infidelibus.2.*Cor.*6.*v.*14.15.16.neque cum stultis *Prou.* 23.*v.* 9. neque cum verbosis *Eccles.*8.*v.* 20. 22. neque cum rixosis. *Eccles.*18.*v.*10.11.1.*Sam.*25.*v.*9.10.11. neq; cum irrisoribus. *Prou.*9.*v.*7.8.*c.*10.*v.*8.

XIII. Verbis vtendum est elegantibus, modestis, & iucundis. Ita primò videmus Scripturæ sacræ stilum esse contextum ex verbis elegantiæ plenis. Deinde modestia commendat sanctorum orationes, colloquia, increpationes & hinc inde in sacris. Denique iucunditas commendat colloquia Christi cum discipulis & aliis.

XV. Pronunciatio recta est, quâ fit, vt verba concepta, tempestiuè, & decenti sono proferamus. Duo itaque sunt requisita pronuntiationis. Et primò quidem debet illa esse *tempestiua*, hoc est, eiusmodi, quæ auscultanti adferat commodum, & dicenti conciliet gratiam. *Prou.*25.*v.*11.*c.*15.*v.*23. *Esa.* 50. *vers.*4. *Eccles.*22.*v.*6.*c.* 32.*v.*6.7. *Eccles.*3.*v.*4. *Roman.*12.*v.*15. Deinde requiritur in pronuntiatione *cõueniens vocis sonus*, qui rebus & ipsarum naturæ sit accommodatus. *Eccl.*17.*v.*7.*c.* 40.*v.* 21.1. *Cor.*14. *v.*7.8.9. *Dan.*6.*v.*21. *Prou.*18.*v.*23. *Gal.*6.*v.*1.2. *Esa.*42.*vers.*2.11. *Ier.*25.*v.*30.2.*Reg.*18.*v.*28.

XVI. Gestus hominis in ciuili conuersatione est hominis loquentis, audientis, vel silentis:

lentis: & rursus est in singulis membris, vel in toto corpore: item in motu, vel vestitu: deniq; est ordinarius, vel extraordinarius: idq; iuxta has regulas. 1. Talem quis se habitu gestuque exhibeat, qualis videri cupit: & talis reuera intus sit, qualis apparere exterius cupit. *Matth. 6. & 23. 2.* Habitus sit decorus & secundùm naturã. *1. Cor. 11. v. 13. 14. 15. c. 14. v. 40.* 3. Habitus sit virilis in masculo, muliebris in fœminâ. *1. Cor. 11. v. 13, 14.* 4. Inter loquentem & audientem debet esse conueniens proportio: ita nempe, vt vterque alteri se rectè accommodet. Vide passim disputationes & conciones Christi. *Luc. 2. v. 46. c. 5. v. 3.* 5. Habitus sit accõmodatus ipsi rei: vt, velatio capitis est habitus & gestus hominis tristitiâ affecti. *2. Sam. 15. v. 30.* capitis demissio est signum luctus, doloris, & humiliationis. *Esa. 58. v. 5. Gen. 4. v. 6.* capitis eleuatio est habitus victoris *Esa. 35. v. 10.* frons dura significat obstinationem & impudentiã. *Esa. 48. v. 4. &c.* 6. Incessus debet esse honestus, lentus, decorus & ciuilis. *Esa. 3. vers. 17. Deut. 28. v. 56.* 7. Vestitus sit decorus & honestus, ita nempe vt sit necessarius, conformis & aptus corpori, denique conueniens vocationi, ætati, & personæ vtentis. *Tit. 2. vers. 3. 1. Tim. 2. v. 9. 1. Petr. 3. v. 3. 4.* 8. Habitus cõsentiat cum vulgatâ consuetudine hominum. Sic apud Iudæos salutatio hebat osculo *Luc. 15. v. 20.* saccus erat habitus lugentium. *Ier. 48. v. 37.* peculiaris erat habitus sacerdotum. *Exod. 28.* prophetarum. *1. Reg. 19. v. 19.* regum *Esth. 8. v. 3. 1. Reg. 10.* 9. Habitus arbitrarius, si sit rationabilis, ita vt ex ratione aliquâ probabili sit susceptus, gratiam habet. Tales erant habitus portentosi prophetarum. *2. Reg. 3. v. 15. c. 4. v. 34. c. 13. v. 15. 1. Reg. 18, vers. 42. Iohan. 9. vers. 6. 7. 1. Sam. 19. v. 23. 24. Matth. 3. vers. 4.*

XVII. Conuersatio ciuilis propria est, quæ conuenit statui cuiusque proprio, idque in actu conuiuiali, vel extra illum.

XVIII. Conuersatio cuiusque statui conueniens

ueniens est personarum vel imparium, earumque digniorum aut viliorum, vel pariũ; iuxta has regulas. 1. Firmiter nobis debet esse persuasum, inter homines alium alio esse præstantiorem. *Phil. 2. v. 3. 29. Act. 5. v. 34. 2. Chron. 10. Rom. 12. v. 10.* Etsi enim omnes sumus conditi ad imaginem Dei: tamen imago illa certos habet gradus, siue spectemus naturæ dotes. *1. Cor. 12. v. 4. 5. 6.* siue ciuilem dignitatem *Rom. 13. v. 1.* siue denique eruditionem, & similia, quæ proprio studio nobis præ aliis comparauimus *1. Thess. 5. vers. 12. 13. Prou. 28. v. 6.* 2. Qui aliis sunt digniores, ita se gerant, vt dignitati suæ nullam aspergant labem, ne aliis occasionem præbeant se contemnẽdi. *Eph. 4. v. 1. 2. 3.* Inter plures præstantes dignior & honoratior habetur is, in quem plures causæ dignitatis concurrunt. *Eccl. 9. v. 17. 18. 19.* 4. Digniores debent se accommodare vilioribus, & hi illos reuereri. *Rom. 15. v. 1. 2. Coloss. 3. v. 11. 1. Corint. 9. v. 19. & seqq.* 5. Digniores ita debent erga inuicem se gerere, vt inter sese certent officio honoris. *Rom. 12. v. 10. Phil. 2. v. 3.* 6. Inferiores ita se gerãt in morib. reuerentialibus & obsequialibus erga superiores, ne peccent in excessu vel defectu, h. e. ne sint in istiusmodi moribus vel nimii & prodigi, vel nimis parci & tenaces. *1. Pet. 3. v. 1. 2. 1. Tim. 2. v. 9 10. 11. 12.* Cæterum mores isti reuerentiales & obsequiales sunt varii: vt putà mentio de superiore honorifica, commendatio virtutis excellentioris, primus accubitus siue locus superior & dignior, decessio è viâ, & similia, de quib⁹ passim in Scriptura. 7. Superiores ita se debent gerere erga inferiores, vt honorem sibi oblatum benignè susciplant, grauitati studeant, liberalitatẽ erga inferiores exerceant, honores sibi non competentes recusent &c. *Luc. 7. vers. 44. & seqq. Matt. 7. v. 29. Tit. 2. v. 15. 1. Sam. 9. v. 19. 25. 26. Deut. 17. v. 12. 20. Rom. 12. v. 16. Act. 12. vers. 22.* 8. Cõuersatio inter pares talis esse debet, qualem sibi par à pari tribui vellet. *Philip. 2. v. 3. Eph. 5. v. [illegible]. Rom. 12. v. 10. 1. Petr. 2. v. 17. Gal. 5. v. 13. 14.*

XIX. Conuersatio conuiuialis gubernatur his regulis. 1. Conuiuator, siue procurator conuiuij, inuitet conuiuas humaniter, prudenter & tempestiuè *Esth.5.vers.3.4.5.8. Lucæ 14. vers.* 17. 23. procuret omnia necessaria 2. *Reg.6 v.22.* locum amœnum & satis capacem eligat. *Luc.14.v.8.1. Sam. 9. v. 21.* excipiat conuiuas decorè. *Luc.12.v.36. Gen.6.43.v.24.* illos rectè collocet. *Luc.14.* bene tractet eosdem *Eccles.32.vers.2.3.* denique tempestiuè ipsos dimittat. 2. Conuiua inuitatus ne recuset inuitationẽ sine causâ probabili. *Luc.14. v.18.* tempestiuè se sistat *ibid.* ritè se paret animo & corpore. 1. *Corinth.10. vers.* 31. sumat cibum & potum cum hilaritate, sobrietate & prudentiâ. *Roman.13.vers.vltim.1. Thess.5.vers.6.7.8. Prou.23. vers.29. & seqq. Eccles.37.vers.32. & seqq.* denique piè, tempestiuè & decorè discedat. *Eccles.32.vers.14. Deut.8.v.10.11.*

XLIV.

POLEMICA SACRA.

I. POlemica sacra est institutio de ratione belligerandi, è sacris literis collecta. Est aũt pars Politicæ. Hæc enim diuiditur in εἰρηνικὴν, & πολεμικὴν. Illam suprà ex sacris literis delineauimus: hanc nunc delineaturi in memoriam nobis reuocamus quod insignis quidam belli dux aliquando dixit magnâ cum voluptate meâ, artem militarem in Mose & Iosuâ ita esse traditam, vt ex hoc fonte manare oporteat riuulos, qui non sint turbidi in re militari.

III. Tres sunt eius partes: prima debelli susceptione; secunda, de eius gestione; tertia, de eiusdem euentu.

IV. De belli susceptione sunt hæ regulæ. 1. Cauendum est magistratui, ne quod bellum temerè moueat. Quà in re peccauit Achab 1. *Reg.22.* & Amasias 2. *Reg.* 14. item Iosias 2. *Reg.23.* 11. Magistratus ne susci piat bellũ, nisi

niſi perſuaſus ſit eſſe legitimum. Legitimum autem bellum eſt, quod habet mandatum Dei generale vel ſpeciale. Mandatum generale eſt illud *Leuit.* 19. *v.* 18. *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Quam dilectionem ſuam erga ſubditos etiam tum exercet magiſtratus, cùm eos defendit cõtra vim iniuſtam. Quippe gladium non temerè geſtat. *Rom.* 13. v. 4. Mandatum ſpeciale de bello ſuſcipiendo eſt arcanum, vel expreſſum. Mandatum arcanum eſt impulſus ille, quo Deus olim incitauit atq; excitauit animum quorundam ad vindicandum à vicinis hoſtibus populum ſuum. Ita Deus excitauit Othnielem *Iudic.* 3. *v.* 10 & Ehudem. *ibi. v.* 15. & Simſonem *ibid. c.* 13. *& ſeqq.* Expreſſum Dei mandatum datum eſt vel immediatè *Ioſ.* 6. 8. 10. 11. vel mediatè, idq; vel per Vrim & Thummim. *Iudic.* 1. *v.* 1. 2. 1. *Sam.* 30. *v.* 7. 8. 2. *Sam.* 5. *v.* 19. vel per miniſterium alicuius creaturæ, putà angeli *Iudic.* 6. vel prophetæ *Iudic.* 4. 1. *Sam.* 15. *v.* 3. vel integri alicuius cœtus, vt quando populus, vel vltrò ſibi ducem eligit *Iudic.* 11. vel opem principis ſui implorat 1. *Sam.* 11. vel principi operam ſuam offerenti aſſentitur. 1. *Maccab.* 2. 3. 4. *&* 13. Porrò bellum nititur mandato Dei vel expreſſo, quò pertinent exempla iam commemorata: vel tacito, vt quando bellum eſt iuſtum & neceſſarium, ſiue ſit defenſiuum, ſiue offenſiuum. Pertinet huc regula: *Bellum ſit iuſtum cauſâ, fine, & modo.* Vide *Gen.* 14. *v.* 4. *c.* 16. *v.* 20. *&* 34. *Deut* 2. *v.* 5. 9. 25. *c.* 20. *v.* 1. 10. *Ioſ.* 5. *v.* 13. 1. *Sam.* 25. *v.* 28. 2. *Chron.* 20. *v.* 15. *Iudic.* 15. *v.* 3. 2. *Reg.* 14. *v.* 25. 2. *Sam.* 5. *v.* 25. 2. *Chron.* 13. *v.* 4. III. Magiſtratus antequam bellum, etiam legitimum, ſuſcipiat, aut certè antequam prælium ineat, pacificationem cum hoſte tenter, eumq; à bello inferendo aut continuando dehortetur. *Iudic.* 11. 2. *Chron.* 13. 2. *Reg.* 14. IV. Magiſtratus, antequam bellum ſuſcipiat, cõſultet. *Prou.* 20. *v.* 18. *c.* 24. *v.* 6. *Luc.* 14. *v.* 31. 32. Conſultationis iſtius variæ ſunt partes: vtputà de ſumtibus & commeatu, de opportunitate loci & temporis, de milite idoneo & exercitato, & ſimilibus. Plura vide in Iuriſprudentiâ ſacrâ.

V. De gestione belli sunt variæ regulæ, è quibus aliæ pertinent ad belli ducem, aliæ ad reliquum exercitum. Dux belli obseruet has regulas. I. Ne dux belli confidat armis, sed auxilio & protectione Dei *Psal.*33.*v.*16.17. *&* 147.*v.*10. Huius fiduciæ exemplum illustre proponitur in Dauide. 1.*Sam.*17.*v.* 45.*& c.*22.*v.*33. *& seqq. Ps.*18.*v.*30. itē in Ionathane 1.*Sam.*14.*v.*6. & in Iudâ Maccabæo 2.*Maccab.*8.*v.*23. II. Dux belli præliū initurus, auxilium Dei imploret. Hoc fecisse legitur pius ille rex Asa. 2.*Chron.*14. & Iosaphatus. 2.*Chron.*20. & Iudas Maccabæus. 2.*Maccab.*8. III. Etsi precibus ad Deum pro auxilio conceptis, in bonâ causâ, bene sperandum est, euentus tamen prælij bonæ & sanctæ voluntati Dei est committendus, exemplo Ioabi 2.*Sam.*10. IV. Dux belli, antequá prælium ineat, milites suos recenseat. 1.*Sam.*15. 1.*Reg.*20. 2.*Reg.*3. V. Dux belli antequam prælium ineat, curet milites per ministrum verbi diuini moneri de officio. Id quod fecisse legitur Iudas Maccabæus. 2.*Maccab.*8. Quin & ipse milites suos ad fortiter dimicandum exhortari debet. Id quod fecisse legitur Hiskias 2.*Chron.*32. & Iosaphatus 2.*Chron.*20. itē Iudas Maccabæus 2.*Maccab.*8. VI. Dux militibus strenuè pugnaturis promittat præmia: exemplo Calebi *Iudic.*1. Saulis 1.*Sam.*17. Dauidis 2.*Sam.*5. 1.*Chron.*11. VII. Dux belli hostem aggrediatur, si fieri potest, ex improuiso. Id ꝙ fecit Abraham. *Gen.*14. *&* Saul 1.*Sam.*11. & Dauid 1. *Sam.*30. VIII. Dux belli hostem adoriatur, si id commodè fieri potest, ex partibus diuersis: exemplo Abrahami *Gen.* 14. Iosuæ *Ios.*8. Saulis 1.*Sam.*11. IX. Dux belli vtatur stratagematis, ad hostem fallendum *Ios.*8. *&* 10.*v.*24. *Iudic.*3.*v.* 28. *c.*7. & 20. X. Dux belli adhibeat celeritatem in hostem persequendo: exēplo Saulis 1.*Sam.*11. & Dauidis 1. *Sam.*30. XI. Dux belli sibi caueat à securitate: quippe quæ cú periculo aut damno semper est coniuncta. *Iudic.*8. 1.*Sam.*30. XII. Dux belli vrbem aliquam oppugnaturus, priùs pacē ei offerat. Deut.20.*v.*10. XIII. Dux belli vrbem aliquam obsidens, non corrumpat arbores fructiferas. *Deut.*20.

*v.*19.

*v.*19. XIV. Castra seruẽtur munda, corporaliter & spiritualiter. *Deut.*23.*v.*12.14. & constent eleganti ordine. *Exod.* 14.*Num.*1.*&* 2. In reliquo exercitu sunt legati in bello & exploratores *Ios.*1.*v.*14.1.*Sam.*14.*v.*7.capitanei.1.*Sam.*14.*v.* 53.*c.*18.*v.*7.*c.*20.*v.*28.*c.*12.*v.*28.29.*c.*23.*v.*8.milites.*Ios.*14.*v.* 13.*c.*17.*v.*17.18.*Iud.*10.*v.*18.*Deut.*20.*v.*5.*c.*24.*v.*5.2.*Sam.*5.*v.* 8.*c.*2.*v.*5.*c.*3.*v.*38.*c.*1.*v.*13.18.*c.*4.*c.*11.*v.*11.*c.*19.*v.*14.*c.*20.*v.*4.5. *Luc.*3.*v.*14.proditores.2.*Sam.*4.*v.*11.*c.*15.*v.*32.

VI. Euentus belli aut est secundus, aut aduersus. Ille victoria, hic clades nominatur.

De victoriâ sunt hæ regulæ. 1. Duxagat Deo gratias pro victoriâ. *Exod.*15.*Iudith.*5. 11. Nõ est sæuiendum in victos. *Deut.*20.*vers.*14.si nempe non sit specialis & vrgens aliqua causa, qualis est *Deut.*20.*v.*17.*&* 1.*Sam.*15. III. Præda hosti detracta rectè est distribuenda; ita nempe vt pars cedat bellatoribus, pars vniuersitati, & ex vtrâque illâ parte aliquid offeratur Deo. *Genes.*14.*Num.*31. *Ios.* 22. 1.*Sam* 30.2. *Maccab.*8. IV. Princeps partâ victoriâ militibus, qui præ cæteris fortiter pugnarunt, det præmia: *Iudic.*1. V. Victoriam oportet persequi. *Iudic.*7.*v.*25.*cap.*8.*vers.*11.*c.*28.1.*Sam.* 14.*vers.*7.*Ios.*10.*v.*19.2.*Sam.*8.*vers.*6. VI. Insignium victoriarum à Deo nobis concessarum monumenta sunt relinquenda posteris, ad Dei gloriam. *Ios.*3.*&* 4.*Iud.*5.*vers.*1.2. *Sam.*22. VII. Bello feliciter confecto, si nõ sit metuendum aliud periculum, milites non sunt frustrà in armis retinẽdi, ne otiosi vel seditionem moueant, vel latrocinia exerceant. *Ios.*22.*v.*4. VIII. Etsi ius victoriæ est magnum, non tamen in eo modus est excedendus: quia victoria insolens & crudelis Deo displicet, & valde quoque est periculosa. Sic etsi hostem victum victor non tantùm bonis exuere, sed etiam totâ regione mulctare potest, & in alienam ditionem transferre, imò & vitâ priuare *Iud.*11.*v.*21.2.*Sam.* 9.*v.*11.2.*Reg.*14.*vers.*13.14. non tamen hoc semper est faciendum, aut etiam sine discrimine *Deut.*20.*vers.*17. *De clade* sunt hæ regulæ. 1. Qui cladem accepit, statum quidem re-

rum ſuarum deplorare, veruntamen in Domino Deo ſuo ſeſe confirmare, deque vindictâ in hoſtem exercendâ cogitare & conſultare debet. *Ios.7. Iudic.20.1. Sam.30.* II. In magnis cladibus opus eſt extraordinariis precibus, ieiuniis, & animi conuerſione ad Deum. *Iud.20.v.23.* III. Qui ſ victi ſunt ſemel atque iterum in bonâ causâ, tandem triumphatores euadent, ſi animum non deſpondeant. *Iudic. 20.v.33.* IV. In conſternatione publicâ princeps oſtendat animum imperterritum. *1.Sam.19.v.10.*

10

XLV.

PATHOLOGIA SACRA.

I. PAthologia ſacra eſt doctrina de corrigendis & regendis affectibus, ex prę ſcripto ſacrarum literarum. Eſt autem farrago quædam ex phyſicis, ethicis, & theologicis monitis conſtans.

II. Affectus eſt appetitus, motu cordis & ſpirituum excitatus ab obiecto externo. Propriè itaq; competit animali tantùm, homini videlicet & beſtiæ. Deo quidem & angelis, itemq; animæ ſeparatæ, etiam tribuuntur affectus, ſed eminenti quadam ratione. Vnde affectus, qui ſunt in Deo, & angelis bonis, debent eſſe norma noſtrorum affectuum.

III. In affectu ſpectantur hæc tria: generatio, diuiſio, & regimen.

IV. Generatio affectuum ita habet. *Primò* ſe nobis offert obiectum. Hoc *deinde* mouet ſentiendi facultatem, quæ excitata ab obiecto, illud cognoſcit. Cognitio iſta *tertiò* vim imaginandi attingit, quæ obiectum illud iudicat vt bonum vel malum. *Quartò* obiectum iudicatum excitat appetitum in corde pro adeptione & fugâ. *Tum* ſpiritus alterantur, atq; alterati certo modo corpus afficiunt. Exemplũ eſt in Euâ *Gen.3.* & in filiis Dei, qui videntes

videntes filias hominum esse bonâ formâ eligebant eas in vxores *Gen.6.*

V. Diuisio affectuum est multiplex. Sumuntur autem differentiæ affectuum à formâ siue qualitate, quantitate, vel motu. *A formâ* affectus est simplex vel mixtus, bonus vel malus. *Affectus simplex* est, qui vnam retinet naturam, vt spes, tristitia &c: *mixtus*, qui variam induit naturam, vt ira, odium &c. Aliter etiam affectus simplex dicitur, qui non est compositus, vt amor: & mixtus, qui est ex aliis affectib. compositus, vt zelus ex amore, odio, irâ. *Affectus bonus* est talis vel physicè tantùm, vt gaudium quâ tale: vel physicè & ethicè simul, vt gaudium ortum ex cognitione Dei. Similiter affectus *malus* est talis vel physicè tantùm, vt tristitia quâ talis: vel physicè & ethicè simul, vt tristitia orta ex alterius felicitate. Priori modo affectus sunt communes homini & bestiæ: posteriori sunt hominis proprii. *A quantitate* affectus sunt moderati vel immoderati, subditi vel durabiles, lenes vel vehementes. *Affectus moderatus* est, qui non recedit à rectâ ratione, ideoque est secundùm naturam, & illam conseruat: *immoderatus* est, qui à rectâ ratione, siue à medio, recedit, secundùm plus & minus, ita vt rationem perturbet, corpusque alteret vt à naturali temperie illud deiiciat: *subitus* est qui citò fit & desit, *durabilis* contrà: *lenis* est, qui æquabiliter decurrit, *vehemens* contrà. *Ex motu diuiduntur* affectus bifariam. Nam considerantur ratione principii, medii, & finis: vel ratione centri. A principio ad finem sunt metus & audacia, amor & odium: in fine lætitia & tristitia, voluptas & dolor: in medio desiderium & fuga, spes & desperatio, itemque ira. Ex his affectibus quidam sunt homini cõmunes cum bestiis, vt amor, tristitia &c. quidam proprii, vt spes: & rursus quidam sunt in facultate concupiscentiæ, vt amor, odium, desiderium, fuga, delectatio, tristitia; alii in facultate irascente, vt spes, desperatio, ira, timor, audacia. Ratione centri affectus habent & excitant motum vel à centro ad circumferentiam, vt gaudium

&c. vel à circumferenti ad centrum, vt tristitia &c. vel vtroque modo, vt spes.

V. Regimen affectuum continetur his regulis. 1. Deus, Christus, & boni angeli sint specula bonorum affectuum. Et primò quidem *Deus* nō tantùm debet esse finis & obiectum affectuum, quatenus ad ipsius gloriam debēt affectus nostri tendere, vel circa ipsum occupari (e. g. Deum debemus amare, & quidquid amamus extra ipsum, propter ipsum debet nobis esse amabile: ipsum non debemus odisse, sed quidquid ipsi aduersatur &c.) sed etiam debet esse regula & norma affectuum. Etsi enim in Deo non sunt affectus animi, qui sunt appetitus sensus: sunt tamen in ipso actus voluntatis affectibus similes. Amat enim Deus bonos, odit malos, gaudet benefactis &c. Hanc Dei naturam imitemur, & vt hoc possimus, implorēmus ipsius gratiam, vt nobis largiatur spiritum bonum intelligentiæ, prudentiæ, fortitudinis &c. *Esa.* 11. *vers.* 2. Deinde *Christus* in manu suâ habebat affectus, eosq; contrahebat & laxabat suo nutu & arbitratu, ita vt illi nunquam rationis imperium detrectauerint & recusauerint, vel rationem victam ad se pertraxerint, vel illam deseruerint. Quoties itaque occurrit obiectum aliquod patheticum, intueamur Christum, & ipsum imitemur. *Phil.* 2. *v.* 5. Deniq; *boni angeli* etsi carent affectibus, qui pertinent ad appetitum sensus, habent tamē nihilominus affectus, qui pertinent ad appetitum rationis, id est, ad voluntatem, eosque conformes voluntati Dei. Oremus itaque Deum, vt nobis largiatur præsidium sanctorum angelorum, qui regant nostros affectus. 2. Affectus ex modo & obiecto fiunt boni vel mali moraliter. *Ex modo*: quia quando sunt immodici atque rationi aduersantur, mali sunt & culpæ imputantur; quando verò sunt temperati, sunt boni & secundùm naturā. Oportet itaque affectus virtute regi, cohiberi, & sedari. *Ex obiecto*: quia vsuenire solet, vt affectus suâ naturâ indifferens fiat bonus vel malus prout se habet ipsius obiectum, quod ipsum occupat. Sic odisse bonos,

malum

malum est, odisse malos, bonũ: amare turpia, malum est, amare bona, bonum: irasci bonis, malum est, irasci malis, bonum: odium personæ seu inimicitiæ, malum est, odium rei turpis seu odium abominationis, est bonum: dolor secundùm Deum est bonus, secundùm mundum, malus. 3. In regimine affectuum hæc sit cura, vt imaginatio rem obiectam ita percipiat, vti recta ratio illam iudicat. Imaginationem itaq; corrigat ratio. 4. Affectus variant pro ratione subiecti recipientis. Sic in filios Dei cadit timor filialis, in reprobos, seruilis: spes nostra est spiritualis, mũdi, mundana. 5. Qui vult affectus suos rectè temperare, accuratè cognoscat suum temperamentum, & operam det, vt cordis atq; sanguinis temperiem bonam procuret moderatâ diætâ. Affectus enim oriuntur excommotione spirituum vitalium in corde, quorum indoles sequitur temperamentum sanguinis. Huc etiam facit ieiunium. *Psalm.35.vers.13. & 69.v.11. Matth.17.v.21. Luc.2.v.17. 1. Cor. 7.v.5. 2. Cor.6.v.5.*

XLVI.

LITHOLOGIA SACRA.

I. Lithologia sacra est doctrina de gemmis, quarum fit mentio in sacris literis. Pertinet autem partim ad physicam, partim ad ethicam & theologiam.

II. Partes ipsius duæ sunt: generalis, & specialis.

III. Pars generalis explicat de gemmis cõmunia illa, quæ hinc inde in sacris literis occurrunt. Sic v.g. *Esa.54. vers.11. & 12.* Deus promittit ecclesiæ afflictę, se cum ornamẽto collocaturũ lapides eius, & ipsam fundaturum sapphiris, & dispositurum pyropo specularia eius &c. Quibus verbis hoc significatur, fun-

damentum ecclesiæ fore firmum & politum instar sapphiri, & specularia ipsius repletum iri fulgore præsentiæ Dei. Sic *Matth.*13. *v.*45. doctrina euangelij confertur cum pulchris margaritis, idq; propter splendorem, ornatum, pretium, & virtutem. Huiusmodi multa sunt in Scripturis. Vide Concordantias Biblicas ad titulos gemmarum.

IV. Pars specialis explicat ordinem gemmarum qui est Exod. 28. & Apoc. 21.

V. Ordo gemmarum Exod. 28. conuenit cũ nominibus duodecim filiorum Israel. Confer *Exod.*28.*v.*17.18.19.20.21.cum *Gen.*49. Significatio mystica hæc est, iuxta sententiam Hugonis Brugthoni. *Sardius* habuit insculptum nomen Rubenis: quia lapis rubere testari debebat de bellis ab eo gerendis contra hostes, pro fortis & terræ suæ defensione. *Topazius* lapis Simeonis, palliditate suâ transparente optimè conuenit huic patriarchæ iracundo. *Smaragdus* tributus fuit Leui, qui doctrinâ suâ splendere & lucere debebat

Phœbus vt in solio clarius lucente smaragdis.

Carbunculus gessit nomen Iudæ, ex quo Christus, sol iustitiæ, ortus est. *Sapphirus* fuit lapis Issascharis, qui fuit fortis. *Sardonyx* decoratus fuit nomine Zebulonis, qui habitauit ad mare. *Hyacinthus*, est lapis Danis, monumentum astutiæ. *Chrysoprasus* fuit lapis Naphthali, habitantis ad mare, cuius aspectus splendens est instar Chrysopras. *Amethystus*, lapis Gadis, fuit monumentum ipsius fortitudinis bellicæ, quam notat lapis purpureus. *Chrysolithus*, lapis Aseris, erat monumentum copiæ & fertilitatis terræ, quæ ipsius tribui cedere debebat. *Beryllus*, lapis Iosephi, fuit signum pietatis, quâ Ioseph vicit reliquos, ita vt de ipso dici possit,

Vincit vulgares, vincit beryllus arenas.

Iaspis, lapis Beniaminis, fuit monumentum ingenij ad varia bella propendentis, quemadmodum iaspis est versicolor.

VI. Ordo

VI. Ordo gemmarum Apoc. 21. conuenit cum nominibus duodecim apostolorum, hoc modo. Primus apostolus collegit per ministerium verbi *iaspides*, hoc est, perpetuò virentes & florentes fide verâ Christianos: secundus cœruleos *sapphiros*, hoc est, fideles, qui cœlestibus donis ornati, vanitates huius seculi insuper habent: tertius *chalcedonios* splendentes, hoc est, zelosos & victoriosos confessores: quartus virides *smaragdos*, id est, florentes & lætos Christianos: quintus *sardonyces* puros, id est, castitatis studiosos: sextus *sardios* rubicundos, id est, Christianos sanguine Christi lotos: septimus *chrysolithos*, id est, constantes & veste iustitiæ albicantes Dei filios: octauus *beryllos*, id est, virentes & lucentes fide ac pietate Christianos: nonus *topazios*, hoc est, dominantes affectibus, carnemque suam crucifigentes: decimus *chrysopraſos*, id est, amatores cœlestis thesauri: vndecimus *hyacinthos* purpureos, id est, Christianos purpurâ Christi verè regiâ amictos: duodecimus *amethystos*, id est, temperantiæ & castimoniæ studiosos. Hinc patet, Ethicam hieroglyphicam ex his posse confici.

XLVII.

BIOGRAPHIA SACRA.

I. Biographia sacra est doctrina de vitâ, collecta ex sacris literis. Constat autem monitis *physicis, ethicis, œconomicis, politicis & theologicis.*

II. Vita est actus viuentis, seu est vitalis actionis principium. Est, inquam, actus primus & secundus, quo res est actuosa in se & extra se.

III. Vita multis modis consideratur. Et *primò* quidem vita diuiditur vt anima, ita vt sit φυλικὴ, *vegetatiua*, in plantis; καὶ θηλικὴ, *sensitiua*, in animalibus; νοερὰ, *intellectiua*, in Deo, angelis, & hominibus. Prima est vita vegeta-

getationis, ſecunda ſenſionis, tertia intelligentiæ. Vide *Gen.1.v.11.19.20.21.22.27.28.cap.2.verſ.7.Ier.44.v.26.Matth.23.verſ.30.* *Deinde* vita eſt infinita, vel finita. Illa eſt ſolius Dei, *Deut.32.verſ.40.* vel finita, quæ eſt creaturarum viuentium. Eſt, inquam, finita vel tempore & ſubiecto ſimul, vt eſt hæc vita: vel ſubiecto tantùm, non verò tempore, vt eſt vita æterna. *Gen.3.v.19. Iohan.3.v.16.* Si malis, dic vitam increatam & creatam, independentem & dependentem. *Tertiò* vita eſt prima, vel ſecunda. *Prima* eſt naturalis: *ſecunda*, ſpiritualis. *Heb.2.v.4.* Vel, pleniùs, vita eſt *naturalis*, ex conſortio animæ & corporis, *Act.17.v.25.* vel *carnalis*, cùm membra ſeruiunt peccato, *Rom.6.v.17.* vel *ſpiritualis*, cùm ſpiritus dominatur carni, *Eph.5.v.14.* vel *æterna*, & hæc eſt vel Dei, vel angeli, vel hominis: & rurſus *vita æterna hominis* aliquando ſumitur *phyſicè*, & ſic quoque in damnatis manet perpetuò, *Eſa.66.v.44.* aliâs *moraliter*, pro beato ſtatu, pleno gloriæ & gaudij ineffabilis, *Hab.2.v.4. Apoc.21. & 22.* Ita quoque eſt *mors naturalis*, vt *Geneſ.49.* cui opponitur violenta *Luc.23.v.42.* mors *animæ*, cùm vitiis nos mancipamus, *Luc.15.v.vlt. Matth.7.v.2.* mors *carnis*, cùm vitiis morimur, *Coloſſ.3.verſ.5.* mors *æterna*, cùm homo ſeparatur à communione cum Deo, in æternum. *Apoc.21.verſ.8.* mors *crucis & calamitatum*, cùm βίος eſt ἄβιος, id eſt, vita vitæ expers, propter miſeriam multiplicem. *Rom.8.verſ.36.2.Cor.5.verſ.20.* Pertinet quoque huc vſitata illa mortis diſtinctio, quòd ſit prima, vel ſecunda, ſiue, eſt corporalis, vel ſpiritualis. *Mors prima* eſt ſeparatio animæ à corpore. *Matth.10.verſ.21.* *Mors ſecunda* eſt ſeparatio animæ à Deo, ſeu vitæ æternæ amiſſio: eaque eſt vel inchoata in hâc vitâ, vel conſummata poſt hanc vitam. *Geneſ.2.verſ.17. Apoc.2.verſ.11.cap.20.verſ.6.14.cap.21.verſ.8.* *Quartò* vita eſt *naturæ*, quam viuimus vt homines, ſiue vt ciues mundi. *Gen.2.verſ.7.* vel *gratiæ*, quam viuimus vt homines credentes, ſiue vt ciues eccleſiæ. *Rom.8.verſ.2. Gal.2.verſ.20.* vel *gloriæ*, quam viuemus aliquando vt homines translati in patriam, ſiue vt ciues cœli, *Iohan.10.verſ.28.* *Quintò* vita eſt

anima-

animalis, vel ſpiritualis. Illa fouetur cibo & potu : hæc non item. *Matth.22.verſ.30.1.Cor.15.verſ.43.44.* *Sextò* vita eſt contemplatiua, actiua, vel factiua. *Vita contemplatiua* poſita eſt in ſpeculatione, eaque vel optimâ, vel peſſimâ. Speculatio optima eſt cognitio optimi ſpeculabilis, quale eſt ſolus Deus. *Iohan.17.verſ.3. Ierem.9.verſ.24.* Hæc verò cognitio nõ eſt nuda, ſed affectiua ſiue practica, ita nempe vt conſiſtat in aſſimilatione cognoſcentis & cogniti. Speculatio peſſima eſt vel nuda cognitio, *Iacob.2.v.19.* vel cognitio ſiue contemplatio mali. *Pſal.36.verſ.5.* *Vita actiua* eſt poſita in ſtudio virtutis. *Iacob.1.verſ.25.* *Vita factiua* eſt poſita in exercitio artis alicuius liberalis vel mechanicæ. Sic Paulus fuit doctus artem ſcenofactoriam, vt loquitur vulgatus interpres, *Act.18.verſ.3.* & artes liberales *Act.22. v.3.* Nos paulò μεθοδικώτερον perſequemur has diuiſiones.

IV. Vita eſt increata, vel creata.

V. Vita increata eſt purus putus actus, quo Deus viuit à ſe & in ſe, facitq; viuere res extra ſe. Deus ita viuit, vt ſit ipſe ſua vita, eaque ab æterno in æternum. Eſt autem hæc vita vel eſſentiæ diuinæ, vel perſonarum in eſſentiâ. Illa eſt communis Patri, Filio & Spiritui ſancto. *Deut.32.verſ.40.1.Sam.25.verſ.34.Apoc.15.v.7.* hæc eſt propria ſingularum perſonarum. Ita Pater viuit à ſe, Filius à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio. *Iohan.5. verſ.26.* Filius quidem viuit à ſe, vt Deus; ſed viuit à Patre, vt Filius. Ita Spiritus ſanctus viuit à ſe vt Deus; ſed viuit à Patre & Filio, vt eſt tertia perſona procedens à Patre & Filio. Porrò Deus ita viuit, vt aliis quoque det vitam. *Geneſ.1.& 2.Act.17.v.28.*

VI. Vita creata eſt, quam Deus largitur creaturæ : eſtq; angelorum, hominis, vel aliarum naturarum, puta beſtiarum, plantarum, & totius denique mundi. Nos agemus de vitâ hominis. De vitâ angelorum vide in Pneumaticâ, de vitâ beſtiarum, plantarum, & totius mundi, in Phyſicâ.

VII. Vita

VII. Vita hominis est præsentis vel futuri seculi.

VIII. Vita præsentis seculi est vel communis, omnium hominum, vel propria, quorundam.

IX. Vita communis est, quam homo viuit vi naturæ siue essentiæ suæ. Vnde etiam hæc vita naturalis & essentialis dicitur. Hæc vita est cõmunicans, vel communicata. *Vita communicans* est animæ, eaque immortalis & inseparabilis. Semper enim manet hæc vita in statu animæ tum corpori vnitæ, tum à corpore abiunctæ, tum denique corpori reunitæ. *Matth.10.v.28.* Memineris hîc non esse sermonem de animâ vegetatiuâ & sensitiuâ, sed de rationali. Diximus enim paulò antè, nos tractaturos de vitâ hominis, quam scilicet præ bestiis & plantis habet peculiarem. *Vita communicata* est corporis humani, quatenus humanum est. Hæc vita consistit in eo, quòd corpus hominis est domicilium & organum animæ rationalis. *Gen.2. vers.7.* Atque hæc vita est mortalis: vnde in longam & breuem diuiditur. *Genes.5.*

X. Vita quorundam hominum propria est, quam homo viuit vi principij extrinsecè superuenientis. Vnde appellari solet vita accidentalis. Non enim vt priorem illam vitam homo viuit vi principij interni, quod est natura ipsi indita: sic etiam res se habet in vitâ illâ accidentariâ. Est autem hæc vita ciuilis, vel spiritualis. *Vita ciuilis* est, quam homo viuit, vt est ciuis huius mundi. Estq; contemplatiua, actiua, vel factiua. *Vita contemplatiua ciuilis* vertitur in cognitione veri: vt est vita illorum, qui docent ac discunt artes. *Vita actiua ciuilis est*, quam homo viuit virtute ciuilis honestatis: vnde & vita honesta dicitur. Eius ratio in eo vertitur, vt viuamus secundùm rectam rationem, siue legem naturæ, ne degeneremus in sortem brutorum. Vita ista ciuilis est ethica, œ-

economica, politica, collegialis, ſtatus eminentiæ vel ſubiectionis, ſcholaſtica, &c. *Vita ethica* eſt, quæ informatur per virtutes: *œconomica*, quam homo viuit in ſocietate domeſticâ, ſiue in familiâ: *politica*, quam homo viuit in republicâ conſtitutus: *collegialis*, quam homo viuit, vt eſt pars alicuius collegij: *ſcholaſtica*, quam homo viuit, vt eſt pars ſcholæ: *vita in ſtatu eminentiæ* eſt, quam viuit magiſtratus, *in ſtatu ſubiectionis*, quam viuit ſubditus. *Vita factiua ciuilis* eſt, quâ homo deditus eſt exercitio alicuius artis liberalis vel mechanicæ. *Vita ſpiritualis* eſt, quam homo viuit, vt eſt ciuis eccleſiæ catholicæ. De vitâ ciuili vide *Geneſ.* 4. *verſ.* 2. 21. 22. de ſpirituali *Rom.* 8. de vtrâque *Eccleſ.* 44. *& aliquot ſeqq. capp.*

XI. Vita futuri ſeculi eſt poſita in fruitione Dei ſempiternâ, plenâ gloriæ & gaudij ineffabilis. Quam videlicet nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vllus homo cogitatione comprehendit. 1. *Corinth.* 2. *verſ.* 9. 2. *Cor.* 5. *verſ.* 1. *Gal.* 6. *v.* 8. Atque hæc eſt deineatio *biographiæ*, quæ tum demum erit *ars bene viuendi*, ſi Chriſtus in nobis viuat per fidem, ita vt poſſit vnuſquiſq; noſtrûm dicere cum apoſtolo: *Vnà cum Chriſto crucifixus ſum. Viuo autem non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus: & vitam, quam nunc viuo in carne, viuo per fidem illam Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Gal. 2. v. 20.

XLVIII.

HYGIASTICA SACRA.

I. HYgiaſtica ſacra eſt inſtitutio de verâ ratione conſeruandæ valetudinis. Nominatim autem Hygiaſtica ſacra eſt inſtitutio partim ethica ſiue moralis, partim theologica, partim denique medica, præcipiens de ratione conſeruandæ valetudinis, quatenus in Scripturis diuinis eius rei veſtigia extant.

II. Inſti-

II. Institutio moralis & theologica præscribit rationem vitæ sobriæ, hoc est, ordinatæ & temperatæ; illiusq; fructus commemorat.

III. Ratio siue modus vitæ sobriæ in eo vertitur, vt debitam in cibo & potu mensuram constanter seruemus, adeoque sanctæ temperantiæ studeamus. De illâ mensurâ vide *Exod.16.v.17. Prouerb.30.vers.8.*

IV. Mensura ista non est eadem respectu omnium, sed diuersissima, pro diuersâ corporis constitutione, robore, ætate: item pro diuerso vitæ genere. Alia enim conuenit ætati florenti, alia senili; alia robusto, alia debili; alia sano, alia ægro; alia corpori bilioso, alia pituitoso. Diuersa enim in his est facultas ventriculi: cui facultati hæc mensura exactè, quantum fieri potest, debet esse æqualis & commensa. Hinc fit, vt quod robusto & iuueni est æquale, id debili & seni in duplum vel triplum sit nimium seu inæquale. Nimirum vt in maiori mundo Deus omnia diuerso numero, pondere, & mensurâ disposuit. *Sap.11.* sic quoque in homine, paruo illo mundo se res habet. Deinde occupationes animi & corporis variæ variam quoque requirunt mensuram. Quia maior, & ferè duplo maior mensura cibi potusque congruit illi, qui corporis exercitiis est deditus, quàm ei, qui totus est in studiis, meditatione, oratione, aliisq; mentis functionibus. Functiones enim animi totâ vim animæ sursum trahunt, atque ita suspendunt vires actionum inferiorum, nominatim concoctionis.

V. Mensura cibi & potus inuestigatur certis regulis, hoc modo.

Reg.1. *Si tantum ordinariè sumas, vt postea parum sis aptus functionibus mentis, putà orationi, meditationi, & studiis literarum, certum est, te mensuram iustam excedere.* Natura enim & ratio postulat, vt pars vegetans ita foueatur, vt facultas anima-

nimalis & rationalis non offendatur: quia illa his seruire debet, & esse adminiculo ad earum functiones, non impedimento. Cùm ergo tantum ingeritur pro parte vegetante, vt functionibus superiorum facultatum, nempe sensuum, imaginatricis, intellectus, memoriæ, notabile detur impedimentum, signum est, congruentem mensuram excedi. Prouenit hoc impedimentum ex vaporum è ventriculo, hepate, liene & venis ascendẽtium copiâ: qui modicè tantùm eò mitterentur, si mensura non excederetur. Experientiâ siquidem constat, cibo potuque nimio assumto non solùm ventriculum, sed etiam hepar, lienem & venas nimium incalescere, & magnam fuliginum vim sursum emittere.

Reg. 2. *Si tantum cibi vel potus assumas, vt postea sentias torporem quendam, grauitatem, & lassitudinem corporis, cùm antea esses agilis & excitatus; signum est, mensuram congruentem excedi: nisi fortè ex morbo, vel morbi reliquiis, id proueniat.* Cibus enim & potus, naturam viresq; corporis recreare debent, & alacriores reddere, non grauare & opprimere. Qui ergò grauamen sentiunt ex cibi potusq; excessu, iis demensum diurnum sensim minuendũ est, donec ad eam mensuram redigatur, ex qua non ampliùs sentiatur incõmodum. Dixi *sensim*; quia si quis ab inordinatâ viuendi ratione immediatè ac subitò trãseat ad exactam regulam, subita ista mutatio offendet naturam. Quare cõsueta quantitas modicis subtractionibus paulatim minuatur, donec ad eam perueniatur mensuram, quæ neruos, spirituum vias, non nimiùm humectet. Ita fiet, vt Spiritus animalis (à quo tanquam vniuersali & proximo animæ instrumento, omnis vigor corporis in sensu & motu) liberè commeare, & corpus regere queat. Quòd si spiritus ille per vaporum copiam ex cibis intercipiatur, nihil mirum est debilitatem & corporis grauitatem, sensuumque torporem sequi. Germani eleganter ex *Iudic.* 19. *v.* 5. dicunt de vsu cibi & potus, **Man muß die Natur ſtärcken**. Et Chri-

ſtus, *Luc.21.v.34.* abuſum cibi & potus in eo ponit, quòd grauent cor.

Reg.3. *Quilibet explorare debet vires & vaſa ſua, vt æqualem menſuram inuenire atque obſeruare poſsit.* Communiter poſt annum ætatis 36. ſatis eſſe videntur 12. vel 16. vnciæ cibi per diem; & totidem vel paulò plures vnciæ potus. Hoc intellige de iis, qui toti ſtudiis ſunt addicti, ſiue ſint debiles, & ad ſenium vergant, ſiue robuſti & in ætatis flore conſtituti. Patres ſanè, qui in eremo vixerant ſolo pane & aquâ, vt eſt apud *Caſsianum collat.2. abbatis Moſis cap.19.* hanc menſuram obſeruarunt: vtpote qui duobus *paximaciis*, id eſt, duobus paruulis panibus, vix vnius libræ, id eſt 12. vnciarum, pondus habentibus, fuerunt in ſingulos dies contenti. Quòd ſi Patres illi per longam experientiam ſatis eſſe iudicarunt duo *paximacia*, ſiue duodecim vncias (ſingula enim paximacia fuerunt ſolùm ſex vnciarum, & duo ſimul iuncta penderunt libram 12. vnciarum, qualis fuit apud veteres in vſu) & quidem panis ſicci abſque vllo obſonio: quantò magis ſatis eſſe poterunt 6.7.vel 8. vnciæ panis cum 6.7. vel 8. vnciis obſoniorum, quæ duplo plus alunt, quàm ſiccus panis. Huc accedit loco aquæ, quâ illi vtebantur, quæque per ſe non alit, cereuiſia vel vinum, quæ multum alimenti præbent. Denique experientia conſtat, multos eſſe, quibus longè minus cibi & potus ſatis ſit. Apoſtolus 1. *Tim.5. v.23.* monet Timotheum, vt pauculo vino vtatur propter crebras infirmitates. Si quis ſit valentulus, poteſt plus vini bibere, quàm valetudinarius. Vterque tamen poteſt etiam bibere ad hilaritatem. *Pſal.104.15.*

Reg. 4. *Conſultum eſt, abrumpere prandium vel cœnam, quando cibus & potus incipiunt optimè ſapere.* Certiſſimum enim hoc eſt indicium, naturam ventriculi habere obiectum conuenientis quantitatis, in quod agat. Huc refer illud Hippocratis in aphoriſmis: *Valetudinem excolunt, citra ſatietatem veſci cibis, & impigrum eſſe ad laborem.*

Reg.5.

Reg.5. *Quod ad qualitatem attinet, omnes penè cibi, communiter vsitati, naturæ benè constitutæ conueniunt, si debita in illis quantitas, siue mensura, seruetur.* Ab iis tamen, quæ nocent, cauendum: qualia ferè sunt pinguia, quæ & stomachum relaxant, eiusq; vires in astrictione sitas dissoluunt, concoctionem reliquorum ciborum impediunt, eosq; semicrudos stomacho excidere faciunt, & fumos in caput copiosè emittunt. Literati ergò parcè iis vtentur, & sufficienti panis quantitate noxam illorũ impedire studebunt. Talia item sunt omnia, quæ experientiâ teste, vel capiti suffusiones, nebulas, vertigines, destillationes aut tusses adferunt; vel ventriculo cruditates, inflationes, tormina, morsus, lancinationes faciunt; vel aliâ ratione statũ corporis, aut animi functiones lædunt. Cùm dicitur ab his cauendum, non sic intelligas, quasi ne parcè quidem vti liceat, sed ne assumantur notabili copiâ. Exiguâ enim quantitate, vel rariùs assumta, nocere non possunt, præsertim si grata appetitui. Imò sæpe quæ magnâ quantitate obsunt, modicâ, naturæ prosunt. Hâc cautione obseruatâ, cepæ, brassica, caseus, pisa, & fabæ vtiliter adhibentur. Cæterùm inter omnia ciborum genera, senibus & debilibus nihil est conuenientius *panatellâ*, hoc est, pulticulâ ex pane & aquâ aut carnium iusculo simul coctis, cõstante. Hâc ferè solâ cũ vno vel altero ouo saluberrimè quis & diutissimè viuere potest. Ratio, cur hæc sit maximè cõueniens, est, tum quia concoctu facillima, cùm iam sit instar illius chyli, quem stomachus ex cibis concoctione efficit: tum quia qualitatibus est temperatissima: tum quia putredini & corruptioni minimè obnoxia, vt multi alij cibi, qui in stomacho putrescunt. Præterea copiosus & probus sanguis ex eâ conficitur. Denique facilè aliquid additur, quo vel calidior euadat, vel magis alimentosa. Pertinet huc illud Sapientis, *Initium vitæ hominis aqua & panis. Ecclesiast. 29. v. 28.* Quibus verbis significat, vitam hominis his duobus potissimùm fulciri & constare, eaq; vitæ conseruandæ esse maximè conuenientia: ne frustrà

pretioſæ carnes, aliaque gulæ irritamenta quærantur.

Reg.6. *Quibus bona valetudo curæ eſt, iis maximè cauenda ciborum varietas, & exquiſita condiendi ratio.* Nam præterquam, quòd illa varietas ſemper nouo modo gulam prouocat, & appetitum excitat, vt nunquam videatur ſatis ſumſiſſe, quo fit vt iuſta menſura enormiter excedatur: hoc etiam habet incõmodi, quòd diuerſorum ciborum diuerſa natura miras in ventriculo cruditates cauſatur. Merito itaque laudatur Socrates, qui ſimpliciſſimam & tenuiſſimam diætam amauit: & Zoroaſter, qui 20. annos in deſerto vixit ſolo caſei eſu. De Patriarchis quoque, & aliis ſanctis viris, teſtantur ſacræ literæ, illos amaſſe victum ſimplicem panis & aquæ. Vide Concordantias Biblicas in voce *Panis*.

Reg.7. *Imaginatio eſt corrigenda iis, qui iuſtam ſeruare volunt menſuram in cibo & potu.* Niſi enim hoc fiat, imaginatio cibi & potus delectabilis ſtimulabit appetitum, qui vulgato prouerbio rectè dicitur nequam. Quomodo verò, inquiat aliquis, corrigitur imaginatio? Reſp. Si nos ſubducamus ab epularum conſpectu, & animo voluamus damna, quæ ex delicatis cibis immoderatè aſſumtis prouenire ſolent.

Reg.8. *Hyeme vtendum eſt ſiccis & calidis ob copiam pituitæ, quæ tunc redundat, & non diſſipatur: æſtate potiùs humidis & refrigerantibus; quia per calorem aëris ambientis magna fit humorum diſcuſſio, & corpus areſcit.* Hoc autem ita conſequemur abſque difficultate. Si opus ſit diætâ ſicciore, vt hyeme, & quando diuturnæ ſunt pluuiæ, facile eſt augere quantitatem panis, & minuere quantitatem potus ac obſoniorum humidorum. Copia enim potus & humidorũ, quæ tempore ſicco iuuat, eadẽ ſi humido & ſubfrigido aëre peraliquot dies ſumatur, nocet, deſtillationes, raucedines, ac tuſſes procreans. Quando verò opus eſt diætâ humidiore, augeri poteſt mẽſura potus, additâ vino maiore quantitate aquæ; vel loco vini poteſt aſſumi tenuis cereuiſia.

Reg.9. *Prandium ſit largius cœnâ, vel contrà cœna largior prandio,*

prandio, prout cuilibet est commodius. Itaque in prandio poterunt sumi 8. vel 10. vnciæ, vesperi 4. vel 6. aut contrà. Verùm in istis diuturna consuetudo magnam vim habet: similiter corporis dispositio. Nam si ventriculus pituitâ frigidâ & lentâ abundet, magis conducit, vt aliquis semel tantùm de die comedat: quia multum temporis requiritur, vt illa concoquatur vel extenuetur. Si tamen refectio in vesperam differatur, proderit meridie modicum quid sumere, præsertim quod iuuet ad nimiam ventriculi humiditatem exsiccandam. Vel si meridie prandeatur, tale quid expediet sumere vesperi. verbi gratia, passulas cum pane, vel similia. Maximè enim iis, qui ita affecti, curandum, vt humiditas ista stomachi, quantũ fieri potest, corrigatur. quia inde stomachus flatibus, & caput nebulis lentoque phlegmate oppletur. *Sapientia*, inquit ille, *in sicco residet, non in paludibus & lacunis.* Et Heraclitus, *Anima sicca, anima sapientissima.*

Reg. 10. *Si fortè semel aut iterum excedatur ordinaria cibi & potus mensura, statim ad solitam sobrietatem redire oportet.* Cùm enim stomachus ordinariâ diætâ contrahatur, necesse est illum valdè lædi, si supra consuetum distendatur sæpiùs. Vnus aut alter excessus parum nocet, modò statim ad solitam sobrietatem redeatur.

xi. *Non alienum fuerit ab instituto moderatæ diætæ, si voto sancto nos obstringamus ad certam cibi potusq; quantitatem. Illud verò est planè necessarium, vt viribus nostris diffidamus, Deumq; quotidie rogemus, vt nos regat sancto suo Spiritu, qui nos doceat sobrietatem.* Ecclesiast. 23. v. 6.

Reg. 11. *Qui exactam diætæ rationem seruare non possunt, iis expedit quotannis bis saltem, nempe in vere & autumno, corpus benepurgare, & humoribus noxiis liberare.* Loquor de literarum cultoribus, qui corpus ordinariè non exercent. Porrò ea purgatio fieri debet præuiâ humorum præparatione: neque debet esse valida, & confertim operari, sed sensim per duos vel tres dies assumto medicamento. Sic enim & facilè toleratur, & ampliùs prodest. Nam primo die pur-

gatur prima regio; hoc est, intestina: secundo hepar: tertio, venæ, in quibus maxima prauorum humorum colluuies. Qui enim non sobriè viuunt, singulis diebus aliquid crudi humoris addunt, quod ad venas attractum, per totum corpus veluti per spongiam distribuitur. Itaque intra vnum vel alterum annum tanta sæpe est quantitas praui humoris in corpore, quantum vos ducẽtarum vnciarum, seu quatuor poculorum, vix capiat. Hi humores tandem temporis tractu putrescunt, & lethales morbos inferunt.

VI. Fructus vitæ sobriæ sunt varij, è quibus alij corpus, alij animam spectant. Et *corpori* quidem vita sobria præstat quinque commoda. 1. *Hominem ab omnibus pene morbis liberat ac defendit.* Ab illis dico morbis, qui ex cruditate & internâ humorũ corruptione nascuntur. 2. *Munit nos aduersus externas causas*; cuius modi sunt æstus, frigus, labor, & similia. Nam qui corpus purum, & humores temperatos habent, non ita facilè læduntur ab æstu, frigore, labore, & similibus incommodis, sicut ij, qui prauis humoribus abundant: &, si lædantur, faciliùs & citiùs curantur. Ita Socrates suâ frugalitate effecit, vt quamuis Athenas sæpe pestis vastaret, ipse tamẽ nunquam ægrotarit. 3. *Mitigat morbos incurabiles*, vt facilè tolerentur, nec magnoperè functiones animi impediant. 4. *Præstat longæuitatem, & mortem placidam.* Nam qui sobriè viuunt, harmoniam humorum egregiè tuentur, & cùm ex hâc vitâ decedendum, nullos ferè vel exiguos dolores sentiunt: quia moriũtur per meram resolutionem. Cùm enim per diætam noxios humores euitent, nihil in se habent, quod temperamẽtum violentè possit destruere, aut calorem naturalem opprimere: ac proinde necesse est, vt viuant, donec humidum primigenium vnà cum calore insito sitita consumtum, vt nõ sufficiat ad animam in corpore vlteriùs retinendam. 5. *Corpus reddit leue, agile, vegetum, & ad omnes suos motus expeditum.* Grauamen enim, naturæ oppressio, & tarditas prouenit ex humorum redundan-

dundantiâ, qui vias ſpirituum obſtruunt, & iuncturas obſident, nimiumque humectant. Itaque ſublatâ humorum copiâ per diætam, tollitur cauſa illius grauaminis & tarditatis, & laxantur viæ ſpirituum. Deinde per eandem diætam fit, vt concoctio ſit bona, & probus conficiatur ſanguis, ex quo deinde puri & copioſi ſuppeditantur ſpiritus, à quibus omnis vigor & agilitas. His accedit, quòd viuus color faciei comitatur vitam ſobriam. *Dan. 1. verſ. 15.* Atque hæc quinque commoda ſobrietas adfert corpori. *Animo* ſimiliter præſtat quinque. 1. *Senſibus externis præſtat vigorem.* Functiones enim ſenſuum impediuntur ſuperuacaneis humoribus, quos vita ſobria tollit. 2. *Mitigat affectus ſeu paſſiones:* præſertim iræ & melancholiæ: item *appetitum inordinatum cibi, potus & Veneris.* Subtrahit enim & corrigit humores, qui illorum cauſa. 3. *Conſeruat memoriam.* Hæc enim maximè lædi ſolet ab humore frigido cerebrum occupante, & vias ſpirituum anguſtiores obſtruendo, & ſpiritus ipſos refrigerando & torpidos reddendo: quo fit vt apprehenſiones ſint lentæ, languidæ, & fluxæ, & ſæpe in mediâ narratione hominem ita deficiant, vt neſciat quid dixerit, aut quâ de re locutus fuerit, rogetque ſocios, Quid tractabamus? Totum hoc malum mirificè arcetur, vel curatur diætâ ſobriâ &, quantum fieri poteſt, ſiccâ. Hâc enim fit, vt ſuperflua humiditas vel non gignatur, vel genita conſumatur. Inprimis abſtinẽdum eſt à potu calido & fumoſo, niſi fortè exigua ſit quantitas. Etſi enim vinum ſit calidum, tamen crebrò & magnâ copiâ hauſtum, frigidos morbos parit. Nimirum implet caput vaporibus, qui ibidem refrigerati, in frigidam pituitam, quæ eſt ilias morborum, denſatur. 4. *Tuetur vigorem ingenij in excogitando, ratiocinando, inueniendo, iudicando; & aptitudinem confert ad diuinas illuſtrationes ſuſcipiendas.* Sobria enim diæta tollit nimiam cerebri humiditatem, vaporum & fuliginum abundantiam, meatuũ cerebri obſtructionem, nimiam ſanguinis copiam, ſpirituum feruorem à ſanguine vel bile prouenientem, vapores bilioſos & me-

lancholicos,& similia speculationis impedimenta. 5. *Libidinis impetum extinguit, & tentationes atq; stimulos carnis mirificè sedat, magnamq; carni ac spiritui tranquillitatem conciliat.* Sobrietas enim sentim minuit copiam spermatis,copiam item & feruorem spirituum: quibus imminutis sponte cessant libidinosæ imaginationes. Atque hæc sunt eximia illa commoda sanctæ sobrietatis, cuius studiosi cultores illa abundè sunt experti, putà *Elias, Elisæus, Daniel, Democritus, Hippocrates, Iohannes Baptista, Bartholus, Cornarus,* & alij, de quibus vide *Hygiasticon Leonhardi Lessij,* scriptum diuinum, ex quo hanc commentationem desumsimus. Tu, homo Dei, ad animum reuoca hanc siue commentationem siue commendationem sanctæ sobrietatis,& singulis momentis meditare illud Christi *Luc.21.v.34. Attendite vobis ipsis,ne fortè grauentur corda vestra crapulâ & ebrietate, & curu huius vitæ,& repente in vos superueniat dies ille.* Item illud Petri 1.epist.c.5.v.8. *Sobrij estote,vigilate: aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret; cui resistite,fortes in fide.*

VII. Institutio medica præscribit rationem diætæ & varia medicamenta, quibus sanitas defenditur,& recuperatur. Huius loci sunt præcepta de aëre ambiente, de esculentis & potulentis, de retentione & euacuatione, de variis exercitiis corporis, de somno atque vigiliâ, de animi perturbationibus, de refectione & confortatione cerebri,cordis,&c. quæ peti possunt è libellis medicis. Sed iis nihil opus est, si nostra monita serues. Summa enim huc redit:

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant
Hæc tria: Mens hilaris,Requies,Moderata diæta.

VIII. Ad hygiasticam sacram pertinet illa quæstio, Cur Deus *Leuit.* 11. *& Deut.* 14. prohibuerit certos cibos,alios verò concesserit. Varij varia hic adferunt. Et *primò* quidem *Porphyrius*, apostata, dixit excessum aut defectum caloris aut humoris radicalis

dicalis esse in causâ, q̃ Deus prohibuerit certos cibos, *Deinde* Doctores ecclesiastici & Scholastici hęc summatim attulerunt. Carnes animalium habentiũ vngulam, non tamen diuisam, sunt sicci humoris, ac proinde non aptæ ad esum. Rursus carnes animalium habentium vngulam diuisam, sed non ruminantium, solent rapto viuere, ac proinde sunt animalia carniuora, & idcircò immunda: item, cùm non ruminent, solent cibos integros, non concisos deuorare. Cibi itidem ex animantibus, quæ vel reptando, vel serpẽdo gradiuntur, corporibus sunt noxij, quòd non sint bonæ complexionis. Eâdem ratione mures, & alia id genus animalia, reijciuntur. Nam hos omnes cibos natura ipsa hominum refugit & detestatur. Præterea aliorum animalium carnes vetantur, quia immundis cibis nutriri solent, tametsi huiusmodi carnes suâ naturâ non sunt humano corpori noxiæ. Et propterea jubet Deus Iudæos à carne suillâ abstinere, quia porcus volutatur in cœno & luto, & comedit, quidquid in locis immundis inuenit. Ex piscibus verò cõcessit eos, qui pinnulas habẽt & squamas: eos verò prohibuit, qui squamas aut pinnas non habent: quia prioris generis pisces sunt temperamenti minùs phlegmatici. *Tertiò* sunt, qui Deum nihil horum spectasse scribunt; quòd non sit probabile, Deum his modis medicam rem in rebus sacris curauisse. Aiunt itaque, in hâc lege de ciborum delectu illud voluisse Deum, vt animalia, quæ gentibus habebantur pro dijs, passim comederentur, sues verò, lepores, cuniculi, & similia immunda censerentur, quia hisce vescebantur Ægyptij, cùm cæteris tamquam diis suis parcerent. *Ad extremum* existimant nonnulli, Deum respexisse patriarcharum consuetudinem, ita vt lege constituerit atque præscripserit illud, quod majores Israëlitarum in delectu ciborum, more & vsu obseruarunt. Quid mihi videatur in hâc materiâ, paulò fusiùs dicam. Et primò quidem munditia & immunditia est spiritualis, vel corporalis. *Spiritualis munditia & immunditia* inter has creaturas inferiores est

hominis ꝓpria. *Munditia & immũditia corporalis*, siue carnalis & materialis, aut est ex naturâ, aut ex instituto: siue, est φύσεως, vel θέσεως. Ad *naturam* quod attinet, ex *naturâ creationis*, omnia sunt munda *Gen.* 1. *v. vlt*: sed ex *naturâ corruptâ*, quatenus illa vitio hominis est vanitati mancipata *Rom.* 8. ea, quæ secundum naturam communem, in creatione institutam, sunt bona & munda, contigit esse mala, id est, noxia, & immunda. Hinc fit, vt sus & bufo ex naturâ communi munda, ex naturâ singulari sint immunda, tum subiectiuè, tum effectiuè, vt loquuntur. Alioqui certa est apostoli sententia 1. *Tim.* 4. omnia piis sanctificata esse, & *Tit.* 1. omnia munda mundis, quemadmodum Deus Petro ostendit *Act.* 10. Quantum attinet ad *institutum*, fit vt ea ipsa, quæ munda sunt, tamen immunda censeri soleant: vel, quæ naturâ sunt immunda, etiam instituto habentur pro immundis. Instituti autem causæ sunt in hoc genere aut naturales, aut morales, aut figurales. *Naturales* sunt, quæ à naturâ fundamentum habent: vt ad cibũ quædam ex naturâ adhibentur, & quædam natura fastidit atque horret, vt quilibet in seipso deprehendit. *Morales* sunt, quæ coniunctam honestatis & æquitatis rationem habent: vt cùm Deus iubet Israëlitas peregrinantes condere sua excrementa. *Deut.* 23. *Figurales*, siue ceremoniales, sunt, quæ ad certam aliquam significationem pertinent, quas nec rei natura, nec morum nostrorum ratio simpliciter postulat, sed peculiaris aliqua præcipientis & instituentis intentio circumscribit: vt sunt ceremoniæ Mosaicæ. Hæc iam accommodemus ad nostrum propositum. Triplex immunditia in hoc loco cernitur: in tactu, in cibo, in sacrificio. Quidquid immundum fuit tactu, idem cibo & sacrificio immundum censebatur: in cibo quod immundum fuit, fuit & sacrificio: ad sacrificium maxima munditia desiderabatur. Has autem munditias & immunditias, vt & priores tres, homines inde à lapsu obseruarunt aliquo modo: naturales & morales, naturæ instinctu quodam, sacras, & ad sacrificia pertinentes, singulari reuelatione *Gen.* 6. Etsi autem de munditiâ & im-

munditiâ naturali aut morali propriè, per ſe, & principaliter Deus non agit in verbo ſuo, ſed de figurali ſeu ceremoniali: tamen quin diſtinctio illa ex cauſis naturalibus & moralibus aliquo modo illuſtrari poſſit non eſt dubiũ. Sic e. g. Deus lege cauit, ne ederent ſanguinem animalium. *Gen.9. Leuit.17. Deut.12.* Rationem legis addit: *Quoniam anima omnis in ſanguine eſt*, quaſi dicat, quia vita, ſiue ſpiritus vitalis, animantium eſt in ſanguine, hoc eſt, nutritur & ſuſtentatur à ſanguine. Nam ſanguis eſt corporis & vitæ alimentum in animantibus: Perinde eſt ac ſi diceret, Sicut lychni ignis eſt in oleo, id eſt, ſuſtentatur & nutritur ex oleo, ſic ſpiritus vitalis, ſiue vita animantis, in ſanguine conſiſtit. Quare qui edit ſanguinem animalis, deuorat vitam eius. Prohibuit ergo Deus eſum ſanguinis, vt ab omni ſpecie crudelitatis, cædibus & iniuriis abſtinerent. Sed & aliam rationem ſubiungit Deus: *Et ego dedi illum vobis, vt ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris*: ac ſi dicat, Præcipio, ne comedatis ſanguinem animalis, quia volui, vt peccata veſtra ſanguine animalium expietis, & vitam veſtram eo ſanguine redimatis, eoque veluti manu ducamini ad ſanguinem mediatoris. Quare ſanguis animalium non niſi ad altare meum, & per ſacerdotem, tanquam victima pro peccato, fundendus eſt. Prohibebantur itaque Iudæi ſanguinem edere, hanc quoque ob cauſam, quia enim Deus ad ſacrificia ſibi reſeruauerat: & ne occaſione vllâ inducerentur ad edendum ſanguinem animalium immolatorum, generatim præcepit, ne vllum ſanguinem animalium comederent. Ita ſc. præcidere voluit omnem peccandi, & perfringẽdi leges occaſionem. Similiter etiam interdixit vſum adipis *Leuit.3.* quia illum ſibi ad ſacrificia reſeruauerat, tanq̃ rem p̃ſtantiorem: item, quia voluit hâc ratione nos docere, nõ curandã nobis eſſe cuticulã. Ex his patet, ceremonias diuinitus p̃ſcriptas nõ excludere cauſam naturalem & moralem. Sic in cibis ceremonialiter immundis Deus hoc principaliter ſpectauit, vt eccleſia hoc modo diſtingueretur à

tur à cœtibus gentilium. Quemadmodum enim Æthiopes & Ægyptij obſeruationibus ſuis à Chaldæis, Iudæis & Græcis olim diſcreti erant: ſic Deus ab omnibus aliis gentibus eccleſiam ſuam diſcerni voluit ſingulari obſeruatione. Et hæc quidem eſt communis ratio, ob quam Deus populo ſuo præſcripſit diſtinctionem illam ciborum mundorum & immundorum. Ad cõmunem iſtam cauſam, & figuralem accedit ſingularis, eaque tum naturalis, tum moralis. *Moralis:* quia v.g. ſciſſura vngulæ ſignificat diſcretionem in rebus ſactis, ruminatio meditationem ſacram &c. vt antiqui Patres obſeruarunt. *Naturalis:* quia partim natura faſtidit quoſdam cibos, partim ratio & experientia confirmant, quorundam animalium carnes eſſe inſalubres. Ad has omnes cauſas accedit vltimo loco *ſingularis & propria illius temporis.* Nam quemadmodum Deus populo ſuo imperauit ſacrificia, quæ apud Ægyptios abominationi erant. e.g. boum, ouium, caprarum, turturũ &c. quæ apud Ægyptios pro diis habebantur: ſic etiam in ratione victus & conuerſationis, cùm ea nominatim prohibuit, quæ apud Ægyptios finitimasque gentes licebant, tum verò cibum & tactum aut imperauit aut permiſit eorum, quę apud illas gentes religio fuit tangere aut veſci: ac proinde ſingularis hæc fuit in contrariũ planè profeſſio, & finitimæ ſuperſtitionis deteſtatio. Sic e.g. Ægyptij veſcebantur carne ſuillâ, & quidem ferè ſolâ. At hanc Deus prohibet. Vide *Theodoretum ſerm. 7. de Græcorum affectionum curatione.* Ex his patet, inter alia quoque cauſam prohibitionis certorum ciborum fuiſſe noxam, quam adferunt humano corpori. Ad hygiaſticam itaq; & hoc pertinet, non indifferenter veſci cibis.

XLIX.

HISTORICA SACRA.

I. HIſtorica eſt doctrina de ratione ſcribendi & legendi hiſtoriam.

II. Hiſto-

II. Hiſtoria eſt rerum geſtarum narratio. Hæc tàm latè patet, quàm latè patent omnes artes & facultates. Sunt enim hiſtoriæ ſacræ ſiue theologicæ, ſunt iuridicæ, ſunt medicæ, ſunt philoſophicæ, & hæ rurſus phyſicæ ſiue naturales, politicæ ſiue ciuiles &c. Supellex itaque hiſtorica non eſt vnius artis aut facultatis propria, ſed cunctis diſciplinis eſt apparata. Hoc vel inde videre eſt, quòd dantur hiſtoriæ ſacræ & profanæ, vniuerſalis & particulares, politicæ & eccleſiaſticæ; item hiſtoriæ regnorum, familiarum, perſonarum, rerum, actionum, dictorum &c. quæ omnia per varias facultates & artes ſunt ſparſa.

III. Hiſtoria conſideratur in genere, vel in ſpecie.

IV. In hiſtoria in genere ſpectantur duo: quomodo ſit texenda & retexenda, ſeu ſcribenda & legenda.

V. Leges ſcribendæ hiſtoriæ ſic habent. 1. *In rebus ſit varietas & veritas.* Varietas, non infinita illa & vaga, ſed aſtricta. Veritas, quâ omnia commemorentur ſincerè. 2. *In ſtilo ſit ſimplicitas*: ne oratoria lumina officiant & obſtruant lumini hiſtorico. 3. *Hiſtoria, ſiue hiſtorico, duo fines debent eſſe propoſiti:* vnus eſt ratione rerum præteritarum, vt illæ ab interitu vindicentur, & tranſmittantur ad poſteros: alter eſt ratione lectorum, vt illi ædificentur. Vtrumque finem eleganter expreſſit *Cicero 2. de orat.* his verbis: *Hiſtoria eſt teſtis temporum, nuntia vetuſtatis, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ.* 4. *Hiſtoriæ ſcribantur vel expublicis archiuis & inſtrumentis, vel ex propriâ experientiâ.* Loquor hîc de ordinario ſcribendi munere. Nam Moſes, diuinus ille hiſtoricus, ſcripſit extra ordinem, dictante Deo. 5. *In hiſtoria accuratè obſeruentur iſta tria: topographia, chronologia, & proſopographia,* id eſt, annotatio recta loci, temporis, & perſonæ.

VI. Leges in lectione hiſtoriæ obſeruentur iſtæ.

istæ. 1. *Historici authentici præferantur non-authenticis.* 2. *Historiæ legantur, si fieri possit, in linguâ originali.* 3. *Si videantur historiæ discrepare, tentetur conciliatio.* Quòd si illa non possit locum habere, cogitetur regula: In rebus obscuris oportet sequi id, quod est minimum. 4. *Historiæ legantur sine præiudicio.* 5. In *lectione historiæ attendantur circumstantiæ locorum, temporum, personarum* &c. Hoc nisi fiat, sæpenumero accidet, vt historias damnemus falsitatis, quòd non quadrent ad nostram patriam & experientiam. 6. *Analysis historica prudenter & accuratè instituatur.* Pendet autem illa à methodo historicâ & circumstantiis. 7. *In lectione historiarum oportet conficere animaduersiones historicas*, hoc est, axiomata & aphorismos certos, quibus possimus vti in praxi vitæ quotidianæ.

VII. Historia in specie est diuina, vel humana. Illa habet Deum authorem, immediatè vel mediatè: hæc proficiscitur ab homine.

VIII. Historia diuina siue sacra est αὐτόπιστος, id est, per se meretur fidem. Hæc itaque anteferatur omnibus aliis historiis, neque ad illas exigatur. Institui quidem potest, & verò etiam debet, collatio: verùm ita, vt consensus nos confirmet, dissensio autem non perturbet.

IX. Historia diuina V. T. petatur ex libris canonicis. Quod attinet ad libros apocryphos, historia in ipsis prodita non est diuinæ, sed ecclesiasticæ authoritatis.

X. Historia diuina N. T. petatur ex libris euangelistarum & apostolorum. Quod attinet ad Canones apostolorum, Pastorem Hermetis, Narrationem Prochori & Lini, Opera Clementis Romani, & similia scripta, non existimandum est omnia illa esse γνήσια: & si quæ sint γνήσια, non debent æquiparari diuinis. De euangelio Nicodemi, Bartholomæi, & similibus apocry-

pocryphis iam olim reiectis nihil attinet dicere.

XI. Historia humana in solidum fidem meretur, si historiographus per omnes partes impleſſe ſuum munus deprehendatur. Officium iſtud in tribus eſt poſitum, diligentiâ, iudicio, & fide *Diligentia* poni debet in colligendâ ſcribendorum materie, vt proferantur illa, quæ digna ſunt luce. *Iudicio* opus eſt, vt videat hiſtoricus quibus credat. *Fides* denique in eo ſpectatur, vt in narratione hiſtoriæ nuda veritas exponatur, ſiue illa, quæ geſta ſunt, probentur ſcribenti, ſiue improbentur. Sed accingamur ad ſcriptionem ſyſtematis hiſtoriæ ſacræ, idque in epitome hiſtorico-chronologicâ, item in proſopographiâ & topographiâ ſacrâ. Priùs tamen indicemus modum Chronologiæ ſacræ.

L.

CHRONOLOGIA SACRA.

I. CHronologia ſacra eſt temporis notatio hiſtorica ex S. literis petita. Proinde, vt hiſtoria, ſic etiam chronologia, ad varias artes & facultates pertinet. Cæterùm chronologia ſolet appellari alter hiſtoriæ oculus.

II. Eius partes duæ ſunt: prima de affectione temporis hiſtorici, altera de ipſius partitione. Cum partitione cohæret explicatio.

III. Tempus hiſtoricum in ſacris habet affectionem analogam & anomalam.

IV. Affectio analoga temporis ſacri eſt partim ordo & duplicatio, partim rotundatio & variatio. *Ordo temporis chronologici* in Scripturâ ſacrâ eſt triplex, naturæ, dignitatis, & prudentiæ: ſiue, vt alii loquuntur, eſt ordo naturalis, perſonalis, & hiſtoricus. *Ordo naturæ*, ſeu *generationis*, eſt, cùm id, quod naturâ & exiſtentiâ

ſtentiâ eſt prius, priori loco explicatur. Talis ordo eſt *Gen.*1.& 1.*Chron.*3.*v.*1.2.3.& alibi paſſim in hiſtoriâ V.& N.T.*Ordo dignitatis* eſt, cùm id quod dignius eſt, priorem locum obtinet, licet fuerit poſterius naturâ. Sic *Gen.*48. *v.* 20. Ephraim præponitur Manaſſe. Iunius, & alii putant talem quoque ordinem eſſe *Gen.*5.*v.*24. ubi tres filii Noë commemorantur: quaſi Sem non fuerit primogenitus, ſed dignitatis causâ ponatur primo loco. Sed infra patebit, ordinem illum eſſe naturæ. *Ordo prudentiæ* eſt, cùm illius rei nomen poſtremo loco ponitur, à quo hiſtoria proximè inceptura eſt: vt *Gen.*28.*v.*5. Eſau fratri ſuo Iacobo poſtponitur: quia verſu 6. hiſtoria Eſaui ſequitur, ad quam tranſitus ita paratur. Ita 1. *Chron.*1.*v.* 27. Iſmael primogenitus poſtponitur Iſaaco, quia *verſ.* 28. ſequitur genealogia Iſmaëlis. Sic *Matth.*1.*v.* 1. Abraham poſtponitur Dauidi, quia *v.* 2. traditur genealogia ex Abrahami lineâ. *Duplicatio temporis* eſt, cùm Scriptura partem temporis præteriti extremam miſcet cum primâ futuri. Sic Chriſtus dicitur poſt tres dies, item tertio die reſurrexiſſe, paſſim in N.T. At non fuit in ſepulchro niſi horis 36. vel circiter. Si duplices partem iſtam temporis mediam, conſtabit ſibi aſſertio euangeliſtarum. Huiuſmodi duplicatio in annis regum Iudæ & Iſraëlis ſæpe eſt adhibita. *Rotundatio temporis* eſt, quâ numero vel tempori aliquid additur vel detrahitur, vt fiat numerus exactus, hoc eſt, deſinens in ciphram ſiue denarium. Sic *Num.* 14. *v.* 34. dicitur: *Feretis pœnam iniquitatum veſtrarum* 40. *annos.* Hæc verba Iſraëlitis dicta ſunt anno ſecundo poſt exitũ. Proinde pœnam tulerunt annos 38. ab illo oraculo. Vtitur ergo Spiritus ſanctus numero rotundato. *Variatio temporis* eſt duplex. *Primò*, tempus in ſupputationibus ſumitur pro tempore vel completo, vel non completo, ſed adhuc currente. Pro completo, vt 1.*Reg.*15.*v.*9. *Anno itaq; vigeſimo Ieroboami regis Iſraëlis regnauit Aſa ſuper Iudam*: anno ſcilicet 20. completo. Nam in eodem cap. *v.* 25. Nadab dicitur ſucceſſiſſe Ieroboamo, anno ſecundo Aſæ. Pro non-completo: vt eodem

cap.*v.*1.

cap. v. 1. dicitur, *Decimooctauo anno Ieroboam regnauit Abia ſuper Ieruſalem:* ſcil. 18. anno Ieroboami currente vel incipiente cœpit regnare Abia. Nam filius eius Aſa cœpit anno 20. Ieroboami, vt paulò ante eſt dictum. *Deinde* initiũ & finis temporis interdum incluſiuè, interdum excluſiuè ponitur in ſupputationibus: vt ſi conferas *Matth. 17. v. 1. cum Luc. 8. v. 28.* deprehendes, Matthæum loqui excluſiuè, ita vt numeret ſex dies intermedios, Lucam incluſiuè, ita vt numeret octo dies, quibus primum illum, quo locutus erat Chriſtus, & vltimum, quo transfiguratus eſt, comprehendit

V. Affectio anomala, ſiue cryptica, temporis ſacri, eſt partim prolepſis, partim anacephalæoſis. *Prolepſis*, ſeu anticipatio, *hiſtorica*, eſt narratio poſterioris priori loco. Dici poteſt ὕστερον πρότερον, *poſteroprius*. Prolepſis iſta eſt nominum, vel rerum geſtarum. *Prolepſis nominum* eſt, cùm nomina longè pòſt rebus impoſita, vſurpantur in prioribus hiſtoriis. Talis anticipatio eſt *Gen. 14. v. 7.* vbi fit mentio agri Amalekitarum: cùm Amalek tum temporis nondum fuerit natus, vt conſtat ex *Geneſ. 36. v. 12.* Sic *Gen. 21. verſ. 14.* Hagar dicitur vagata per deſertum Beerſeba, id eſt, putei iuramenti: quod nomen poſtea impoſitum eſt illi loco. Pertinet huc regula vſitata: *Hiſtorici ſacri ſæpe narrant vetera nominibus ſui temporis. Prolepſis rerum geſtarum eſt*, cùm res poſteriùs geſtæ admiſcentur prioribus hiſtoriis. Hanc rem confirmant doctores Hebræorum vulgari dicto in commentariis, dicentes, *nõ eſſe prius aut poſterius in Scripturâ*, id eſt, nõ ſemper rationem temporis accuratè in hiſtoriis ſacris obſeruari. Mutatur autem ratio temporis ad commoditatem hiſtoriæ; ſiue memoriam legentium iuuari oporteat, ſiue ordinem argumẽtorum obſeruari, ſiue cauſas, quamuis antecedentes, poſt factorum hiſtoriam explicari. Exemplum huius prolepſeos eſt *Iohan. 11. verſ. 2. Maria autem ea erat, qua vnxit Dominũ.* At ſequenti demum capite recenſetur iſta vnctio.

Est itaque postero-prius. *Anacephalæosis*, seu recapitulatio, historica, est duplex. *Primò* scriptores sacri loquuntur de rebus priscis secundùm sua tempora: vt, Petrus 1. *epist. c.* 3. *v.* 19. ait, Christum prædicasse spiritibus in carcere, h.e. illis hominibus, qui tempore Petri erant in carcere infernali. *Deinde* quædam perinde narrantur, quasi sequerentur in ordine temporis, quæ tamen ad priora pertinent. Hęc figura dici potest πρεσπρονῦστερον, seu πρωθύστερον, prioposterius. Sic *Gen.* 2. narratur creatio fœminæ, quasi facta sit post hexaëmeron. Sic historia Michæ & bellum Beniaminiticum, quæ contigerunt sub Pontificatu Pinehæ, attexuntur historiæ Simsonis & Eli, *Iud.* 18. 19. & 20.

VI. Partitio temporis sacri est apud varios varia. Nos constituimus decem interualla temporis in Scripturis definiti inde à creatione mundi vsque ad terminum à Daniele & Iohanne in Apocalypsi prædictum. Hæc interualla volumus esse studioso sacrarum literarum veluti prædicamenta historico-chronologica, hoc modo.

Primum interuallum est à creatione mundi vsq; ad diluuium, annorum 1656. *Gen.* 7. *v.* 6. *Noah autem natus erat sexcentos annos, cùm diluuium accidit, aquis exundantibus super terram.* Et ibid. vers. 11. *Anno sexcentesimo vitæ Noachi &c. diffiderunt se omnes fontes abyssi magnæ.* Iste annus Noachi fuit à conditu orbis 1656. vt patet è *Genes.* 5.

Secundum interuallum est à diluuio vsque ad promissionem Abrahamo factam, annorum 367. Nam promissio ista incidit anno M. 2023. *Gen.* 12. *v.* 1. *Erat autem Abram natus septuaginta quinque annos, cùm proficisceretur Charane.* Iste annus fuit 2023. à conditu mundi, vt patet ex *Genes.* 11. *v.* 10. *& seqq.*

Tertium interuallum est à promissione Abrahamo factâ vsque ad exitum ex Ægypto, annorum 430. *Exod.* 12. *v.* 40. 41. *Incolatus autem Israëlitarum, quo commorati sunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum. Fuit verò exactis* 430. *annis; fuit, inquam, eodem ipso*

dem ipso die, vt egrederentur omnes exercitus Iehouæ è terrâ Ægypti. Anni isti peregrinationis, incolatus & seruitutis numerandi sunt à septuagesimo quinto anno ætatis Abrahami, quo ille accepit promissionem. *Gal.3.v.17.*

Quartum interuallum est ab exitu ex Ægypto vsque ad templum Salomonis inchoatum siue fundatum, annorũ 479. Nam anno ab exitu quadringentesimo octauo (ineunte) templum fuit fundatum. *1.Reg. 4.v.1. Deinde fuit anno quadringentesimo octauo ab egressu Israëlitarum è terrâ Ægypti, anno quarto regni Salomonis, vt ædificare inciperet domum Iehouæ.* Incidit autem is annus in ann. M.2932.

Quintum interuallum est à fundatione templi ad captiuitatem Babylonicam, annorum 418. *Ier.29.v.10. Sic enim ait Iehoua: nam vbi implebuntur Babyloniæ septuaginta anni, visitabo vos, & præstabo erga vos verbum meum illud optimum, reducendo vos in hunc locum.* Ex quibus verbis colligere licet, captiuitatem Babylonicam arcessendam esse à deportatione Iechoniæ, quæ incidit in annũ mundi 3350. Ergo sunt anni 418. à fundatione templi vsque ad initium captiuitatis Babylonicæ. Si malis, hoc interuallum extende vsq; ad excidium templi, quod incidit an. M. 3360. Atque ita augebitur hoc interuallum 10. annis, vt sit annorum 428.

Sextum interuallum est à captiuitate Babylonicâ, vsq; ad initium septimanarum Danielis, quæ incipiunt anno M. 3527. Itaque hoc interuallum est annorum 177. Si malis, duc hoc interuallum ab excidio templi vsq; ad ipsius instaurationem anno M. 3531. Cæterùm interuallum hoc ita probatur. Captiuitas Babylonica durauit annos 70. Proinde soluta est anno M. 3419. desinente, seu 3420. ineunte, anno primo Cyri. *Esdr.1.v.1.* Intellige primũ ipsius annum per totam Asiam. Deinceps variè impedita fuit instauratio politiæ Iudaicæ, adeoque vrbis & templi, vsq; ad Darium Nothum, & quidem vsq; ad secundum ipsius annum, vt est *Esdr.4.v.24.* quo anno templum cœptum est ædificari, & absolutum anno eius sexto. *Esdr.6.v.15.* Con-

currit autem annus Darij Nothi ſecundus cum anno M. 3527, ſextus cum anno M. 3532.

Septimum interuallum eſt annorum 490, ab inchoatâ inſtauratione templi ad excidium eiuſdem per Romanos, anno M.4017.exeunte, ſeu 4018.ineunte, qui eſt annus Chriſti 69. Vide *Dan.9.v.24. & ſeqq.* vbi 70. ſeptimanæ efficiunt annos 490.

Octauum interuallum eſt annorum 1290, ab excidio templi, ſiue ab anno Chriſti 69, vſque ad annum Chriſti 1359. Hoc interuallum exprimitur *Dan.12.v.11. A tempore autem, quo ablatus fuerit iugis cultus, & poſita abominatio deſolans, dies erunt mille ducenti nonaginta.* Hîc intelligitur deſolatio facta per Romanos, & dies ſunt prophetici, qui conſtituunt totidem annos.

Nonum interuallum eſt annorum 335, ab anno Chriſti 1359 vſque ad an. 1694. Quod ita patet. Danielis 12. *v.12.* ita legimus : *Beatus, qui præſtolabitur & perueniet ad dies mille trecentos triginta quinque.* Hi dies rurſus ſunt prophetici, & proinde totidem anni, quos ſi adieceris ad priorem ſummam præcedentis verſus & interualli, habebis annos 2694. qui eſt terminus à Daniele prædictus. Ab hâc ſummâ ſubduc annos 1000, de quibus *Apoc.20.verſ.2:* & relinquetur annus Chriſti 1694.

Decimum interuallum eſt 1000. annorum, inde ab anno Chriſti 1694 vſque ad bellum Gog & Magog, quo confecto erit finis ſeculi. *Apoc.20.v.2. Qui* (angelus è cœlo deſcendens) *apprehendit draconem, ſerpentem illum antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & vinxit eum ad mille annos.* Ibid. verſ.7.8. *Cùm verò expleti fuerint mille anni, ſoluetur Satanas è carcere ſuo: & exibit, vt ſeducat gentes, quæ ſunt in quatuor angulis terræ, Gogum & Magogum, vt congreget eos in prælium.*

Atque hæc etiam ſunt decem illa ſacræ chronologiæ interualla, è quibus nouem priora explicare iam aggredimur in epitome hiſtorico-chronologicâ, decimum nonniſi obiter viſuri.

LI. EPI-

LI.

EPITOME

Hiſtoriæ & Chronologiæ ſacræ.

Primum interuallum, à creatione mundi ad diluuium.

An.M. 1.	*In principio* temporis Deus creauit cœlum & terram, & vniuerſum exercitũ illorum. *Gen.* 1. & 2. Fuit autem iſtud principium veris: quia hæc eſt naturaliſſima & perfectiſſima anni ratio, vt incipiat à vere. Quæ etiam cauſa eſt, quòd Deus annum ſacrum inchoauit à vere, politicum ab autumno. Sanè perfectiſſimam anni rationem in ſacris obtinuiſſe nemini debet eſſe dubium.
130.	*Adam* genuit Seth. *Gen.* 5. *v.* 3.
235.	*Enos* naſcitur ex Seth. *Gen.* 5 *v.* 6.
325.	*Cainan*, filius Enos, naſcitur. *Gen.* 5. *v.* 9.
395.	*Malaleel*, filius Cainan, naſcitur. *Gen.* 5. *v.* 12.
460.	*Iared*, filius Malaleel, naſcitur. *Gen.* 5. *v.* 15.
622.	*Enoch*, filius Iared, naſcitur. *Gen.* 5. *v.* 18. Hic fuit ſeptimus ab Adam. *Iudæ v.* 14.
687.	*Mathuſalem*, filius Enoch, naſcitur. *Gen.* 5. *v.* 21.
874.	*Lamech*, filius Mathuſalem, naſcitur. *Gen.* 5. *v.* 25.
930.	*Adam* moritur. *Gen.* 5. *v.* 5.
987.	*Enoch* aſſumitur viuus in cœlum. *Gen.* 5. *v.* 24. 25.
1042.	*Seth* moritur. *Gen.* 5. *v.* 8.
1056.	*Noah*, decimus ab Adam, naſcitur ex Lamecho. *Gen.* 5. *v.* 28.
1140.	*Enos* moritur. *Gen.* 5. *v.* 11.
1235.	*Kenan* moritur. *Gen.* 5. *v.* 14.
1422.	*Iared* moritur. *Gen.* 5. *v.* 20.

1536. Incipiunt 100. anni prædicationis pœnitentiæ. *Gen.6.v.5.*

1556. *Sem* naſcitur. *Gen.5.v.32.*

1557. *Cham* naſcitur. *Gen.5.v.32.*

1558. *Iapheth* naſcitur. *Gen.5.v.32.*

Hoc ordine procul dubio nati ſunt filij Noë: quia paſſim ita commemorantur. Confer *Gen.6. verſ.10.c.9.v.18.c.10.v.1.*

1651. *Lamech* moritur. *Gen.5.v.30.*

1656. *Mathuſalem* moritur paulò ante diluuium. *Gen.5. verſ.27.* Vixit diutiſſimè omnium, annos 969. Non aſſecutus eſt millenarium: quia hic numerus eſt ſymbolum perfectionis æternæ.

1656. *Diluuium* incidit, & durat annum. *Gen.7. & 8.*

Summa annorum à condito mundo vſq; ad diluuium iuxta LXX. Interpretes eſt annorum 2242. nam illi in generatione primâ, ſecundâ, tertiâ & quartâ diſſentiunt ab Hebraicâ veritate: quia in ſingulis hiſce generationibus addiderunt 100. annos: in ſextâ generatione vtrique codices conſentiunt: in ſeptimâ rurſus addiderũt LXX. annos 100: in octauâ detraxerunt annos 20: in nonâ addiderunt ſex annos: in decimâ conueniunt. In ſex igitur generationibus LXX. addiderunt 600. annos, & in nonâ addiderunt ſex. Et ita omnes anni ſunt 606. Sed quoniam à generatione octauâ detraxerunt 20, fit vt omnes anni mundi conditi ſint 586, qui ſimul iuncti cum annis 1656. efficiũt annos 2242. Noſtrum eſt ſequi Hebraicam veritatem. Sed obiicitur, Græcam computationem ideo eſſe amplectendam, quia in ſextâ ſynodo generali, actione 6. eſt approbata: vbi habetur, annos à mundo condito vſque ad Chriſtum fluxiſſe 5508: deinde, quia editio LXX. Interpretum vſu totius eccleſiæ fuit olim per 500. annos approbata: vtpote cuius authoritate vſus eſt Chriſtus, apoſtoli,

ſtoli, & poſtea Græci, & Latini Patres ante Hieronymum. Reſp. 1. Nullum concilium poteſt vel debet aliquid ſtatuere contra Hebraicam veritatem. 2. Editio LXX. Interpretum ita eſt approbata ab eccleſiâ, vt tamen mendæ librariorũ non ſint canonizatæ. 3. Chriſtus & apoſtoli ſanctificarunt iſta verba, quæ citarunt ex LXX. Interpretatione, non verò totum ſyſtema approbarunt. 4. Patres Græci & Latini, qui ſequuntur chronologiam LXX. Interpretum, errant.

Secundum interuallum, à diluuio vſque ad promiſſionem Abrahamo factam.

1656. Menſe primo huius anni Noah egreſſus eſt ex arcâ. *Gen.* 8. *v.* 13.

1658. *Arphaxad*, filius Semi, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 10.

1693. *Salah*, filius Arphaxad, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 13.

1723. *Heber*, filius Salah, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 14.

1757. *Peleg*, filius Heber, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 16. Hic nomen habuit à diuiſione: quia diuiſio linguarum *Gen.* 11. *v.* 7. ſub illo contigit.

1787. *Regu*, filius Peleg, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 18.

1819. *Serug*, filius Regu, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 20.

1849. *Nahor*, filius Serug, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 22.

1878. *Tharah*, filius Nahor, naſcitur. *Gen.* 11. *v.* 24.

1948. *Abraham*, filius Tharah, naſcitur, anno 70. Tharah. *Gen.* 11. *v.* 26.

1958. *Sara* naſcitur. *Gen.* 17. *v.* 17.

1996. Peleg moritur. *Gen.* 11. *v.* 19.

1997. Nahor moritur. *Gen.* 11. *v.* 24. 25.

2005. Noah moritur. *Gen.* 9. *v.* 28. 29.

In hoc interuallo rurſus eſt diſcrepantia inter codicem authenticum, qui eſt veritatis Hebraicæ, & codices Græcos LXX. Interpretum. Nam in primâ generatione vtrique codices conueniunt,

& in nonâ: at in 2.3.4.5.6.7. Interpretes LXX semper addiderunt 100 annos, & in octauâ addiderunt 50: denique inter Arphaxad & Salah posuerunt generationem Cainan, cui annos 130 tribuerunt. Sic enim legimus Gen. 11. in istâ versione: *Arphaxad genuit Cainan anno ætatis* 135: *Cainan genuit Sale anno ætatis* 130. Hanc versionem sequitur Lucas cap. 3. *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan.* Sed sciendum est, LXX Interpretes hæc omnia de suo addidisse: & locum apud euangelistam Lucam à librariis, Hebraicæ literaturæ imperitis, ex LXX Interpretum versione esse transcriptum.

Interuallum tertium, à promissione Abrahamo factâ vsq; ad exitum ex Ægypto.

2023. *Abraham*, natus annos 75, migrat ex Haran, & accipit diuinam promissionem. *Gen.* 12. *v.* 1. *Gal.* 3. *v.* 17. Atque hîc incipiunt anni 430 peregrinationis siue incolatus Israëlitarum in Ægypto. *Exod.* 12.

2026. Regu moritur. *Gen.* 11. *v.* 20. 21.

2030. Abraham reportat victoriam aduersus reges Cananæos. *Gen.* 14. Melchisedec ipsi occurrit. *ibid.*

2034. *Ismael* nascitur. *Gen.* 16. *v.* 3.

2044 *Loth*, filius Haran fratris Abrahæ, separatur ab Abrahamo. *Gen.* 13.

2047 *Circumcisio* instituitur, anno 99 ætatis Abrahæ. *Gen.* 17.

2048. *Isaac* nascitur, anno 100 Abrahæ. *Gen.* 21. *v.* 5. Eodem anno nascuntur Moab & Ammon ex incestuoso concubitu Lothi & filiarum eius. *Genes.* 19. *v.* 37. 38.

2052. *Hagar* ancilla pellitur è domo Abrahæ. *Gen.* 21.

2064 *Isaac* circa hoc tempus, vt videtur, iussu diuino immolandus, in viuis seruatur. *Gen.* 22.

Tharah

2083. *Tharah* moritur. *Gen.*11.*v.*32.
2085. Sara moritur. *Gen.* 23. *v.*1.
2088. Iſaac, natus annos 40, ducit Rebeccam, filiam Bathuelis, filij Nahor. *Gen.*25.*v.*20.
2097 Arphaxad moritur. *Gen.*11.*v.*12.13.
2108. *Eſau* & *Iacob* naſcuntur anno 60 Iſaaci. *Geneſ.* 25. *verſ.*26.
2123. Abraham moritur. *Gen.*25.*v.*7.
2126. Salah moritur. *Gen.*11.*v.*14.15.
2129. Iſaac fame compulſus in Palæſtinam, habitat in Gerar. *Gen.*26.*v.*1.
2148. Eſau quadragenarius ducit vxores gentiles. *Gen.* 27.*v.*1.
2158. Sem moritur, annorum 600. *Gen.*11.*v.*10.11. Hic eſt *Melchiſedec*, rex ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, ratione genealogiæ regiæ. *Gen.*14.*Heb.*5.*&*7.
2171. Iſmael moritur. *Gen.*25.*v.*17.
2185. Iacob proficiſcitur ad Laban, & videt ſcalam in ſomnio. *Gen.*28.
2187. Heber moritur. *Gen.*16.*v.*17.
2192. Iacob accipit Leam in vxorem. *Gen.*29. & exacto conuiuio ſeptemdiali nuptiarum, adiungit Rachelem. *Gen.*29.*v.*28.
2193. *Ruben* naſcitur
2194. *Simeon* naſcitur } Iacobo ex Leâ. *Geneſ.*29.*v.*32.*&* *ſeqq.*
2195. *Leui* naſcitur
2196. *Iuda* naſcitur
2197. *Dan* naſcitur Iacobo ex Bilhâ ancillâ. *Gen.*30.*v.*6.
Naphthali naſcitur itidem ex Bilhâ. *Gen.*30.*v.*8.
2196. *Gad* naſcitur Iacobo ex Zilpâ ancillâ. *Gen.*30.*v.*11.
2197. *Aſer* naſcitur itidem ex Zilpâ. *ibid.*v.11.
& *Iſaſchar* naſcitur Iacobo ex Leâ. *ibid.*v.18.
2198. *Zebulon* naſcitur itidem ex Leâ. *ibid.*v.20.
Dina naſcitur ex Leâ. *ibid.*v.21.
2199. *Ioſeph* naſcitur ex Rahele. *ibid.*v.23.24. Naſcitur, inquam, anno 14 ſeruitutis, anno Iacobi 91.

Nam Ioseph erat 39. annorum, cùm Iacob esset 130. *Gen.* 41. *v.* 46. *c.* 45. *v.* 6. *c.* 47. *v.* 9.

2205. Iacob clam proficiscitur à Labane, & redit è Mesopotamiâ in Canaan, cum vniuersâ familiâ. *Gen.* 31. *v.* 41.

2214. Dina putatur hoc tempore stuprata. *Gen.* 34.

2216. Rahel obit. *Gen.* 36. *vers.* 16.

2217. Ioseph à fratribus venditur in Ægyptum. *Gen.* 37. *vers.* 27.

2226. Ioseph in carcerem coniicitur. *Gen.* 39.

2227. Ioseph exponit somnia. *Gen.* 40.

2228. Isaac moritur. *Gen.* 35. *v.* 28.

2229. Ioseph exaltatur. *Gen.* 41. *v.* 40. Exaltatur, inquam, anno ætatis 30. Ita Christus expleto hoc anno manifestatur ber baptismum & prædicationem suam. Cæterùm *Kahath* eodem an. M. nascitur, anno Leui 34. *Exod.* 6. *v.* 18.

2230. *Anni septem sterilitatis*, à Iosepho prædictæ, incipiunt. *Gen.* 41.

2237. *Anni septem fertilitatis* incipiunt. *ibid.*

2238. Iacob cum vniuersâ familiâ descendit in Ægyptum, annorum 130. *Gen.* 46. *v.* 1. *c.* 47. *v.* 11. secundo sterilitatis anno exeunte. *Gen.* 45. *v.* 11. Hîc incipit secunda medietas annorum, quibus commorati sunt Israelitæ in Ægypto. Prima medietas est partim commorationis, partim peregrinationis, secunda est commorationis tantùm. Vide paulò ante an. M. 2023.

2255. Iacob moritur, annorum 147. *Gen.* 47. *vers.* 28. Post mortem eius contigit historia *Gen.* 50.

2303. *Amram* nascitur, annis 65. à descensu Iacobi in Ægyptum. Vixit annos 137. *Exod.* 6. *v.* 19.

2309. Ioseph moritur. *Genes.* 49. *v.* 26.

2332. Leui moritur, annorum 137. *Exod.* 6. *v.* 16.

2360. Circa hæc tempora incipit pressura Israelitarum. *Exod.* 1.

Kahath

2362. Kahath moritur, annorum 133. *Exod.6.v.18.*

2370. *Aharon* nascitur. *Exod.7.v.10.*

2373. *Moses* nascitur. *ibidem.* Historia natiuitatis est *Exod.2.*

2413. Moses quadragenarius occidit Ægyptium. *Exod.2. Act.7.v.23.* Vita ipsius diuiditur in tres quadragenas. Sub finem primæ quadragenæ occidit Ægyptium: sub finem secundæ eduxit populum. *Exod.12:* sub finem tertiæ est mortuus. *Deut.34. vers.7.*

2414. *Iosua & Caleb* nascuntur. *Ios.14.v.7.10.*

2440 Amram moritur. *Exod.6.v.20.*

Quartum interuallum ab exitu ex Ægypto ad templum Salomonis.

2453. *Israelitæ exeunt ex Ægypto.* Hoc anno & præcedenti contigerunt gesta *Exod.3.& seqq.ad 36.* Post 40. dies lex promulgatur in monte Sinai.

2454. *Tabernaculum* incipit ædificari. *Exod.36.* Moses est dux populi per 40. annos in deserto, ab hoc anno 2454. vsq; ad an.M.2493, quo est mortuus. Hoc toto tempore contigerunt varia miracula diuina, multiplex rebellio populi aduersus Deũ, & alia, quæ describuntur in Exodo, Leuitico, Numeris, & Deuteronomio.

2493. *Iosua* de tribu Ephraim, fit dux populi Dei, & ingressus in terram Canaan, primis sex annis debellat Cananæos. *Ios.1.2.3.4.5.*

2500. Terra Canaan diuiditur per sortem, & *primus iubilæus* incipit. *Ios.14.& seqq.*

2517. *Othoniel*, ex tribu Iudâ, præest summæ rerum. *Iudic.3.* Hîc quæritur, quomodo sint computandi anni, quibus Israëlitæ seruierunt gentibus? Respondeo, eos, exceptis annis 18, esse numerandos partim in annis subsequentium, partim in annis præcedentium iudicum; non verò seorsim, vt quidam

quidam faciunt. Si enim interregna seorsim cõputentur, efficientur anni plures, quàm qui 1. *Reg.* 6. *v.* 1. numerantur, quingẽti nimirum, & eo plures. Quomodo autem sint computanda ista interregna, dicemus vbi ad singula peruentũ fuerit. Sic primum interregnum, siue prima seruitus octennalis sub Chusan rege Mesopotamiæ, *Iud.* 3. numerari debet in annis 40, de quibus *Iud.* 3. *v.* 11. hoc modo. Iosua præfuit populo Dei annis 25 incompletis: Othoniel 16 annis. Atq; ita habemus 40 annos *Iud.* 3. *vers.* 11. Sedecim annis Othonielis includendi sunt 8 anni primæ seruitutis.

2532. *Ehud*, siue Aioth, ex tribu Beniamin, præfuit annis 80. *Iud.* 3. *v.* 30. In octoginta istis annis computandi sunt anni duodeviginti, quibus Hebræi seruierunt Elon regi Moabitarum. *Iud.* 3. *vers.* 14. Quidam existimant, Samgar succesisse Ehudo in regimine. Sed rectè sentiunt Iudæi, ipsum non fuisse iudicem, meminisse tamen eius Scripturam tanquam clarissimi viri, quippe qui multam hostium stragem ediderat extremis annis Ehud iudicis. *Iud.* 3. *vers. vlt.*

2612. *Debora*, ex tribu Ephraim, adsciscit ducem belli Barachum, ex tribu Naphthali, & præest an. 40. *Iud.* 5. *vers.* 31. Sub his annis 40 comprehenduntur anni 20, quibus seruierunt Hebræi tertiam seruitutem sub rege Cananæorum Iabin. *Iud.* 5.

2652. *Gedeon*, aliâs Hierobaal, ex tribu Manasse, præfuit an. 40. quibus includi debent septem anni quartæ seruitutis Israëlitarum, quibus fuerunt sub potestate Midianitarum. *Iud.* 6. *v.* 1. *c.* 8. *v.* 28.

2692. *Abimelech*, spurius filius Gedeonis, præfuit an. 3. *Iud.* 9. *v.* 22.

2695. *Thola*, ex tribu Isaschar, præfuit an. 23. *Iud.* 10. *vers.* 2.

2718. *Iair*, ex tribu Manasse, præfuit an. 22. *Iud.* 10. *v.* 3.

In his

In his annis viginti duobus non numerari debent anni duodeviginti, quibus Israëlitæ subiecti fuerunt Ammonitis & Philistæis: sed sunt seorsim computandi, hoc modo,

2740 *Interregnum* Philistæorum & Ammonitarum quintâ seruitute. *Iud.* 10. *v.* 8. fuit annorum 18. Atque hi sunt 18 anni, quos supra ad an. M. 2517. excepimus.

2758. *Iephthe*, ex tribu Manasse, an. 6. *Iud.* 12. *v.* 7.

2764 *Ebzan*, ex tribu Iudâ, an. 7. *Iud.* 12. *v.* 9.

2771. *Elon*, ex tribu Zabulon, annos 10. *Iud.* 12. *v.* 11.

2781. *Abdon*, ex tribu Ephraim, annos 8. *Iud.* 12. *v.* 14.

2789. *Samson*, annos 20. *Iud.* 16. *v.* 31. Anni quadragintâ, quibus Israëlitæ Philistinis seruisse dicuntur, *Iud.* 13. numerandi sunt hunc in modum. Integris 20 annis, quibus Samson iudicauit, seruierunt. Reliqui 20 anni pertinent ad tempora, quibus Eli populum gubernauit. Neque tamen est, quòd ideo Samsonem cũ Andreâ Masio expungamus è numero Iudicum. Nam Scriptura non dicit de Samsone, quòd populum ab hostibus liberauerit, sicut de aliis iudicibus dicit: sed solùm, quòd præfuerit summæ rerum, in statu scilicet reipub. turbato.

2809 *Eli*, de tribu Leui, præfuit annos 40. 1. *Sam.* 4. *vers.* 18.

2818. *Samuel* circa hoc tempus nascitur. Obit enim septuagenarius, anno M. 2888. 1. *Sam.* 25.

2829. Samuel duodecim annorum accipit diuinam vocationem. 1. *Sam.* 3.

2848. Eli frangit ceruicem, accepto tristi nuntio de arcâ Domini captâ. 1. *Sam.* 4. *v.* 15.

2849. *Samuel*, è tribu Leui, præest annos 40. computatis annis regni Saulis. *Actor.* 13. *vers.* 21. Iosephus tribuit Samueli soli post obitum Eli annos 12, & ei vnà cum Saule annos 18, & Sauli post Samue-

muelem annos 10. Et ita omnes anni sunt 40.

2860 *Dauid* nascitur. Est enim annorum 30, cùm in Hebron vnctus fuit. 2. *Sam.*5. *v.*4. Hâc in re fuit typus Christi, qui anno 30. completo baptizatus est.

2868. Samuel insignem victoriam reportat de Philistæis 1.*Sam.*7.*v.*1.

2879. *Saul*, è tribu Beniamin, vngitur in regem Israël. 1.*Sam.* 13. *v.* 1. Atq; hîc desinit regimen iudicum, quod durauit annos 386. Perperam huc trahuntur 300. anni *Iud.*11. *vers.*28: quia illi incipiunt ab exitu ex Ægypto, vnde Iephthe narrationis suæ initium fecerat *vers.* 18. Præcisè autem numerat annos 300, numero rotundo siue completo.

2881. Saul duobus annis exactis reiicitur, & Dauid inungitur. 1.*Sam.*13.*v.*1. *&* 16.*v.*14.

2885. Dauid prosternit Goliathum. 1.*Sam.*17.

2887. Saul Dauidem persequitur.

2888. Saul perit, anno regni 10: cum quo concurrit quadragesimus Samuelis, qui ipse tum quoque obiit. 1.*Sam.*25.

2889. *Dauid*, filius Isai, regnat annos 40. 2.*Sam.*5.*v.*4. Secundò vngitur Saule occiso, in Hebron, & tertiò quoque. 2.*Sam.* 2. *v.*4. In Hebron regnat annos 7. mens. 6. Hierosolymis, an. 33. 2.*Sam.*2.

2900 Dauid Philistæos vincit, & arcam Domini reducit, quæ ad 50. annos fuerat in domo Aminadab. 2.*Sam.*6.

2902 *Nathan* promittit Dauidi Messiam. 2.*Sam.*7.

2903. Dauid est clarus togâ & sago. 2.*Sam.*8.9.10.

2906 Dauid se polluit adulterio & homicidio: quâ de causâ reprehenditur à Nathane. 2.*Sam.*11.12.

2911. *Salomon* nascitur ex Bathsebâ. 2.*Sam.*12.

2912. *Thamar* stupratur vi à fratre Amnone. 2.*Samuelis* 13.

2914. *Amnon* interficitur ab Absalomo, qui postea fugit.

fugit. 2.*Sam.*13. Hoc tempore floruerunt Asaph, Ethan, & Heman, Psalmistæ. 1.*Chron.*25.

2916. *Absolom* tertio anno à cæde reuocatur operâ Ioabi. 2.*Sam.*14.

2919. Absolom eiicit patrem regno: sed vincitur & occiditur. 2.Sam.15.16.17.18.

2920. *Mephiboseth* restituitur. 2.*Sam.*19. Seba seditiosus plectitur. 2.*Sam.*20.

2921. Fames triennis premit Israelem. 2.*Sam.*21.

2925. Dauid ex πολυπεῤῥοσύνῃ numerat populum. 2.*Sam.*24.

2929. *Salomon* adit regnum, idque administrat 40. annos, quamdiu pater regnauerat. 1.*Reg.*11.*v.*42. Petit & impetrat à Deo sapientiam. 1.*Reg.*3.*v.*6.

Quintum interuallum, à fundatione templi Salomonis vsq; ad captiuitatem Babylonicam.

2932. *Templum Salomonis* fundatur, anno 480. (ineunte) ab exitu. 1.*Reg.*4.*v.*1. mense secundo, siue Maio, anno 4. Salomonis, iuuante Hiramo rege Tyri. 1.*Reg.*5.*v.*3.

2934. Maiestas & sapientia Salomonis longè lateq; percrebescit. 1.*Reg.*3.4.10.

2938. Templo septem annorum spatio absoluto, celebrantur eius encænia, anno 11. regni Salomonis. 1.*Reg.*6.

2941. Salomon componit varia cantica, & de variis rebus sapientissimè disserit. 1.*Reg.*4.*v.*32.33.

2951. Salomon constituit politiam sacram & ciuilem. 1.*Reg.*8.*&* 9.

2952. Regia Salomonis perficitur. 1.*Reg.*9.*v.*10. Regina Sabæ venit Hierosolymam. 1.Reg.10.

2960 Salomon corrumpitur à mulieribus. 1.*Reg.*11.

2969 Salomon moritur. *ibid.* Ipsi succedit *Rehabeam* filius, qui leuitate & superbiâ à se abalienat subditos.

ditos. Quâ occaſione decem tribus deficiunt, & fit ſchiſma regni, *Ieroboamo* obtinente regnum Iſraël. 1. *Reg.* 14.

2970 *Ahia*, *Iddo*, & *Semeia*, prophetæ, florent. 2. *Chron.* 9. 1. *Reg.* 12. Floret etiam propheta ἀνώνυμος, qui contra altare Bethel clamat, & exprimit nomen euerſoris Ioſiæ, annis 350 antequam fieret. 1. *Reg.* 13. *v.* 32.

2986. *Abia*, rex Iuda, annos 2. regnat. 1. *Reg.* 15.

2988. *Aſſa* fit rex Iuda: item *Nadab*, rex Iſrael. 1. *Reg.* 15.

2990. *Baëſa* regnat in Iſrael. 2. *Reg.* 16. Tempore Baëſæ & Aſſæ florent *Iehu*, *Hanani*, & *Aſaria*, prophetæ. 2. *Paral.* 15. 16. 19.

3000. Medium mundi incidit in annum 13 Aſſæ.

3002. Aſſa ingenti prælio vincit regem Æthiopum Zaram. 2. *Paral.* 14. & 15.

3014. *Ela* fit rex in Iſrael, an. 2: & cum illo *Zamri*, dies 7. 1. *Reg.* 16.

3014. *Amri* fit rex in Iſrael, an. 12. è quibus duo includuntur annis Elæ. 1. *Reg.* 16.

3026. *Achab* regnat in Iſrael vnà cum vxore ſuâ idololatricâ *Ieſebel*. 1. *Reg.* 16. *Elias* propheta hoc tempore claret. Eius diſcipulus fuit *Eliſæus*. 1. *Reg.* 17. 2. *Reg.* 2.

3029. *Ioſaphath* fit rex Iuda. 1. *Reg.* 22.

3040. *Micha*, propheta ſub Ahabo, floret. 2. *Reg.* 22.

3045. *Ochozias*, ſeu Ahaſia, regnat in Iſrael. 1. *Reg.* 22.

3048. *Ioram* ſuccedit Ochoziæ. 2. *Reg.* 3.

3054. *Ioram*, rex Iuda, ſuccedit Ioſaphatho. 2. *Reg.* 8.

3062. *Ochozias*, rex Iuda, ſuccedit Ioramo. 1. *Reg.* 22.

3063. *Athalia*, fœmina, capeſſit regnum Iuda. 2. *Reg.* 11.

Eodem anno *Iehu* fit rex in Iſraël. 1. *Reg.* 10.

3069 *Ioas* fit rex in Iudâ. 2. *Reg.* 11.

3091. *Ioachas* regnat in Iſrael. 2. *Reg.* 13. *Ioiada* ſacerdos, optimè de regno Iudâ meritus, circa hæc tempora

tempora obit, annorum 130. 2. *Paral.* 24.

3117. *Ioas* fit rex in Iſrael. 2. *Reg.* 13.

3119. *Amaſia* regnat in Iudâ. 2. *Reg.* 14.

3123. *Ieroboam* II fit rex in Iſrael. 2. *Reg.* 14. Sub hoc claruerunt *Ionas*, *Hoſeas*, *Ioel*, & *Amos*. 2. Reg. 14. v.23.25. Hoſ.1.v.1. Ioel.1.v.15. Amos.1.v.1.

3138. *Azarias*, qui & *Ozia*, & *Vſias* dicitur, regnat in Iudâ. 2. Reg. 15. Sub hoc cœpit vaticinari Eſaias, & continuauit ſub Iotham, Achas & Ezechiâ vſque ad Manaſſen. *Eſa.* 1. Hoſeas etiam floruit adhuc ſub Ezechiâ.

3175. *Zacharias* regnat in Iſrael. 2. *Reg.* 14. Inter hunc & Ieroboamum II conſtituendum eſt interregnum 11 an.

3175. *Sellum* fit rex Iſraëlis. 2. *Reg.* 15.

3176. *Menahem* regnat in Iſrael 2. *Reg.* 15.

3188. *Pekaia* fit rex Iſraëlis. 2. *Reg.* 15.

3190. *Peka* regnat in Iſrael 2. *Reg.* 15. *Iotham*, in Iudâ, *ibid.* Sub Iotham, Achas, & Ezechiâ prophetat Micheas. *Mich.* 1. *v.* 1.

3206. *Achaz* fit rex Iuda. 2. *Reg.* 16.

3210. *Hoſea* fit rex Iſraelis. 2. *Reg.* 15. 17. Sub hoc Samaria expugnatur, & decem tribus in perpetuam captiuitatẽ abducuntur, in Colchos, Iberos, &c. 2. *Reg.* 18. Atque hîc deſinit regnum Iſraelis: vbi quæritur, Quomodo ſumma annorum, quibus reges Iſraëlis regnaſſe dicuntur in libris Regum, conſentiat cum numero annorum regum Iuda, qui eodem tempore regnarunt? Reſp. Aliquot fuerunt interregna in Iſraële, quæ in Scripturis non indicantur. Nec mirum, interregna fuiſſe in regno impio, & quod ob factiones, bella ciuilia, & crebras familiarum viciſſitudines, & mutationes, crebrò perturbabatur. Alij exiſtimant, omitti quoſdam annos, quibus rex hic vel ille admodum malè regnauit. e.g. Zacharias fortè re-

gnauit 20 annis, quia tamen sex mensibus bene vixit, dicitur in Scripturâ regnasse tantùm 6 mensibus. Sed prior sententia est magis probabilis.

3222. *Ezechias* regnat in Iudâ 2. *Reg.* 16. 18. 19. 20. Hoc tempore prophetasse putantur *Habacuc* & *Nahum*.

3235. *Senacherib*, cæsis 185000 suis militibus, relinquit obsidionem Hierosolymorum. 2. *Reg.* 19. *Esa.* 38.

3251. *Manasses*, filius Ezechiæ degener, succedit patri. 2. *Reg.* 21.

3306. *Amon* succedit. 2. *Reg.* 21.

3308. *Iosias* succedit. 2. *Reg.* 21. 22. 23. Sub hoc putatur prophetasse *Sophonias*. Anno 13 Iosiæ incipit *Ieremias*. *Ier.* 1. *v.* 2.

3338. *Ioachas* succedit Iosiæ. 2. *Reg.* 23.

3339. *Eliakim*, seu Iojakim, succedit. 2. *Reg.* 23. 24.

3350. *Iechonias* succedit. 2. *Reg.* 24. Hic mense 3 abducitur Babylonem.

Sextum interuallum, à captiuitate Babylonicâ vsque ad initium septimanarum Danielis.

3350. *Captiuitas Babylonica* incipit. Quidam illam inchoant ab anno vltimo Zedekiæ, qui fuit annus vndecimus eius regni, & decimus nonus Nebucadnezaris, eamq; finiri aiunt anno secundo Darij Hystaspis. Hanc sententiam probant ex *Ier.* 25. vbi legimus, terram futuram in solitudinem, & in stuporem 70 annis. Sed non cœpit esse deserta, nisi ab anno vltimo Zedekiæ, quo tempore Chaldæi templum & vrbem Hierosolymorum incenderunt, & reliquias Iudæorum transtulerunt. Et 2. *Paral. vlt.* legimus, terram Israëlis sabbatum egisse 70. annis, id est, quieuisse, iam videl. in desertum & solitudinem redactam. At hoc non contigit nisi vltimo anno Zedekiæ. Sed

scien-

sciendum est, hos non esse annos captiuitatis, sed solitudinis & desolationis. Nam anni captiuitatis initium sumunt ab eo anno, quo Iechonias vnà cũ matre & popularibus captiuus abductus fuit Babylonem, qui fuit octauus annus regni Nebucadnezaris. Hi anni desinunt in primo anno monarchiæ Cyri, qui captiuitatem Babylonicam laxauit. *Ier.* 29. 2. *Chron.* 36. *Esdr.* 1. Huc accedit, quòd *Matth.* 1. distinguuntur quatuordecim generationes ante transmigrationem, ab alijs quatuordecim generationibus post transmigrationem, & numeratur transmigratio à prædicto Iechoniâ. Sic ig. habendum est. Captiuitas fuit diuisa in tres actus. Protasis contigit anno quarto Ioakimi, seu primo Nebucadnezaris 2. *Chron.* 36. *v.* 6. Epitasis incidit primo Iechoniæ, octauo Nebucadnezaris. 2. *Reg.* 24. *v.* 12. 2. *Paral.* 37. *vers.* 10. Catastrophe vndecimo Sedekiæ, 19 Nebucadnezaris. *ibid.* Iam verò epitasis est potior catastrophe. Sed hoc sit palmarium: Terminus à quo captiuitatis optimè colligitur ex termino ad quem. At is est primus annus Cyri, quo captiuitas est soluta.

3354. *Ezechiel* incipit vaticinari. *cap.* 8. *& seqq.*

3357. *Daniel* anno 7 exilij Babylonici putatur interpretatus esse somnium Nebucadnezaris. *Dan.* 2.

3360. *Sedekias* abducitur Babylonem, & Hierosolyma cum templo exciduntur. 2. *Reg.* 24. *Ier.* 52.

3392. *Belsazer* regnat in Babyloniâ. Eum regno exuit Darius Medus. *Dan.* 5. *& 6.*

3419. *Cyri* annus primus per Asiam cum hoc anno cohæret, ac proinde etiam solutio captiuitatis Babylonicæ, ac reditus populi dũce Zorobabele anno primo (monarchiæ) Cyri. *Esdr.* 1. *v.* 1. Intellige annum M. 3419. completum, seu 3420. ineuntem.

3421. *Ædificium templi & instauratio vrbis impeditur* viuente adhuc Cyro. *Esdr.* 4. *v.* 5. item sub Cambyse, &
3430. Dario Hystaspide, *ibid. v.* 6: item sub Xerxe, *ibid.*
3465. *v.* 6: item sub Artaxerxe Longimano, *ibid. v.* 7. 18.
3486. *& seqq.* vsque ad annum secundum Darii Nothi. 5
3527. *ibid. v. vlt.*

3471. Assuerus, id est, Xerxes, ducit *Estheram* vxorem. *Esth.* 2.

Septimum interuallum, à templo secundo fundato vsq; ad eius excidium. 10

3527. Anno secundo Darij Nothi inchoatur ædificatio templi. *Esdr.* 4. *v. vlt. Haggæus & Zacharias* vaticinantur. Hîc incipiunt 70 septimanæ *Dan.* 9.

3532. Anno sexto Darij Nothi templum absoluitur. 15 *Esdr.* 6. *v.* 15.

3551. Anno septimo Artaxerxis Mnemonis *Esdra* proficiscitur Hierosolymam, magno instructus comitatu, & reformat ibi vtramque politiam, ecclesiasticam & ciuilem. *Esdr.* 7. 8. 9. 10. 20

3563. *Nehemias*, accepto nuntio de aduersis rebus in Iudæâ, jejunat & orat. *Nehem.* 1.

3564. Nehemias anno 20 Artaxerxis Mnemonis venit Hierosolymam permissu regis, & muros ciuitatis per annos 12. instaurat. *Neh.* 2. *& seqq.* 25

3575. Anno 31 Artaxerxis Mnemonis desinente muri Hierosolymæ sunt perfecti, annis 49, siue septem septimanis, à secundo anno Darij Nothi & initio hebdomadum *Dan.* 9. Confer *Esdr.* 6. *v.* 14.

3619. *Darius Codomannus* vincitur ab Alexandro Ma- 30 gno. 1. *Maccab.* 1. *v.* 1.

3626. *Alexandro Magno* rebus humanis exemto, imperium eius cedit ducibus ipsius. 1. *Maccab.* 1. *v.* 6. *& seqq.*

3781. *Antiochus Epiphanes* Hierosolymam capit, & 35 templum profanat. 2. *Maccab.* 5.

Iudas

3783. *Iudas Maccabæus* fortiter pugnat contra Antiochum. 1. *Maccab.* 3.

3947. *Iohannes Baptista* nascitur circa initium Aprilis. Conceptus enim fuit post 28 diem Iulij, quod ita demonstratur, ex 2. *Paral.* 24. *& Luc.* 1. *v.* 8. 9. 23. Dauid posteritatem Aharonis in 24 familias ita diuisit, vt singulæ hebdomadam integram in tẽplo operarentur. Quare singularum familiarum functio in orbem recurrebat per 168 dies. Hæ 24 familiæ ab encæniis Iudæ Maccabæi, ad excidium vsque templi, incolumes & imper mixtâ successione manserunt, teste Iosepho, qui, vtpote sacerdos, id ignorare non potuit. Principes harum familiarum in euangelio dicuntur ἀρχιερεῖς. Istæ ig. 24 sacerdotum classes in templo operabantur, singulæ hebdomadam suam. Vnde fiebat, vt vigesies quater septem, hoc est, 168, dies, singulæ cessarent. Porrò Iudas Maccabæus erat sacerdos primæ classis Ioiarib. Quare templum à Græcis pollutum expiaturus, 24 familijs sacerdotũ conuocatis, quæ per triennium & ampliùs cessauerant, pristinum earum ordinem instaurauit, vt in Encæniis templi primæ familiæ ex prisco ordine primus locus daretur: cuius functio accidit 22 Nouembris, biduò ante Encænia. Annus tum erat 3785. Classis autem Abiæ, quæ ordine octaua erat, sequenti anno, post dies 49 ministerium suum aggressa est sabbato, quod congruebat decimæ diei Ianuarij: à quo ad sabbatum 21 Iulij anno M. 3946 fluxerunt anni 160, dies 192. Itaque die 28 Iulij impleti fuerunt dies ministerij Zachariæ, quo die reuersus est in montana patriæ suæ. *Luc.* 1. *v.* 23. Conceptio ig. Iohannis incidit in hebdomadam, quæ secuta est proximè post 28 diem Iulij. Inter 21 autem & 28 Iulij contigit εὐαγγελισμὸς Zachariæ *Luc.* 1. *v.* 11. *& seqq.* Itaque natalis

Iohannis contigerit circiter initium Aprilis vel finem Martij anno Mundi 3947. ὅπερ ἐδει δεῖξαι.

3948. *Christus Iesus* nascitur circa finem Sept. vel initium Octobr. Hoc ita demonstratur. Si cõceptio Ioan. demonstrari possit, potest & natalis Dñi nostri Iesu Christi inuestigari. At prius potest. Ergo & posterius. Ratio consequentiæ est: quia à conceptione Ioannis ad conceptionẽ Domini menses sunt quinque absoluti. *Luc.* 1. *v.* 26. Ad assumptionem quod attinet, clarum est ex præcedenti commate, cõceptionem Iohannis posse demonstrari, si tempus explorari possit, quo Zacharias incensum obtulit. Quare si Iohannes natus est circa initium Aprilis vel finem Martii, Christus natus fuerit circa initium Octobris vel finem Septembris. Diem enim definire non est possibile. Tempus autem, quod vero proximum est, designari potest. Deinde Christus ad baptismum accessit trigesimo anno completo, & trigesimo vno ineunte, vt paulò post demonstrabitur. Incidit autem is annus in decimumquintum Tiberii *Luc.* 3. *vers.* 1. hoc est, in annum vrbis Romę 781, qui est mundi 3978. Deductis triginta annis solidis, relinquitur annus 3948, vindicandus natali Christi. Porrò Christus natus est sub Augusto Cæsare, cum Quirinius esset præses Syriæ. *Luc.* 2. *v.* 1. Anno, inquam, 42 Augusti. Nam is concurrit cum anno M. 3948 siue anno vrbis 751, qui est primus Quirinii, quem historia Romana vocat P. Sulpitium Quirinium, de quo *Iosephus lib.* 18. scribit hãc in sententiam: *Venit Quirinius in Syriam, missus à Cæsare (Augusto) vt illi prouinciæ ius diceret, & fortunarum censum haberet.* Cæterùm æra Christi Dionysiana siue vulgaris, quæ apud astronomos etiam obtinet, sumit initium à tertio anno Christi,

qui

qui est mundi 3950, qui habuit Coss. C. Iulium Cæsarem & L. Æmilium Paulum.

3948. *Magi* venerunt ad Christum. *Matth.* 2. *v.* 1. Venerunt, inquam, τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, h. e. paulò ante nato. Ea namque vis est vocis Græcæ & locutionis, vt eruditè obseruat *Casaubonus exerc.* 2. *sect.* 10. his verbis: *Participii aoristi ea vis est, vt simul denotet celeritatem aduentus.* Et paulò post: *Istud igitur primum obseruemus, dixisse euangelistam, γεννηθέντος, non γεγεννημένου: hoc de perfectâ multò etiam ante actione rectè vsurpatur: illud de paullò ante perfectâ, & quasi adhuc pendente.* Huc accedit particula ἰδοὺ, *ecce.* Hinc colligere licet, magos non longè post natiuitatem Christi aduenisse. Chrysostomus author est, illos aduenisse quadragesimo die; alii, decimo tertio; Epiphanius, exacto biennio, quæ sententia meritò vapulat. Porro si Christus natus est ineunte Octobri, hoc quoque mense aduenerunt Magi. Sed quia vulgo natiuitas Christi cõfertur in 25 Decembris, ex consuetudine ecclesiæ Latinæ, aduentus Magorum collocatur in Ianuarium.

3960. Christus 12 annorum in templo disputat. *Luc.* 2.

3978. Christus baptizatur, anno ætatis trigesimo completo. *Luc.* 3. *v.* 23. vbi sic legimus: καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος: quæ vetus interpres planè καὶ ὡδάς, siue ad verbum, ita vertit: *Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta.* Hic locus cum sit insignis, totaq; annorum Christi ratio ex illius interpretatione pendeat, paulò penitiùs illum inspiciemus. Et primò quidem vsus loquendi, ἦν ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα, videtur innuere, Christum iniisse tum annum trigesimum. Sed particula ὡσεὶ est attendenda. Cùm enim apud Iudæos ministerii sacerdotalis ætas legiti-

gitima fuerit annus trigesimus exactus, admodũ probabile est, Dominum nostrum administerii sui functionem non priùs accessisse, quàm illum annum implessset. Quare ὡσεὶ necessariò erit *Caph veritatis*, non deminutionis, vt eruditè obseruat *Casaubonus exerc.* 13. *s.* 9. Et ideo Syrus ita expressit, quasi legisset, αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς ὢν ἦν ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν, *Ipse Iesus existens erat quasi triginta annorum.* Deinde Lucas hoc ipso capite *versu* 1. & 2. admodum accuratè designat tempus, quo ministerium suum Christus inchoauit. Sic enim ait: *Anno autem decimoquinto Tiberii Cæsaris, Pontio Pilato procurante Iudæam, tetrarchâ Galilææ Herode, Philippo autem ipsius fratre tetrarchâ Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysaniâ Abilenes tetrarchâ, sub Pontificibus maximis, Annâ & Caiaphâ &c.* Nimirum Euangelista aggressurus descriptionem earum rerum, quas Dominus noster toto ministerii sui tempore gessit, temporis circumstantiam, quæ erat omnium maximi momenti, accuratè sic designauit, vt parem diligentiam alibi Scripturarum non sit deprehendere. Primò Imperatoris nomen ponitur, cuius erat tum per orbem terrarum diffusa & cognita potestas: nec solùm nomen, sed etiam annus Imperij illius, *Anno 15 imperij Tiberij Cæsaris.* Additur statim nomen Procuratoris Cæsaris, *Procurante Pontio Pilato.* Fuit is annus tertius currens procurationis Pilati. Parum hoc Lucæ visum, nisi etiam potestatum aliarum nomina addidisset, quæ tũc in Iudæâ & finitimis regionibus eminebãt. Amplissimum Herodis Magni siue Ascalonitæ regnum, mutatâ formâ, diuisum fuit ab Augusto tribus filiis Herodis in Ethnarchias tres, quarum maximam & cæteris duabus parem Archelaus, & eo pulso Cæsaris Procurator obtinebat: reliquas duas Archelai fratres, Herodes Antipas, & Phi-

Philippus. Vnde apparet, quæ sit causa, cur Imperatori statim subiecerit Lucas Procuratorem Iudææ; huic Tetrarchas: *Tetrarchâ Galilææ Herode* (is est Antipas) *Philippo autem fratre eius Tetrarchâ Iturææ & Trachonitidis regionis.* Postremo loco addit, *Et Lysaniâ tetrarchâ Abilenæ.* In hac tetrarchiâ non pauci Iudæi habitabant, in finibus Decapoleos, quò veniſſe Christum, atq; euangelium ibi prædicasse, & Decapolitanos plures ad ipsum ventitasse, eique μαθητευθῆναι, *eius discipulos factos esse*, tectantur euangelistæ. *Matth.* 4. *v.* 25. *Marc.* 5. *v.* 20. *c.* 7. *v.* 31. Atque hæc causa est, quòd huius quoque Lysaniæ mentio sit facta. Sequitur apud euangelistam, *sub Pontificibus maximis, Annâ & Caiphâ.* Hîc quæritur, cùm certũ sit, plures eodem tempore summos sacerdotes esse non potuisse, quomodo hæc verba sint accipienda? Resp. Caiaphas anno 15 Tiberij fuit Pontifex Maximus, & in eâ dignitate perseuerauit vsq; ad aduentum Vitellij in Syriam, vt author est *Ioſephus lib.* 18. *c.* 3. Totos igitur septem annos fuit hic Pontifex maximus, & aliquantò ampliùs. Quod attinet ad Annam, is fuit vicarius summi Pontificis. Constat enim ex Scripturâ, Pontificem maximum habuisse suum vicarium. Ille appellatus fuit *Pontifex primus*, & *magnus*, hic, *secundus*. Vide 2. *Reg.* 25. *vers.* 18. & 1. *Paral.* 24. vbi Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar, coniunguntur. Porrò per hæc tempora, & insecutos deinceps annos plures, inter omnes archieratici ordinis Pontifices præstitit Annas: qui & functus erat ipse iam illâ suprema dignitate, & postea tot filios suos in eandem vidit euectos. Nihil itaque mirum, quòd Lucas & hîc & in Actis Caiaphæ præponit Annam. Præponitur enim, non solùm vt socer genero, verùm etiam, vt is penes quem erat summa potestas in populo Iudaico.

co. Atque ita tenemus ſenſum verborum Lucæ. Vbi hoc vnum addimus, baptiſmum Chriſtii incidere in Septembrem vel Octobrem: quia nempe Chriſtus baptizatus eſt anno trigeſimo primo ineunte.

3978. Chriſtus celebrauit *primum paſcha* 14 Niſan. *Iohan. 2. verſ. 13.* Quid egerit ab hoc paſchate vſque ad ſecundum, cognoſci debet ex harmoniâ euangeliſtarum. Vetuſtiſſima res eſt in eccleſiâ, genus illud ſcriptionis, & piæ meditationis, quæ multorum occupauit induſtriam, in redigẽdis quatuor euangeliſtarum libris ad formam vnius, qui omnia contineat ſuis locis digeſta. Duæ ſunt eius propoſiti vtilitates præcipuæ: nam & conſenſus euangeliſtarum hoc pacto meliùs intelligitur, & memoriæ conſulitur mirificè. Petantur itaque ex huiuſmodi ſcriptis ea quæ à Chriſto geſta ſunt. Nobis ſatis eſt hoc loco interualla paſchatũ, quæ Dominus celebrauit, indicaſſe.

3979. Chriſtus anno ætatis 32 celebrat *ſecundum paſcha. Luc. 6. v. 1. Iohan. 4. v. 35. 45.*

3980. Chriſtus anno ætat. 33 celebrat *tertium paſcha. Iohan. 6. v. 4. Marc. 7. v. 1.*

3981. Chriſtus celebrat *quartum paſcha*, an. æt. 34. *Iohan. 7. v. 2. Luc. 9. v. 51.*

3982. Chriſtus celebrat *quintum paſcha*, an. æt. 35. *Mat. 26. Ioh. 11.* Celebrat, inquam, paſcha eo die, quo lex Moſis iubebat: cùm Iudæi illud tranſtuliſſent in ſabbatum. Itaque Chriſtus paſſus eſt ante paſcha Iudaicum, ipſeque tanquam verum paſcha immolatus eſt eo die, quo Deus præceperat paſcha mactari. Vide ſuprà in Computo.

An. Chriſti 35. Chriſto in cœlum ſublato vndecim apoſtoli complent numerum ſui collegii. *Act. 1.* Ad hunc annum refer geſta *Act. 2. 3. 4. 5. 6. 7.*

36. Eunuchus & Saulus conuertuntur. *Act. 8. 9.*

Pau-

37. Paulus Damaſco in Arabiam proficiſcitur. *Gal.* 1. pòſt redit Damaſcum. *Act.* 9. 2. *Corint.* 11. *Gal.* 1. ac triennio poſt conuerſionem venit Hieroſolymam ad Petrum. *Gal.* 1.

39. Paulus fugiens Iudæos, venit Cæſaream Phœniciæ, inde Tarſum Ciliciæ. *Act.* 9.

40. Cornelius conuertitur. *Act.* 10.

41. 42 43. Eccleſia Antiochena plantatur, ibique diſcipuli primùm vocantur Chriſtiani. *Act.* 11.

44. 45 46. & ſeqq. Herodes Agrippa eccleſias perſequitur, incarcerat Petrum, & Iacobum gladio occidit. *Act.* 12. Paulus & Barnabas peragrãt varias prouincias, ibique eccleſias fundant. Poſtea redeunt Antiochiam. *Act.* 13. 14. Quæ omnia collocanda ſunt in an. 45. 46. & ſeqq. vſque ad an. 50.

50. Apoſtoli concilium habent Hieroſolymis. *Act.* 15. Obſeruant docti, quatuor conciliorum mentionem fieri in Actis: primi, in quo eligitur Matthias, *cap.* 1. ſecundi, in quo diaconi inſtituuntur, *cap.* 6. tertii, in quo Iudaica inſtituta antiquantur, *c.* 15. quartum eliciunt ex hiſtoriâ *c.* 21. de Pauli aduentu Hieroſolymam.

51. Paulus cum reſcripto apoſtolico redit Antiochiam. *Act.* 15. Hic eſt annus 14 ab eâ profectione, quæ facta eſt poſt ipſius conuerſionem an. Chriſti 37. *Gal.* 1.

Deinceps in Actis deſcribitur peregrinatio Pauli. Hîc itaque apoſtoli Pauli *itinerarium* paucis trademus. Et primò quidẽ Paulus Antiochiæ docet: poſtea ſeceſſione Barnabæ factâ & allecto Silâ Syriam & Siciliam peragrat. *c.* 15. venit Derben & Lyſtram: Timotheum ſibi adſciſcit & circumcidit. *c.* 16. Peragrant Phrygiam, Galatiam, Myſiam. Veniunt Troadem. Inde Samothracem, ac pòſt Neapolim, & Philippos, vbi Lydia conuerſa.

52. *ibid.* Paulus & Silas per Amphipolim & Apolloniam

niam veniunt Theſſalonicam, Beroeam & Athenas. *Act.* 17. pòſt Corinthum. *Act.* 18. Hoc tempore ſcripſit Paulus vtramque epiſtolam ad Theſſalonicenſes.

53. Paulus Corintho diſcedit, poſtquam ibi manſiſſet an. 1. menſ. 6. *Act.* 18. Venit Epheſum, inde Cæſaream, Hieroſolymam, Antiochiam; pòſt ad
54. Galatas & Phryges. *ibid.* Paulus biennium manet
55. Epheſi, & ampliùs. *Act.* 19. ibi pugnat cum beſtiis, 1. *Cor.* 4.

56. Epheſo proficiſcitur in Macedoniam. *Act.* 20. peragrat eccleſias Græciæ: ſcribit vtramque ad Corinthios, Philippis; priorem ad Timotheum Laodiceâ, poſteriorem ad Titum Nicopoli. Redit Corinthum, indeque ſcribit epiſtolam ad Romanos, poſtquam euangelio omnia impleſſet inde ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum. *Rom.* 15.

57. Paulus Aſſo vehitur Mitylenam, Chium, Samum, Miletum, Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaida, Cæſaream, ac tandem Hieroſolymam. Ibi captus vinctuſque fidei ſuæ ratione reddit. *Act.* 21. 22. 23. Ducitur Cæſaream. *Act.* 23. 24. 25. 26. inde naui vehitur Sidonẽ cum Ariſtarcho & Lucâ. *Act.* 27. Sublegunt Cyprum, ſtringunt oram Ciliciæ & Pamphiliæ. Veniunt Myra vrbem Lyciæ, ibiq; cõſcendunt nauim Alexandrinam, quâ vehuntur Cnidum verſus, indeque profecti veniunt in Cretam, Claudam, Melitam. Poſt tres menſes veniunt Syracuſas, Rhegium, Puteolos, ac per forum Appii & tres Tabernas tandem
58. Romam. *Act.* 28.

59. Paulus Româ ſcribit varias epiſtolas: videl. ad Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, poſteriorem ad Timotheum; item ad Philemonem & Hebræos Romæ manet biennium, & ann. 60 exeunte liberatur exore leonis. 2. *Tim.* 4.

Anno

69. Anno mundi 4018. incipiente, 7. Septembris Hierosolyma cum templo exciditur per Romanos. Anno 4017. 14 Aprilis fuit obsessa, & inde vsque ad 7. Septembris horrenda quæque perpessa, iuxta vaticinium Danielis *cap.* 9. Confer cum *Matth.* 24. *vers.* 15. *Marc.* 13. *vers.* 14. *Luc.* 21. *v.* 20.

Octauum interuallum ab anno Christi 69 vsque ad an. 1359.

94. Iohannes euangelista scribit apocalypsin, & statum ecclesiarum septem in Asiâ depingit. *Apoc.* 1. 2. 3.

100. *Septem sigilla* figurant statum ecclesiæ post Iohannis excessum, vsque ad an. Chr. 606. hoc modo. *Quatuor priora* sigilla denotant prædicationẽ euangelii, bellum, famem, & pestem, inde à morte Iohannis vsque ad Constantinum Magnum, siue an. Chr. 307.

307. *Quintum sigillum* describit statum martyrum, & ipsorum preces, quarum effectum ecclesia sensit tempore Constantini Mag. qui religionem Christianam stabiliuit.

337. *Sextum sigillum* notat perturbationem ecclesiæ & politiæ post Constantini M. tempora, vsque ad ann. Chr. 606. Totum hoc tempus fuit bellorum & hæreseon feracissimum. Nam in politiâ cœlum terræ miscuerunt Persæ, Hunni, Gothi, & aliæ nationes. In ecclesiâ episcopi Romani, & alii doctores, abusi priuilegiis à Constantino M. concessis, veluti stellæ è cœlo ceciderunt, & terram cum cœlo, hoc est, secularem potestatem cum spirituali, & falsa veris permiscuerunt. *Apoc.* 7.

606. *Sigillum septimum* aperitur, quod ex se parit septem tubas, quarum operatio est ab an. Chr. 606 ad an. 1517.

Prima tuba produxit prodigiosam grandinem,

igni

igni & sanguine permixtam, h.e. turbulentum ingenium Phocæ, Papæ Bonifacii III. & Mahomedis, qui tres constituunt Cerberum tricipitem, ex quo aliquot flammæ noxiæ prosilierunt, ab anno 606 ad 650.

650. *Secunda tuba* corrupit mare, id est, doctrinam euangelii in oriente & occidente variis corruptelis infecit, ab an. 650 ad 730.

730. *Tertia tuba* introduxit absinthium disputationum idololatricarum, ab anno 730 ad 800.

800. *Quarta tuba* peperit eclipsin solis, lunæ, & stellarum, i. e. donorum ecclesiasticorum.

1073. *Quinta tuba* produxit locustas otiosas & inutiles, i.e. varios monachorum ordines.

1140. *Sexta tuba* genuit equites, h. e. prælatos ecclesiasticos, qui secularibus delectantur, & sunt velut equites in regno antichristi. His adde Summistas, Scholasticos, & alios parasitos curiæ Romanæ.

Nonum interuallum, inde ab anno Christi 1359 ad an. 1694.

1359. *Septima tuba* sonuit tempore Petrarchæ, Wiclefi, Hussi, & aliorum, qui bestiæ cõtradixerunt, ab an. 1359 ad an. 1517.

1517. *Septem phialæ* effunduntur: è quib. *prima*, circa an. Chr. 1517. super terram effudit vlcus malum & noxium: prædicatione euangelii excitando pessima animorum vlcera, iram, odium, liuorem, furorem, in antichristi ministris, aduersus euangelium, eiusque confessores, qui variis vlceribus, h. e. plagis sunt affecti ob constantem suam confessionem.

1545. *Secunda phiala* effudit super mare, h. e. doctrinam euangelii, colluuiem concil. Trid.

Tertia

Tertia phiala effundet in flumina & fontes aquarum, h. e. primipilares antichristi ministros, sanguinem siue bellum.

Ab anno 1625. ad an. 1694. *Quarta phiala* effundet super solum, h. e. euangelium Christi, clariorem lucem, quâ fiet, vt etiam Iudæi conuertantur. *Rom.* 11.

Quinta phiala effundet super thronum bestiæ tenebras, hoc est, obscurabit ipsius gloriam.

Sexta phiala exsiccabit aquas Euphratis, h. e. animabit reges orientis, vt destruant Babylonem occidentis.

Decimum interuallum, ab an. Christi 1694. vsque ad bellum Gogicum.

1694 Postquam sexta phiala erit effusa, incipient mille anni *Apoc.* 20. *v.* 2. *& seqq.*

2694 Elapsis mille annis incipiet bellum Gog & Magog. *Apoc.* 20. *v.* 7. 8. 9.

Septima phiala effundetur in aërem, descendetque ignis è cœlo, qui consumat Gog & Magog: & tunc erit acta mundi fabula. *Apocal.* 20. *vers.* 9. 10. *& seqq.*

LII.

PROSOPOGRAPHIA SACRA.

I. PRosopographia sacra est pars historiæ sacrę de viris & fœminis illustrib. V. & N. T. Tres sunt veluti columnæ historiarum, circumstantia videl. personarum, locorum, & temporum, quæ totidem partibus explicantur, vtputà prosopographiâ, topographiâ, & chronologiâ. Ex his vltimam vide paulò antè traditam: nunc primam persequemur, vel potiùs adumbrabimus, idque ex sacris literis. Vbi accusanda est impia ignauia illorum, qui malunt Themistoclis, Scipionis, Alexan-

lexandri M. & aliorum ethnicorum, quàm Abrahami, Dauidis, Ezechiæ, & aliorum sanctorum pericula, sermones, victorias, etrores, lapsus, facinora, cognoscere.

II. Prosopographia sacra diuidi potest in decem sectiones, hoc ordine. *Prima* est libertatis ecclesiæ inuictæ: *secunda*, ecclesiæ per miseriam propagatæ: *tertia*, ecclesiæ à ducibus gubernatæ: *quarta*, regij ecclesiæ imperii: *quinta*, regni Israëlitici, seu Samaritani: *sexta*, regni Iudaici, seu Hierosolymitani: *septima*, ecclesiæ in Babylone exulis, atque restitutæ: *octaua*, ecclesiæ à regibus Asiaticis vexatæ: *nona*, gentium ecclesiæ aduersantium: *decima*, ecclesiæ nascentis in N. T.

III. Prosopographia tempore libertatis ecclesiæ inuictæ sic habet ex Genesi.

1. *Adam*, homo protoplastus, decipitur fraude diaboli, sed à Deo accipit consolationem ipsius clementiâ plenam, & in ecclesiâ docet annis 930.

2. *Eua*, ipso Deo authore & pronubo iuncta fuit Adamo, è quo sumta erat.

3. *Cain*, primus ex homine natus homo, singulare parentum gaudium, in adolescentiâ cœpit agrum colere, tandem factus fratricida. Condidit primam vrbem, quã vocauit de nomine filii sui Chanoc.

4. *Abel* apud parentes minùs gratiosus, quàm Cain, respicitur & curatur à Deo.

5. *Seth*, tertius Adami filius, maximum parentis afflictissimi solatium fuit. Cùm enim alterum cæde, alterum fugâ amisisset, huius ortu recreatus fuit mirificè. Hic patris disciplinâ sanctâ imbutus, promissionis defensor acerrimus, & caput ecclesiæ nascentis fuit annis 912.

6. *Enos*, filius Sethi, quæ de Deo ab auo atque patre intra priuatos parietes didicerat, extra domum extulit, & cum multis aliis publicè communicauit, masculè se opponendo Cainicæ ecclesiæ, hypocriticæ illi & immanè soboleſcenti.

7. *Enoch*,

7. *Enoch*, trinepos Sethi, doctor ecclesiæ veræ, & propheta excellentissimus fuit. Per fidem translatus fuit ipso corpore ad vitæ melioris gaudia: exemplo manifesto posteris relicto, aliam superesse vitam.

8. *Lamechus impius*, filius Methusaëlis, de Caini stirpe, fuit membrum ecclesiæ hypocriticæ, & author digamiæ. Eius filius *Iabal*, fuit inuentor tentoriorum & pecuariæ: *Iubal*, organorum musicorum: *Thubalcain*, artis ferrariæ.

9. *Mathusalem* fuit omnium mortalium μακροβιώτατος.

10. *Lamechus pius*, filius Mathusalæ, trinepos Enochi, digna fuit virorum summorum proles, pater Noachi, & spiritu prophetico venerabilis.

11. *Noa*, Deo charus, mortalium miserrimus & felicissimus fuit. Nam ante diluuium conspexit maximum Dei contemtum: in diluuio videt iram Dei & omnium rerum interitum, ipse tamen cum suis saluus in arcâ: post diluuium est quasi alter Adam vtpote seminarium alterum humani generis; perfert ludibrium Chami, plantat vineas, detestatur temeritatem ædificantium turrim.

12. *Cham*, Noæ filius natu minimus, fuit turpis apostata & homo facinorosus. Habitauit meridiem versus, & ab eo Æthiopes, Ægyptij, Numidæ, Mauri, & omninò Afri deducti sunt.

13. *Iapheth*, Noæ filius secundò genitus, locum in ecclesiâ Dei, & possessionem terrarum amplissimam accepit. Ab ipsius posteritate gentes hæ bellicosæ, Medi, Scythæ, Sauromatæ, Thraces, Germani, Itali & Iberi descendunt, qui sedes in occidente & septentrione potentissimas fixerunt.

14. *Sem*, Noæ filius natu maximus, hoc à Deo priuilegium accepit, vt ecclesia apud ipsius posteritatem maneret, & ex ipso Messias nasceretur. Hic est Melchisedec, rex Salem. Ab illo populi orientales, homines sapientissimi, Chaldæi, Assyrij, Persæ, Syri, Armenij, & Bactriani, ortum trahunt: inter quos ecclesia Dei longo tem-

pore hospitium habuit. Videris hâc de re *Thesaurum chronologiæ nostræ.*

14. *Nimrod*, nepos Chami, vir audax & strenuus, initium dedit monarchiis, quas Deus texit, vt in iis maneret aliquis nidulus ecclesiæ.

15. *Heber*, pronepos Semi, suis maioribus non dissimilis, doctrinam de Deo & Messiâ purè casteque propagauit, & pro eâ propugnauit. Hinc, qui ad piam ecclesiam se aggregarunt, ab eius nomine, multis seculis Hebræi sunt denominati.

16. *Phaleg*, filius Heberi, paternæ auitæque doctrinæ auditor & propagator, eo tempore natus est, & facto nomen eius conuenit, quo Deus, linguis confusis, dissipauit agmen Nimrodicum, in turri Babylonicâ extruendâ occupatum. Maxima tum clades illata est ecclesiæ, & passim creuit superstitio multiplex. Quemadmodum autem homines, pœnâ confusionis linguarum in varias gentes, ex vnâ vrbe distracti sunt: ita dono intelligentiæ linguarum, omnes nationes & populi in vnam ciuitatem, quæ est ecclesia, rursus congregati sunt, *Act.* 2.

17. *Thara*, trinepos Heberi, pater Abrahami, habitauit in Vr Chaldæorum inter idololatras, & speciosâ illorum religione in errorem inductus fuit. E Chaldæâ migrauit cum filio, nuru, & nepote in Mesopotamiam, & in vrbe Haran, quam posteri Carras nominarunt, mortuus est.

18. *Nahor*, filius Tharæ, mansit in Mesopotamiâ, & eruditus à fratre suo Abrahamo, retinuit aliquid de promisso Messiâ. Eius neptis fuit Rebecca. Bileam putatur fuisse ex eius progenie.

19. *Abraham*, ex idololatrâ fit pater credentium. Eius domus fuit velut hospitium angelorum. Fuit homo Deo quasi intimus, pater magnus plurimarum gentium, charus Melchisedeco.

20. *Sara*, vxor Abrahami, virum sponte in exilium sequitur: propter eximiam formam bis rapta, semel in Ægypto,

gypto, iterum in Palæstinâ, saluâ pudicitiâ semper restituitur. Decus matronarum, propter pietatem: & sexus sui ornamentum, propter mariti obseruantiam: ab apostolo Petro exemplum omnib. mulierib. proponitur.

21. *Loth*, Tharæ nepos, Saræ frater, patrui sui Abrahami comes indiuiduus, bona cum eo malaque tolerauit. Ab hoc Moabitæ & Ammonitæ, nominis Hebræi hostes sempiterni, sunt procreati.

22. *Hagar*, Ægyptia, in domo Abrahami seruiuit seruitutem; iuncta thalamo domini sui, procreauit ei Ismaëlem. In fugâ, consilium; in exilio, solatium & auxilium ab angelo accepit.

23. *Ismaël*, ex seruâ filius Abrahami, cùm insolesceret, iniustè quæsitâ hæreditate excidit: aliis formidabilis, ipse nullius metuens vires aut potentiam, duodecim principes genuit. Ab illo Midianitæ & Arabes, & postea Saraceni, ducere se prosapiam gloriantur.

24. *Abimelech*, rex Palæstinorũ in Gerar, primùm vxorẽ Abrahami, deinde Isaaci, putans vtriusque sororem esse, in suam familiam transtulit: sed errore suo cognito, maritis sine infamiâ atque morâ, non tamen sine exprobratione simulationis & silentii noxii, eas reddidit. Tempore difficillimo famis, hospes & nutritor ecclesiæ fuit.

25. *Mambres*, & *Ephron*, pii hospites ecclesiæ Dei, & auditores ac socii Abrahami fuerunt.

26. *Eliezer*, Damascenus, seruus atriensis & procurator domus Abrahami, primò propter sterile domini coniugium putatus fuit hæres extraneus; siue non suus, vt ICti loquuntur: postea legatus Abrahami factus, ad quærendam filio Isaaco vxorem, eâ legatione perfunctus est singulari fide, pietate, industriâ.

27. *Bathuel*, Syrus, filius Nachoris, Rebeccam filiam benè educatam, Isaaco absenti despondit, magnificè peractis sponsalibus.

28. *Isaac*, è corporis emortuis præter naturæ atque ætatis rationem & ordinem natus, patri suo Abrahamo vs-

que adiugulum pâret. Varias acerbitates expertus est. Nam Abimelech ipsum expulit Gerare, importunus filius Esau priuatam quietem ipsi turbauit, cæcitas ipsum in senectute afflixit, & sedes incerta in peregrinatione molestiam non exiguam creauit.

29. *Rebecca*, vxor Isaaci, fuit virgo multæ virtutis & formæ: iuncta viro, cùm esset sterilis, mariti precibus & fide ardente prolem impetrauit, vnoque partu gemellos est enixa. Hæc matrona virum senem & cœcum curauit fideliter, filium periclitantem seruauit piè, nurus acerbas longo tempore tulit moderatè, familiam copiosam gubernauit prudenter: suæ domus columen, & ecclesiæ lumen.

30. *Esau*, Isaaci filius, corpore pilosus & rufus (vnde ipsi nomen Edom) moribus truculentus & vehemens, studiis venator & agricola, patri charissimus, excidit iure primogenituræ, & fugatis Horræis montana Seiris vi occupauit. Ab ipso gens Idumæorum, populo Dei semper infesta, nomen atque opes comparauit.

31. *Iob*, ex posteritate Nachoris, vel, vt aliis placet, Esaui, inter Idumæos infideles innocenter, inter Vsitas impios, sine reprehensione vixit. Omnibus suis bonis & liberis amissis, variisq; calamitatibus exercitus, tandem ærumnarum liber atque vacuus, ea bona, quæ amiserat, dupliciter recepit, & sobole formosiore auctus fuit, non tamen, vt in cæteris bonis, duplicatâ, quia prior in Dei manibus adhuc viuebat, quamuis mundo extincta fuerat.

32. *Laban*, Syrus. Iacobi auunculus, homo turpis auaritiâ, calliditate, & perfidiâ, nullo lucro satiatur, nullâ copiâ expletur, nullo beneficio mitigatur.

33. *Lea*, Labanis filia, amitino suo Iacobo astutè tradita, propter lippitudinem minùs chara marito, propter fœcunditatem sorori inuisa est. Ipsa verò contemtum & inuidiam fert submissè. Mater Iudæ fuit, à quo & tribus pecu-

peculiaris, & tota gens Iudæa appellatur: & ex eius sanguine atque stirpe tandem Messias nascitur.

34. *Dina*, Leæ filia, leuitate puellari seipsam pudicitiâ, multos mortales, putà Sichemitas, vitâ spoliauit. Hanc suo agnato Iobo datam postea coniugem Philo scribit.

35. *Rachel*, filia Labanis, primo aspectu fuit amata à Iacobo, qui pro ipsâ seruiuit annis quatuordecim.

IV. Prosopographia, tempore ecclesiæ per miseriam, in Ægypto & deserto, propagatæ, ex Genesi, Exodo, & reliquis libris Mosè, itemque ex libro Iosuæ, sic habet.

36. *Iacob*, Isaaci filius, homo placidus & prudens, à fratre securo ius primogenituræ emit, & benedictionem à patre consequitur astu matris. Fuit vir Deo charus & propè familiaris, qui post varias calamitates tandem inediâ coactus in Ægyptum venit: vnde post mortem fuit transportatus in terram Canaan, & ad auipatrisque monumenta tumulatus: cum quibus de nascituro Messiâ ex ipsorum lumbis, promissiones lætas audiuerat. Vnde Deus, cùm suam magnificentiam & veritatem fidelibus in V. T. voluit declarare, se Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi nominauit.

37. *Ruben*, primogenitus Iacobi filius, thoro patris inquinato, ius primogenituræ amisit, & pœnam incestus luit in totâ posteritate. Nam tribus illa numero semper exigua, & viribus minùs potens cæteris fuit. Nati sunt ex hâc tribu propheta *Ioel*, & vidua *Iudith*.

38. *Simeon*, & *Leui*, homines audacissimi, & patri suo improbè aduersi, nimiâ iracundiâ sororis stuprum crudeliùs vindicant, violato fœdere cum Sichemitis inito. In fratre Iosepho occidendo primas immanitatis partes ferunt. Eorum posteritas inops & vaga perpetuò fuit. Simeon partem possessionis in tribu Iudæ consecutus est: Leui proprium nihil omninò habuit, eique exautorato stirps Iosephi successit. Ex hâc tamen tribu Leui despica-

tissimâ, Deus sibi ministros & sacerdotes legit. Post hos autem filios Iacobus pater nulli ampliùs filio imprecatur, quia misericordia Dei præponderat iudicio. Ex tribu Leui nati sunt *Moses*, *Samuel*, *Ieremias*, *Ezechiel*, *Zacharias*, & *Iohannes Baptista*.

39. *Iudas*, quartus Iacobi filius, fratrem Ioſephum, ne occideretur, seruauit. Mortuâ vxore nurum suam Thamar insciens compressit. Huic amplissima precatus est pater moriturus, dignitatem inter fratres, victoriam de omnib. hostibus, primatum in ecclesiâ. Ab eius nomine populus vniuersus, Iudæi: pars Palæstinæ nobilissima, Iudæa est appellata: & tribus Iudaicæ excellentia vsque ad Christum durauit. Hinc appellatur tribus βασιλική.

40. *Dan*, habitauit in parte Beniaminis, iuxta mare. Posteritas eius felix & potens fuit. Ex hâc tribu prodierunt fortissimi duces, *Simson* & *Maccabæi*. Hanc tribum omittit apostolus *Apoc.* 7. non quòd Antichristus ex eâ nasciturus esset, sed quòd tribus Dan fecerit initium publicæ defectionis, *Iudic.* 17. *v.* 18. atque ita figurauerit apostasiam Antichristi. Quæ etiam causa est, quòd Ephraim ab apostolo ibidē præteritur. Nam ex tribu Ephraim oriundus fuit Ieroboam, author defectionis in Israële. Omittuntur itaque Dan & Ephraim tanquam typi malitiæ Antichristi, quam ille per bina sua brachia, seculare & spirituale, exercet. Tribus Dan brachium spirituale, Ephraim seculare notat. His substituuntur Leui, ordinarius templi minister, & Ioseph, dux populi Dei in Ægypto.

41. *Naphthali* accepit regnum Iabini, & Galilæam superiorem, monti Libano & agro Damasceno contigua. Sæpe à vicinis Syris hæc tribus bello & incursionibus tentata, Dei beneficio euasit. Ex hâc tribu prodierunt *Debora* & *Tobias*.

42. *Gad*, & *Aser*, procrearunt posteros magnanimos, de quibus nemo victorias deportauit lætas & incruentas. Possederunt solum terræ bonum atq; fertile. Ex tribu

bu priore oriundus est *Elias*, è posteriore, *Anna*, quæ Messiam in templo est amplexata.

43. *Isaschar*, & *Zebulon*, progenuerunt posteros inter seseplanè dispares. Nam posteri Isascharis reliquis tribubus quasi circumuallati, terramque amœnissimam possidentes, pacis studiosi erant: ideo quietis & tranquillitatis causâ, seruitutem atque iugum non recusabant. Posteri autem Zebulonis, quia loca colebant maritima, otium desidiamque perosi, vacabant negotiationibus, & resistebant potentibus vicinis. Huius tribus alumnus fuit *Ionas* propheta.

44. *Iosephus*, pietate, scientiâ diuinandi, fide, castitate, patientiâ, obedientiâ, imò & regiis virtutibus præditus, fuit verissimus vates, sanctissimus doctor, optimus princeps, suæ gentis ornamentum, alienæ firmamentum, Christi inter latrones imago in carcere, & mox in dignitate constitutus, eiusdem exaltati typus.

45. *Beniamin*, minimus natu Iacobi filius, non in Syriâ, vt cæteri fratres, sed in Cananæâ natus est. Posteri eius propterlibidinem penè internecione delentur. In distractione regni hæc tribus adhæsit Iudæ. Ex illâ nati sunt *Ehud, Saul, Mardochæus, & Paulus*, maximus inter apostolos.

46. *Manasses*, primogenitus Iosephi filius ex coniuge Ægyptiâ, adoptatus fuit ab auo in filiorum propriorum hæreditatem, exauthorato Leui. Multâ felicitate & gloriâ honestati fuerunt posteri Manassis; qui cùm propter nobilitatem, & opes ingentes superbirent, & cultum Dei sanctissimum nihil curarent, in seruitutem perpetuam rediguntur.

47. *Ephraim*, alter Iosephi filius, patre renitente, ius primogenituræ ab auo adipiscitur, &, excepto Iudâ, omnium est florentissimus. Eius posteri fuerunt ingenio feroci & tumultuoso.

48. *Thamar*, Cananæa, inter mulieres exteras, prima Christi auia numeratur.

49. *Peres*, Iudæ filius ex inceſtuoſo coitu cum Thamare, tantâ fuit integritate & felicitate, vt poſteri gratulaturi nouis coniugibus, domus Peres felicitatem optarent. Eius filius Eſrom, nepos Aram, & pronepos Aminadab, in genealogiâ Dauidis & Chriſti collocantur.

50. *Potiphar*, Pharaonis aulicus primarius, malè meretur de Ioſepho, ſpectatæ fidelitatis ſeruo.

51. *Pharao*, cognomento *Pius*, item *Amoſis*, ſiue *Amos*, fuit nutritius & hoſpes eccleſiæ liberaliſſimus, Ioſepho & Iacobo familiariter vſus.

52. *Pharao*, cognomento *Impius*, & *Buſiris*, eſt tyrannus infanticida. Huic geminus eſt Pharao *Acherres*, ſiue *Cenchres*, qui renuit dimittere populum Dei, eâque de causâ grauiſſimas pœnas dedit.

53. *Siphra*, & *Pua*, obſtetrices optimæ, Pharaonis calliditatem prudenter deludunt, & à Deo ornantur præmiis.

54. *Amram*, filius Caathi, nepos Leui, amitam ſuam Iochebedam vxorem ducit: ex quâ *Aharonem & Moſen* filios procreat tempore promulgati edicti de infanticidio.

55. *Aminadab*, pronepos Peres, nobilitate domus Iudæ, & affinitate domus Leui, celebris fuit. Nam Aharoni filiam ſuam Eliſebam in matrimonium collocauit.

56. *Naaſſon*, Aminadabi filius, Aharonis affinis, dux ſuæ tribus à Deo eligitur. In ſuo magiſtratu vir vtilis eſt eccleſiæ, annos duo-de-quadraginta. Verùm in finibus regionis Moabiticæ ipſe cum aliis, nec à gentilium ſacris & fornicatione abſtinuit, nec populum vt abſtineret, authoritate ſuâ auertit. Quocirca cum vndecim reliquarum tribuum principibus, latâ à Deo ſententiâ, in crucem agitur.

57. *Iethro*, alio nomine *Hobab & Raguel*, ſacerdos idemque præſes Midianitarum, Moſen exulem hoſpitio excepit, eique Zipporam filiam matrimonio iunxit, denique ſalutari conſilio eum iuuit.

58. *Zippora*, Moſis uxor, filium, quem octauo die non permi-

permiſit à marito circumcidi, tandē ipſa circumcîdit. Sed propter legis ſæuitiam marito conuitium faciens, eum deſerit, & in domum patris repedat, vnde, authoritate patris, reducta, Moſi reconciliatur.

59. *Obabus*, Iethronis filius, alio nomine dictus *Cineus*, cum Moſe affine per deſertum proficiſcitur, eique, hominum ac locorum gnarus, non parum commodat in itinere difficili & longo. Eius poſteritas, gens *Cinæa*, à Saule conſeruatur, iuſſu Dei, cùm populum Amalekitarum deleturus eſſet.

60. *Moſes*, miraculosè conſeruatus in infantiâ, regiè educatus in pueritiâ & adoleſcentiâ, gloriosè vocatus à Deo in virili ætate, magnificè à Deo ſepultus in extremâ ſenectâ, fuit propheta & dux inſignis. In locum promiſſionis non venit, vti lex ad cœlum non deducit. Vulgo appellatur cancellarius Dei.

61. *Iſraelitæ*, numero aucti in Ægypto, & ibi iugo intolerabili preſſi, ſed miraculosè conſeruati, & tandem inde per mare rubrum & deſertum in terram Canaan deducti, ſunt typus eccleſiæ militantis.

62. *Maria*, ſoror Moſis, ſpiritu prophetico prædita, contra fratrem inſolenter locuta, & ideò ſcabroſo lepræ morbo deformata, & ab eo precibus fratris à Deo ſanata, eſt exemplum fœminæ heroinæ, & fœmineæ quoque infirmitatis atque inconſtantiæ.

63. *Aharon*, frater Moſis, propter eloquentiam dictus fuit os fratris. Sacerdotium perpetuum cum ſuâ progenie obtinuit.

64. *Nadab*, & *Abihu*, filii Aharonis natu maiores, patris boni mala & ambitioſa ſoboles, igne repentino cœlitùs immiſſo, miſerabiliter conſumuntur, quòd vetitum ignem in deſerto adolere aggreſſi fuiſſent.

65. *Eleazar*, tertius Aharonis filius, ordinis ſui decus ingens, princeps principum Leuitarum à Deo conſtitutus, à patruo conſecratur. Cum Moſe & Ioſuâ res magnas & eccleſiæ ſaluberrimas gerit: cuſtos doctrinæ cœleſtis, &

legis auitæ defensor, & doctor populi vigilantissimus.

66. *Pinehas*, Eleazaris filius, Aharonis nepos, patris auique imitator, zelo, fortitudine, prudentiâ, neminiinferior, vir malis timendus, bonis venerabilis.

67. *Bileam*, Syrus, è Nachoris posteritate, sacerdos & propheta celebris, vaticinatus est de Messiâ, & multorum populorum occasu. Tandem corruptus mercede, regem barbarum abdito consilio instruit, eâque de causâ, iusto Dei iudicio, in tumultu inter populum impium ferro occiditur, suæque auaritiæ præmium fert iustissimum.

68. *Core*, pronepos Leui, inuidia & ambitione perditus, & gratiæ alienæ captator fraudulentus, factionem excitat contra Mosen & Aharonem patrueles suos. Eam ob causam, fundamentis terræ dehiscentibus, viuus absumitur. Floruerunt è posteris eius viri lectissimi, quorum hymni inter Dauidis carmina leguntur: magno solatio omnium, Deum esse clementem & propitium, si qui parentum malorum impia vestigia filii non sequantur.

69. *Dathan*, & *Abiram*, nepotes Rubenis, propter patris primogenita superbientes, contra Mosen conspirant cum Core: & eandem quoque luunt pœnam. In hâc conspiratione fuerunt Mosis tribules ducenti & quinquaginta.

70. *Selomithidis Hebrææ filius*, patre Ægyptio genitus, lapidatur, quòd blasphemasset nomen Dei. Maleficihuius nomen non est expressum: quia sanctissimum Dei nomen profanando meruit, vt suum nomen periret.

71. *Israëlitæ in deserto*, duci suo, id est Deo & Mosi, sæpissimè fiunt contumaces propter impatientiam: ideò in multas ærumnas incidunt suo vitio. Deum tamen nunquam non præsentem & misericordem senserunt: qui variis miraculis se propitium declarauit. Ex illâ autem multitudine ingenti, sexcentis videl. millibus hominum qui ex Ægypto exierant, Calebus tantùm & Iosua Iordanem transeunt: reliqui omnes in deserto extinguuntur propter

pter diffidentiam, & promiſſis beneficiis, eorum perfruuntur liberi.

72. *Achan* cum filiis & filiabus lapidatur, quòd in direptione Hierichũtis de anathemate ſibi aliquid ſumpſerat, eoque facinore iram Dei aduerſus totum populum, ab Haitis ideo fugatum, prouocauerat.

73. *Rahab*, Hierichuntina, per fidem fuit benigna hoſpita eccleſiæ, quando abſcondit duos exploratores Ioſuæ. Hinc, vrbe captâ, ſeruatur cum ſuâ propinquitate, & viri præſtantis, Salmonis, potitur coniugio. In Chriſti genealogiâ, è mulierib. externis, loco ſecundo ponitur. nam regis Dauidis fuit tritauia.

74. *Gabaonitæ*, ſtratagemate impetrant pacem à Ioſuâ, qui eos in fidem ſemel ſuſceptos defendit, mulctato nihilominus ipſorum dolo.

75. *Calebus*, de tribu Iudâ, vir eximius, ſolus in terram promiſſam venit cum Ioſuâ, ibique vrbes gigantum expugnat & poſſidet: quòd gigantéam populi incredulitatem animosè redarguiſſet. Tam fuit vegetis viribus, vt illæ ne ſenectute quidem diminutæ ſint.

V. Proſopographia, tempore eccleſiæ à ducibus gubernatæ, ex libris Ioſuæ, Iudicum, Ruth, & primo Samuelis, ita habet.

76. *Ioſua*, filius Nun, Ephraimites, miniſter Moſis, ſummo duce & prophetâ dignus diſcipulus, eſt ſpeculum magnanimæ fidei in terrâ Canaan explorandâ, & fortitudinis inuictæ in eâdem expugnandâ, iuſtitiæ deniq; & prudentiæ in rectâ ipſius diuiſione. Moſis factus ſucceſſor authoritate diuinâ, inauguratus eſt ab Eleazare. Ad preces eius ſteterunt Iordanes, ſol, & luna. Triginta & vnum reges internecione deleuit. Fuit vir ingenti fide, præſentiſſimo animo, tolerantiâ maximâ ſpectatiſſimus, & typus Chriſti eminentiſſimus.

77. *Othoniel*, fratris Calebi filius, de tribu Iudâ, Ioſuæ ſucceſſit in imperio, &, expugnatâ Debirâ, belli mercedẽ filiam Calebi accepit vxorem. Iugum externæ dominationis

tionis primum ipse primus à populi ceruicibus fortiter auertit.

78. *Ehud*, dux tertius, Eglonem Moabitarum regem fortiter obtruncat, decemque millia hominum selectorum occidit.

79. *Samgar*, in agro suo armenta ducens, & Philistinorum excursiones prædæ causâ resciscens, solus, pedo pastorali, armis videl. pro tempore oblatis, latrones sexcentos, Dei auxilio prosternit.

80. *Debora*, prophetissa & dux, tribulem suum Boracum belli ducem aduocat, populumque summâ cum authoritate gubernat.

81. *Gideon*, homo rusticanus, dum frumentum in horreo excutit, populi dux ab angelo designatur, & cõfirmatur cœlitus miraculo. Initio imperii aram & lucum Baalis in domo patris euertit: vnde *Ierobael* cognominatur. Stratagemate vsus hoc consequitur, vt Midianitarum centum & triginta quinque millia oppetant. Regium nomen atque sceptrum ad se delatum sponte detrectat. Ex prædâ autem hostili conflat idolum, idque in patriâ suâ dedicat: quæ profanatio diuini cultus, ipsi liberisque eius cessit in perniciem.

82. *Abimelechus*, Gideonis è concubinâ Sichemensi filius, regnum à suis ciuibus versutiâ eblanditur. Tyrannidem exercuit annos tres, dedecus gentis & generis sui, homicida ciuium, parricida fratrum 69, euersor libertatis, patriæ incendiarius.

83. *Thola*, patruelis Abimelechi, viro ambitioso & crudeli, ipse moderatus succedit. Eius temporibus pax vndique tranquilla & iucunda floruit.

84. *Iair*, dux octauus, fuit filiorum triginta pater, quos ciuitatum totidem principes constituit, quæ Iairis præfecturæ longo tempore dictæ sunt. Sub eo homines bono pacis abusi, à verâ religione deficiunt, & multas hostium vexationes ideò incurrunt.

85. *Iephtha*, Iairis ciuis & tribulis, è matre natus infami,

mi, consuetudine latrociniorum, & robur militare, & nomen celebre comparat. Hinc ciuium suorum consensu dux belli creatur, & hostes vincit, viginti ciuitatibus subactis. Voto temerario filiam mactasse vulgo putatur. Sed ex circumstantiis patet, mactationem fuisse commutatam perpetuæ virginitatis cultu. Cùm Ephraimitæ bellū ei non necessarium indicerent, duo & quadraginta ex iis prostrauit hominum millia.

86. *Abesan, Elon, & Abdon*, duces, fuerunt viri & honore publico, & obseruantiâ suorum inprimis nobiles & fortunati. Vixerunt enim cum liberis ac nepotibus suis, quos habuerunt bene multos (nam Abesan habuit triginta filios totidemque filias, & totidem generos in suâ domo aluit: Abdon filios quadraginta, & nepotes triginta numerauit) cum his, inquam, vixerunt in pace publicâ ætatem quietam & venerabilem.

87. *Simson*, alio nomine *Bedan* appellatus à tribu, robore gigantéo fuit. Philistæis plurima intulit damna in vitâ & in morte suâ. Qui ab hostibus capi non potuit, à fœminâ captus miserè periit.

88. *Eli*, de stirpe Ithamaris, quarti filii Aharonis, functus est officio sacerdotis & ducis. Confectus senio, ecclesiam commisit filiis, turpibus & nefariis adolescentibus: quorum flagitia ipse suâ indulgentiâ fouit. Inde factum, vt sterilitas & inedia populum incesseret, filii eius in bello perirent cæsis de populo triginta hominum millibus, ipse de sellâ decidens ceruicem frangeret. Durauit pœna diu in eius familiâ. Nam Achitob nepos partu immaturo editur, pronepos Achimelech trucidatur temporibus Saulis; abnepos Abiathar, à dignitate remouetur tempore Salomonis.

89. *Samuel*, precibus à Deo impetratus, & Deo à pueritiâ dicatus, ab Eli sacerdote instituitur. Propheta primarius & fidelis, & Deo ita charus, vt ab eo frustrà nihil vnquam petierit. A populo exauthoratus non tumultuatur:

tur: quin potiùs reges in gente suâ vnxit. Ab hoc Petrus Apostolus, prophetarum ducit initium.

90. *Iotham*, filius Gideonis natu minimus, stultitiam & sæuitiam Sichemitis exprobrat, & de futuro vrbis excidio vaticinatur.

91. *Noemi*, cum marito Elimelech & duobus filiis, ad alendam se atque familiam, penuriæ tempore, è Iudæâ in terram Moabitarum se confert. Marito ibidem defuncto, filiis puellas exteras despondet. Filiis quoque defunctis, ipsa redit in patriam, Bethlehemum, comitante Ruthâ nuru.

92. *Ruth*, Moabitis, orba marito & paupercula, socrũ Noëmim loco matris honorat, eique senectutem & orbitatem suâ pietate & obseruantiâ leniorem efficit. Viro autem nobili & locupleti Boozo iuncta connubio, fructus suæ pietatis magnos & insperatos percipit. Facta enim regis Dauidis auia est, & tertia è mulieribus peregrinis in genealogiâ Christi ponitur.

93. *Booz*, Salmonis filius, homo potens & magnâ in re Rutham sibi despondet, & ex eâ suscipit Obedum, auum Dauidis.

94. *Helcanas*, pater Samuelis, fuit bonus pater, quia filijs exemplum pietatis extitit: & commodus maritus, quia vxoris alterius morositatem, alterius sterilitatem patienter tulit.

95. *Penina*, vxor Helcanæ, mulier superba, Annam quia sterilis esset, exagitat.

96. *Anna*, mater Samuelis, matrona pia & patiens, multos annos degit sterilis.

97. *Ophni*, & *Pinehas*, filii Heli, summâ dignitate præditi, nihil honori sacerdotum egerunt conueniens, profani, indocti, indiligentes, auari, libidinosi, vecordes, impii. Ob quæ scelera grauiter fuerunt à Deo puniti. Vide paulò ante n. 88.

98. *Aminadab*, homo integerrimus, arcam Dei, à Philistæis remissam hospitio accipit: quæ ibi mansit vsque ad Dauidis tempora.

99. Io-

99. *Iohel*,& *Abias*,filii Samuelis, à patre iam ætate confecto principes constituuntur: sed à paternâ integritate & sanctimoniâ longè degenerant:contumaces,auari, insatiabiles,iniusti. Quamobrem,cùm neque domi neque foris essent ferendi, nouæ mutationis causa extiterunt turpissima,populo regem sibi petente.

VI. Prosopographia, tempore regij ecclesiæ imperij,ex libris Samuelis,Regũ, & Chronicorum,sic habet.

100. *Saul*, filius Cis, è tribu Beniamin, viribus & dignitate corporis homo eminentissimus, è clitellario in regem euehitur:regnum humilis accipit,sed integer non manet vltra biennium. Obiurgatus verbo Dei, seipsum semper defendit pertinacissimè, magis suæ laudis, quàm gloriæ Dei appetens. In præliis satis fuit felix,sed vti victoriâ ad gloriam Dei,etiam admonitus, noluit. Non curat Samuelem,Dauidem armis, Ionathanem odio prosequitur, sacerdotes & infantes occîdit, & pellit familias in exilium. Vsus autem hominum malorum consiliis,in exitium coniicitur,quemq; non audierat viuentem Samuelem, eundem mortuum per Pythonissam è tumulo euocare studet. Victus à Philistæis,sibi manum infert.

101. *Naas*, Ammonitarum rex, Saulo primus bellum infert, tanquam regi nouo & ignobili, sed infeliciter.

102. *Ionathan*,Saulis filius,pietate, fide, magnanimitate iuuenis insignis, amicitiam cum Dauide colit integerrimam. Hinc Ionathan & Dauid sunt par amicorum nobile.

103. *Isboseth*,Saulis filius, patre defuncto, duos annos regnat,beneficio Abneris.Sed ab illo desertus, eò angustiarum redigitur, vt solam ancillam habeat corporis sui custodem, & tandem à duobus tribulibus, in conclaui suo dormiens, interimitur.

104. *Mephiboseth*,filius Ionathæ loripes, à Dauide honorificè habetur;sed falso crimine apud ipsum à Sibâ accusa-

cusatus, bona omnia amittit. Restitutus in gratiam, partem eorum dimidiam recipit.

105. *Abner*, Saulis patruus, & eius copiarum dux, rege peremto, Isbosethum eius filium in solium collocat, annisque duobus fortiter defendit. Armis intestinis sæuientibus, alienatus à domino suo, mulierculæ causâ, transit ad Dauidem, à quo cum beneuolentiâ suscipitur: à Ioabo autem, æmulo suo, fratris necem vlturo, specie amicitiæ & colloquii insidiosè telo transfigitur.

106. *Doeg*, Idumæus, in aulâ Saulis vir magnus, accusat Achimelechum sacerdotem Nobensem familiarem suũ, quòd Dauidi, & commeatum & gladium dederit. Rex illud factum animo ita iracundo tulit, vt in omnes eius ecclesiæ sacerdotes capitalem ferret sententiam: quã cum nemo militum aut satellitum exequi vellet, solus hic Idumæus inuentus est, qui sanguinem innoxium suâ manu funderet: neque contentus supplicio sacerdotum, infantes, mulieres, ciues deniq; omnes, nullius ordinis, sexus, ætatis respectu, tolleret.

107. *Achimelech*, Heli pronepos, vir integer & hospitalis, Dauidi, exuli à se petenti, panes & gladium præbet. Eam ob causam à Doëgo coniurationis accusatus, & in aulam accersitus, inscientem se peccasse testatur, & veniam erroris atque delicti petit. Verùm excusationi eius & precibus locus ignoscentiæ non fuit. Nam iussu regis cũ sacerdotibus quinque & octoginta crudeliter iugulatur: & ecclesiæ Nobensis domicilium, & virorum optimorum collegium, iussu Saulis, & malitiâ Doëgi, deletur miserrimè.

108. *Rispa*, concubina Saulis, corpora duorum filiorũ, cum quinque filiis Michalis, à Gabaonitis suspensa, pallio suo tegens custodiuit, nec ab eis auelli potuit. Eius sedulam pietatem Dauid est remuneratus.

109. *Isai*, filius Obedi, Bethlehemites, fuit filiorum octo pater, è quibus Dauid, natu minimus, pastor erat, reliquorum contemtissimus. Hunc tamen Samuel iussu

Dei

Dei regem designauit. Quâ de causâ Saul Isaium cum omni familiâ odisse cœpit, & in exilium pepulit, cui rex Moabitarum immunitatem dedit & hospitium.

110. *Dauid*, adolescens cum leonibus lusit & vrsis: anno ætatis vigesimo ad regnum accersitur, populi suffragiis trigesimo demum confirmatur. Fuit sanctissimus propheta, potentissimus rex, felicissimus bellator, doctissimus musicus, exercitatissimus scriptor.

111. *Goliath*, viribus & vastitate corporis confidens, nec visu facilis, nec dictu affabilis vlli, à Dauide adolescente prostratus est lapilli ictu.

112. *Nabal*, è virorum clarissimorum, Calebi & Othonielis, posteritate, magni vir nominis atque locuples, sed tenax, crudelis, & sordidus, soli sibi viuere, benefacere nemini solebat.

113. *Ioab*, Dauidis auunculus, & summus copiarum ipsius dux, vir animo ferox, ingenio callidus, & vindictæ cupidus, omnibus bellis pro Dauide gestis victor fuit. Sed crudelitate suâ, quâ Abnerem, Amasam, & Absolomum interfecit, animum Dauidis ita abalienauit, vt præ ægritudine verbis illum tristissimis deuoueret. Cum Adoniâ tumultuante conspirans, mandato Salomonis, in ipso sacrario, ad quod confugerat, interficitur.

114. *Abisai*, auunculi sui Dauidis defensor constantissimus, tanto animi corporisque robore fuit, vt cum trecentis dimicare non vereretur, & pugnando solus victoriam de illis obtineret.

115. *Asabel*, cursor & bellator sui temporis celeberrimus, in flore adolescentiæ, suâ temeritate periit.

116. *Amasa*, Dauidis auunculus, dux copiarum Absolomi creatur. Prælio victus cum rege suo factioso, à Dauide propter virtutem & cognationem veniam impetrat, & belli præfectura loco Ioabi ipsi traditur. Ioabus inuidiâ & iracundiâ flagrans, ipsum fraternè seuocat colloquii causâ, sed inter amplexus sicâ ipsum traiicit. Amasæ interitum duplici nomine luget Dauid, & quòd duce altero

priuatus esset, & quòd alterum ducem contaminatum videret maximo facinore.

117. *Michal*, Saulis filia, Dauidi in matrimonium collocata, egregiè suam fidelitatem marito probauit. Tandem tamen paternâ dignitate superbiens, maritum despexit, cum ante arcam Domini gestiens & exultans incederet.

118. *Abigail*, vxor Nabalis, prudentiâ & modestiâ suâ maritum stultum liberauit è manibus Dauidis, qui eam, post obitum mariti, duxit vxorem, & habuit exilij sui comitem & sociam.

119. *Bathseba*, insigni venustate mulier, in nymphæo domi lauans, à rege conspicitur, qui eius impotente amore captus, marito ipsius Vriâ nefariè interfecto, eam duxit vxorem, & ex eâ sustulit Salomonem.

120. *Amnon*, primogenitus Dauidis filius, amore furioso, Thamarem sororem ex aliâ matre, perditè deperit, eamque lenocinio ad se pellectam per vim comprimit, & dehonestatam domo expellit. Absolom sororis ignominiâ motus, cùm nec Amnonem facti nefarij pœniteret, nec à patre rege castigaretur, tacitè secum de vindictâ cogitat, & demum post biennium, inter vina Amnonem incautum obtruncat.

121. *Absolom*, tertius Dauidis filius, nullâ animi dote, corporisque dignitate caruit. Sed patri suo vnam molestiam ex aliâ facessit, donec tandem in fugâ inuolueretur cæsarie ramis quercus, & ita pendens à Ioabo tribus hastilibus percuteretur.

122. *Adonias*, quartus Dauidis filius, cum Ioabo & Abiatharo stultè conspirat aduersus patrem. Quod ipsum cùm tentaret aduersus Salomonem, iussu eius interfectus est.

123. *Nathan*, ex Bathsebâ Dauidis filius, post Salomonem fuit natus, etsi 1. *Chron.* 3. *v.* 5. *&* *c.* 14. *v.* 4. ante Salomonem collocatur. Ex huius posteritate quidam putant Christum esse natum, quòd Salomonis posteritas in Ochoziâ

chozià defecerit. Sed hoc falsum esse liquebit infrà ex sectione 10. num. 345. vbi disputatur de genealogià Christi.

124. *Gad*, propheta, Dauidem exulem è terrâ Moabitarum reuocat. Idem, cùm populum numerari & censeri rex iussisset, è tribus pœnis inediæ, exilii, morbi, optionem vnius proponit.

125. *Nathan*, propheta, Dauidem adulterii reum, tectè quidem, sed liberè obiurgat. Idem optata loquitur eidem de regni perpetuitate. In errore magno versatur, dum iubet Dauidem Deo extruere templum. Factus adolescentis Salomonis præceptor, omni eum pietate doctrinâq;, tali adolescente dignâ, instituit. Adoniâ tumultuante, causam Salomonis tuendam, bonis & honestis rationibus suscipit. Tandem iussu Dauidis Salomonem inungens, diadema suo discipulo imponit, & ipsum populo meritis laudibus commendat.

126. *Abiathar*, sacerdos, filius interfecti à Saule Achimelechi, temporibus Saulis ad Dauidem se confert, & ab ipso ornatur dignitate summi sacerdotii. Sed oblitus meritorum, cum Adoniâ conspirat: quâ de causâ relegatus à Salomone, vitam priuatus finit. Honor sacerdotii in posteritate Ithamaris, in quâ ab Eli, vsque ad hunc eius abnepotem, annos circiter nonaginta durauerat, rursus in familiam Eleazaris transfertur.

127. *Zadoc*, sacerdos, filius Achitobi, de stirpe Eleazaris, Dauidi exulanti, quæ cauenda forent, per filium suum tacitè nuntiari, fideliter curauit. Hunc substituit Salomon in locum Abiatharis seditiosi.

128. *Ionathan*, Abiatharis, & *Achimaaz*, Zadoci filius, fratres patrueles, ambo sacerdotes, Dauidi fuerunt admodum fideles.

129. *Oza*, filius Aminadabi, cùm arcam Domini bonâ intentione sustinere vellet, manuque tangeret, ob id factum mortuus subitò concidit. Nimirum alieni muneris vsurpatio ipsi mortem repentinam attulit.

130. *Vrias*, vir ſtrenuus, à Dauide perfidè fuit obiectus præſentiſſimo mortis periculo.

131. *Ethaius*, proſelytus, ad populum Dei à Philiſtæis ſe aggregauerat. Fidus regis amicus atque ſocius nunquam non fuit.

132. *Chuſai*, abundans animo & conſilio, impedit cõſilium Achitophelis de perſequendo Dauidem ex itinere feſſum.

133. *Barſillai*, vir diues & copioſus, Dauidi maximè egenti, maximè munificum ſe præbet. Quod beneficium ita opportunum gratumque Dauidi accidit, vt eum in aulam ſuam vocaret pollicitationibus & honoribus. Verùm ſenectutem ſuam & vitæ conſuetudinem excuſans, agere ruri & mori in patriâ præoptauit.

134. *Sĩba*, quæſtor Mephiboſethi, Dauidem ab impio filio pulſum commeatu iuuat, ſed falſo crimine ſuum herum accuſat: cuius delationis gratiâ herilium bonorum potitur ſemiſſe. Poſt partam de Abſolomo victoriam, cũ filiis quindecim & vernis viginti, Dauidi rurſus occurrit, eique vadum Iordanis aperit. Propter eiuſmodi beneficij conſtantiam, datâ prioris cupiditatis veniâ, partem bonorum heri ſui adhuc obtinet dimidiam.

135. *Simei*, Saulis agnatus, Dauidis æmulus, hunc fugientem, maledictis & lapidibus inſectatur. Audito Abſolomi interitu, ſupplex ad Dauidem primus accedit, & trans Iordanem cum ſuis ſeruitiis traducit, veniamque procacitatis merito recenti impetrat. Salomon pœnâ capitali ei interdixit, ne extra vrbem regiam exiret: quod cùm ille faceret, ſeruos quoſdam fugitiuos inſequens, capitis ſupplicium incurrit.

136. *Achitophel* tantâ apud Dauidem æſtimatione fuit habitus, vt quidquid diceret, de cœlo prolatum duceretur. Defectione eius tantoperè Dauid conſternatus eſt, vt nullo vnquam periculo magis. Tandem præ impotentiâ laqueo ſibi fauces intercluſit.

137. *Seba*, iuuenis audax & inquietus, vix ſedato Abſolomi

lomi tumultu, nouos terrores ciet. Sed obsessus à ducibus Dauidis, capite truncatur à ciuibus Abelensibus.

138. *Iasabeam*, Dauidi coniunctissimus, vno prælio trecentos Philistinos, ipse solus prostrauit.

139. *Eleazar*, inter heroas Dauidis locum secundum obtinuit; *Samma*, tertium.

140. *Bananias* leonem in cisternam lapsum sine armis aggressus strangulat, & prouocatorem Ægyptium, altum cubitos quinque, dignum videl. spectaculo hominem, pedo aggreditur, & suo ipsum telo superat. Hunc Dauid sibi adhibuit, vt à secretis esset, eumque regiarum copiarum ductorem effecit.

141. *Hadadezer*, rex Sobæ, bis à Dauide superatus, pacem cum ipso init, eique fit tributarius.

142. *Hiramus*, Tyri rex, cum Dauide & Salomone propter virtutem & sapientiam vtriusque fœdus multorum annorum habuit, nominis Iudaici, & regum sapientissimorum socius & amicus, totius vitæ tempore fidelissimus.

143. *Salomon*, qui & *Iedidiah, & Lemuel*, Dauidis filius, florente ætate sapientiam à Deo petiit & impetrauit, templum Domini sumtuosè, regiam magnificè extruxit; politiam & ecclesiam bene constituit: procedente ætate mulierum externarum insanis amoribus correptus, & ab illis seductus deos gentiles adorauit: appetente fine vitæ resipuit, vt ex ecclesiaste ipsius patet. Salomoni συγχρονος videtur fuisse *Agur*, cuius mentio fit *Prouerb.* 30.

144. *Arabiæ regina*, è Sabâ Hierosolymam venit, excîta rumoribus de sapientiâ Salomonis. Thesauros multos dedit & accepit. Nomen Dei, sapientiam regis, splendorem populi, felicitatem gentis totius neque admirari, neque extollere satis ipsa potuit.

145. *Adad*, & *Rezon*, Salomonis, qui regum vicinorum terror erat, potentiam sustinuerunt, adeò vt ex ipsius prouinciis prædas hinc inde agerent, nemine prohibente. Hoc Salomoni accidit propter furores ipsius, & cultum idolorum.

146. *Hiramus*, artifex, regibus Tyri charus fuit, excellentiâ artis & ingenij. Ad Salomonem missus, templum Dei, & arcem regis extruit, tantâ peritiâ, tantoque artificio, vt similes ædes opere, magnificentiâ, sumtu, ornamentis, terrarum orbis nullibi habuerit.

147. *Adoniram*, fuit spectatæ vir diligentiæ, præfectus Salomonis ad inspiciendum labores & operas fabrorum trium millium & trecentorum, qui architectones essent: baiulorum septuaginta millium, qui onera portarent: lapicidarum octoginta millium, qui saxa & marmora foderent.

VII. Prosopographia, tempore regni Israëlitici, seu Samaritani, talis est, ex libris Regum & Chronicorum.

148. *Ahias*, propheta Silonites, temporibus Salomonis floruit, & regni à stirpe ipsius alienationem prædixit, atque Ieroboamo dominatus amplissimi spem indubitatam certo signo fecit.

149. *Ieroboam*, satrapa Salomonis fortis & industrius, decem tribuum rex ab Abihâ designatus, eâ famâ peruulgatâ, profugit in Ægyptum pauore. Post Salomonis mortem reuersus in patriam, rex proclamatur publicis comitiis. Hic est, qui Israelem peccare fecit, mutando cultum diuinitùs præscriptum. Sæpiùs accusatus ab Ahiâ, nihilo fit melior. Vnde quoties literæ sacræ regem impium appellant, Ieroboami dicunt secutum vestigia.

150. *Propheta anonymus*, è Iudæâ missus ad Ieroboamum, vaticinatur de euersione altaris in Bethel, & nomen euersoris futuri nominat Iosiam. Iussus iter suum ieiunus conficere, non paret mandato Dei, & ideo à leone dilaniatur.

151. *Nadab*, rex secundus, Ieroboami filius, anno regni secundo tollitur è vitâ miserrimè, inque ipso stirps & regnum Ieroboami deficit, quemadmodum Deus per Ahiam fuerat Ieroboamo minatus.

152. *Baësa*, rex tertius, ad regnum scelere peruenit.

Fuit

Fuit ſimilis Ieroboamo, ne quicquam proficiente prophetâ *Iehu*, quem Ella interfecit.

153. *Ella*, rex quartus, Baëſæ filius, fatuus & temulentus, à Zamrio magiſtro equitum inter vina opprimitur.

154. *Zamri*, rex quintus, interfecto Ellâ, ſedem regiam occupat, & diadema inſciente populo ſibi rapit. Populus ducem militiæ Amri, regem creant, & ad Tharſam, ſedem regiam, copias ſuas omnes adducunt. Zamri conſcientiâ facinoris & periculi præſentiâ amens, regiam clauſam incendit, & cum ſcelerum ſociis ſe cremat.

155. *Amri*, rex ſextus, per tumultum adipiſcitur regnũ. Diuiſo enim poſt Tharſam occupatam in duas factiones populo, à nonnullis eligitur Thibni, ſed Amri fautores prævaluerunt: rege autem alterius factionis in ipsâ contentione mortuo, communi conſenſu rex ſalutatur Amri. Qui ædificauit Samariam, & propter loci opportunitatem in eam tranſtulit regiam.

156. *Achab*, rex ſeptimus, filius Amri, regum omnium impiiſſimus, author fuit fœdiſſimarum ſuperſtitionum, & crudeliter perſecutus eſt prophetas. Eius vxor *Ieſabel*, Sidonia, regis filia, regum duorum mater, mulier importuna, iracunda, ſuperba, eccleſiaſticis & politicis negotiis ſeſe impotenter ingerens, tandem de feneſtrâ præcipitata periit.

157. *Elias*, Thesbites, fuit propheta magni zeli, miraculis clarus, quadrigis igneis in cœlum raptus. Poſt concilium Carmelitanum ſacerdotes Baaliticos octingentos & quinquaginta ferro iuſſit interfici.

158. *Vidua Sareptana*, Eliæ parat cibum tempore famis. Ideo vrnulæ ipſius nunquam farina, aut gutto oleum deerat, totâ illâ tempeſtate difficillimâ. Filium eius è morte excitauit Elias.

159. *Abdias*, aulæ Achabi præfectus, fuit fidus eccleſiæ hoſpes, ſed tectus & timidus.

160. *Nabothus*, falsò accuſatus læſæ maieſtatis, quòd

Achabo vinetum paternum prope regis palatium vendere nollet, teſtibus conductis damnatur, & lapidatur.

161. *Propheta anonymus*, mittitur ad Achabum, qui ipſum conſilio inſtruat, quo Syriæ regem Bendadum aggrediatur & vincat. Achab victoriâ potitus, non ſequitur præceptum prophetæ de occidendo hoſte. Ob quam lenitatem propheta regem increpat, & iram Dei iamiam arſuram in populum denuntiat.

162. *Benhadad*, I, Syrus, rex ſui ſeculi potentiſſimus, cum duobus regibus Iudæ, Abiâ & Asâ, confœderatus fuit: cum tribus regibus Iſraëlis, Baësâ, Achabo, & Ioramo, ferro dimicauit. Baëſam vicit vnâ incurſione, cum Achabo tria bella geſſit. Primo ſecum educit reges duos & triginta, ſed in fugam coniicitur: altero centum millia peditum amittit, qui gladio occubuerunt; ſeptem & viginti millia, qui ruinâ vrbis cuiuſdam interierunt: tertio demum victor fuit, quo & rex Ioſaphat fugatus, & Achab traiectus eſt. Iorami temporibus Samariam obſidione & fame preſſit: à quâ Deus mirabiliter exercitum ipſius depulit.

163. *Fœmina Sumanis*, Eliſæo hoſpitium ſubinde concedit, & ab illo variis beneficiis ornatur.

164. *Eliſæus*, ex agricolâ fit propheta, Eliâ dignus diſcipulis, oraculis & miraculis clarus.

165. *Gehazi*, fuit famulus Eliſæi primò fidelis, poſtea corruptus auaritiâ: quam ob cauſam leprâ inficitur, quæ ad eius quoque poſteros vulgata eſt.

166. *Pueri Bethelenſes*, improbitatis & proteruiæ ſuæ pœnas dant, quòd Eliſæum canitie venerabilem ſubſannarent.

167. *Nahaman*, regi Syriæ acceptiſſimus vir, à leprâ ſanatur per Eliſæum, & hoc beneficio allicitur ad cultum Dei.

168. *Diſcipuli Eliſæi*, victu tenui alebantur: qui, cùm per imprudentiam alicuius è medio ipſorum eſſet venenatâ quâdam herbâ infectus, ab Eliſæo corrigitur.

169. *Micheas*

169. *Micheas* vaticinando dicit quod res eſt, & ideò mulctatur colapho & cuſtodiâ.

170. *Sedechias*, propheta mendax, ſuperbus & percuſſor, habuit aſſeclas ferè quadringentos. Decepit Ioſephatum & Achabum. Tandem cum ſuis conuincitur vanitatis & audaciæ: & regum, qui ipſi crediderant, alter interficitur, alter vulneratur.

171. *Ochozias*, rex octauus, Achabi filius, parentibus peſſimis ſimillimus & infelix.

172. *Ioram*, rex nonus, auum, patrem, fratrem habuit reges. Ipſe in ſtirpe ſuâ poſtremus fuit: vir impius & infelix; in tumultu obtruncatus à Iehu tribuno.

173. *Iehu*, rex decimus, fuit inter viros robuſtos Iorami fortiſſimus, & inter duces eius ſt enuos celerrimus. Ab Eliſæi diſcipulo rex vngitur. Vſus eſt Eliſæi conſilio, & vaticinia Eliæ non ignorauit, eaque ſummis viribus eſt executus. Nam reges Iſraëlis & Iudæ, Ioramum & Ochoziam, de vitâ ſuſtulit: Iezabelem reginam de feneſtrâ præcipitauit: de regiâ ſtirpe homines centum & duodecim iugulari præcepit; filios videl. Achabi 70, & fratres regis Ochoziæ 42; itemque conſiliariorum & ſacerdotum Achabi magnum numerum. Conuentu Samariam indicto, Baalis ſacerdotes, inſidiis & ſimulatione in vnum collectos, interficit vniuerſos, & è templo eius cloacam publicam facit: vitulos tamen aureos non ſuſtulit. Poſteritas eius durauit ad quartam vſque ſobolem.

174. *Ioachas*, Iehu filius, rex vndecimus, fuit regum ante ſe omnium infeliciſſimus. Nam armis Syriacis ita eſt attritus, vt paucas ad corporis cuſtodiam equitum turmas haberet: & ex omni flore iuuentutis, ac populo potentiſſimo, vltra decem peditum millia non poſſet armare ampliùs.

175. *Ioas*, rex duodecimus, Ioachæ filius, aui ſui Iehu ſucceſſibus fuit vſus. Ideo ſeruator populi cognominatus eſt, & regnauit cum dignitate, & finitimorum terrore.

176. *Azahel*, Benhadi I. præfectus, in regem Syriæ vngitur ab Eliâ, confirmatur ab Eliſæo. Vtrumque regnum, Iudæ & Iſraelis, hoc tamen potiùs quàm illud, valde attriuit.

177. *Benhadad* II, regis Azahelis filius, non minore odio quàm pater, ſed minore ſucceſſu pugnauit in Iſraëlem.

178. *Ieroboam* II, rex decimus tertius, Ioæ filius, animo & felicitate patre non fuit inferior. Multis modis crudelitatem & ſuperbiam Syrorum eſt vltus. Aures autem præbens hypocritis, Deum ex animo ſecutus non eſt.

179. *Amos*, propheta factus ex bubulco, gnauiter & grauiter ſuo fungitur officio, nihil territus aduerſitatib⁹, quas expertus eſt, inprimis ab Amaſiâ, paraſito Ieroboami. Amoſo contemporaneus fuit *Ioel*.

180. *Ionas*, non modò ſui populi, ſed etiam gentium, puta Aſſyriorum, doctor, Ieroboamo regi addit animum contra Syros. Crinibus veluti fuit tractus ad obediendum Deo in legatione ad Nineuitas.

181. *Zacharias*, Ieroboami filius, rex decimus quartus, propter actam impiè vitam, omnem gloriam paternam vnà cum vitâ & regno amittit, obtruncatus à Sallum ſeditioſo. In hoc rege, abnepote Iehu, maiorum familia, & regni dignitas concidit: ita vti Deus minatus fuerat. Cauſæ ig. interitus familiarum ſunt idololatria & ſuperbia.

182. *Sallum*, rex decimus quintus, crudelis ſicarius & parricida, regnum cæde partum cæde amiſit.

183. *Manahem*, rex XVI. Sallunum tyrannũ occidit, & regnum ſibi vendicat, illudque adminiſtrat auarè & immaniter. Sub hoc rege *Phul* Aſſyrius infeſtat Iſraëlem.

184. *Phaceia*, rex decimus ſeptimus, Menahemi F. malo ingenio, & moribus ſceleratis regnauit petulanter. Huius petulantiæ præmium conſecutus eſt digniſſimum: enſe videlic. traiectus à Pecâ, vno ex optimatibus, qui à rege tertius cenſebatur.

185. *Peca*, ſiue *Phacéa*, rex decimus octauus, regis ſui parri-

parricida, cum audaciâ cõiunctos ſucceſſus habuit. Centum & viginti millia hominum occidit in bello, quod Iothamo regi Iudæ intulit. Sed à rege Aſſyriorum *Tiglatphilaſſare* vincitur, & ab Hoſeâ comprehenſus per inſidias, de vitâ tollitur.

186. *Obed*, propheta, clade Iudæorum intellectâ, exercitui Pecę triumphanti obuiam progreditur, & ſuadet, vt matronæ imbelles, & ætatis teneræ multitudo, incolumes dimittantur; idque impetrat.

187. *Hoſeas*, rex vltimus, potentiam violenter comparat, & violenter amittit. Regi Aſſyriorum Salmanaſſari factus tributarius, cum Ægyptio de rebellone cogitat. Proditis eius conſiliis, ab Aſſyrio captus, in vincula detruditur, & Samaria tribus annis obſeſſa expugnatur. Rege vincto, & captâ gentis metropoli, populus Iſraëliticus in perpetuam captiuitatem abducitur. Quarum ærumnarum cauſſa fuit Dei, & verbi eius contemtio. Durauit hoc regnum an. 258.

VIII. Proſopographia, tempore regni Iudaici, ſeu Hieroſolymitani, ex libris Regum & Chronicorum, eſt eiuſmodi.

189. *Rehabeam*, ſiue *Roboam*, rex primus, Salomonis F, puerili animo atque conſilio, cum adoleſcentibus ſtultis peruersè deliberans, populum alienat leuitate & ſuperbiâ. Ideò tribus ab eo decem ad Ieroboamum deficiunt: ipſe tribus duas, Iudæ & Beniaminis, tantùm retinet. Primo triennio bene ſe geſſit, vt Nero primo quinquennio. Poſtea nec ipſe Dei cultum ſincerum curauit, nec aliis conſeruauit priſtinum beneficium. A' Seſaco igitur rege Ægyptiorum affligitur, vrbe Hieroſolymâ direptâ, & regiâ atque ærario ſpoliato.

190. *Semeias*, propheta, exercitum Roboami contra regem Iſraëlis paratum, ſua authoritate reuocat, & arma regi animoſo excutit. Idem poſt vaſtatam prouinciam, & captam vrbem ſacram ab Ægyptiis, regem & principes conſolatur.

191. *Abia*,

191. *Abia*, rex ſecundus, filius Roboami, patre quidē ſapientior & fortior, ſed non minùs temerarius atq; impius fuit. Ieroboamum, qui duplò maiore exercitu ipſum intercluſerat, fugauit.

192. *Aſa*, rex tertius, Abiæ F, pietate & iuſtitiâ celebris, tranquillè regnat primis annis decem: quo tempore idola confringit, lucos incendit, homines impuros exilio mulctat, collapſam diſciplinam inſtaurat, religionis veritatem reuocat, denique matri peruicaci & ſuperſtitioſæ, & nomen Auguſtæ ſeu antiſtitæ, & potētiam reginæ adimit. Cum rege Æthiopum Zarâ, primùm prælio congrediens decies centena millia hominum internecione delet. Iterum cum rege Iſraëlis Baësâ, auxiliis Benhadadi Syri, pugnans, tribum Naphthali occupat. Foſſam ingentem, ad arcendas Iſraëlis incurſiones, impenſis magnis ducit. Ætate extremâ laborauit podagrâ.

193. *Azarias*, propheta, regi Aſæ gratulatur de victoriâ contra Ægyptios, & ipſum ſeueritate orationis ita impellit, vt idola euerteret, ſedemque & domicilium hoſpitibus piis concederet. Hic propheta fuit quaſi conſiliarius eccleſiaſticus Aſæ.

194. *Hanan*, propheta, regem Aſam grauiter obiurgat, quòd amicitiam cum Benhadado Syro iunxerat, & auxilium hominis, auxilio Dei omnipotentis antepoſuerat. Quâ accuſatione, rex alioquin minimè malus, ita excanduit, vt habenas iræ nimium laxaret, & prophetam in vincula coniiceret.

195. *Ioſaphat*, rex quartus, Aſæ F. fuit iuſtiſſimus atque optimus: niſi quòd cum regibus Iſraëlis, Achabo & Ochoziâ, affinitatem & ſocietatem iniit: quæ & prophetis diſplicuit, & ipſi eiuſque regno penè exitio fuit.

196. *Amarias*, ſacerdos, conſtitutus à Ioſaphato pontifex, nihil prætermiſit, quod ad viri ſapientis & ſeduli munus atque dignitatem pertineret. Idem fecit *Zabadias* in rebus ciuilibus. Vtriq; non defuit ſtudium & opera regis laudatiſſimi.

197. *Ie-*

197. *Iehu*, propheta, Hananis F, Ioſaphatum è bello Syriaco ſaucium reuertentem, animo forti increpat, regemque habet docilem & obſequentem.

198. *Iehaſiel*, propheta, idemq; Leuita & muſicus, prædicit Ioſaphato victoriam, & viam ad victoriam oſtendit, nempe fiduciam in Deum.

199. *Elieʒer*, propheta, Ioſaphatum obiurgat, quòd affinitati regum Iſraëlis plus tribuat & deferat honoris, quàm Dei verbo & virtuti.

200. *Ioram*, rex V, Ioſaphati filius primogenitus, fuit degener, impius, & infelix. Vxor ipſius Athalia, filia Achabi, fuit fœmina ſupra ſexum crudelis & furiоſa. Ioram laborauit alui profluuio per biennium, donec inteſtina defluerent, & ipſe tabe conficeretur.

201. *Ochozias*, rex ſextus, natu minimus Iorami F, remanſit ſolus ſuperſtes è fratribus, qui ab Arabibus occiſi erant. Huic cauſſa exitii & interitus fuerunt, mater ſcelerata, & conſiliarii improbi.

202. *Athalia*, ſeptimum locum obtinet inter reges Iudæ. Fuit furiæ, quàm reginæ ſimilior. Filio Ochoziâ defuncto tyrannidem arripit: templum Dei demolitur, Baalis erigit atque ditat: omnium piorum atrox aduerſaria. Regiam quoque ſtirpem Dauidis, parricidio extinguit, vno infante Ioâ excepto. Fuit ergo quaſi mater Antichriſti; vtpote quæ ſemen benedictum perdere & extirpare voluit. Ioiada ſacerdos ipſam è templo extractam, obtruncat, quòd cum Ioâ facere recuſaret.

203. *Ioas*, rex octauus, anno ætatis ſeptimo conſecratur oleo à Ioiadâ, magnâ ſpe indolis ſapientis & religioſæ. Facit ab initio omnia regis ſancti officia: niſi quòd Ioiadâ defuncto, eius filium Zachariam, ſacerdotem excellentem, lapidibus obrui finit: oblitus omnium beneficiorum, quæ acceperat: nec vllâ poſt id facinus felicitate domi aut foris vſus.

204. *Ioiada*, ſacerdos, cognomento Barachias, Ioam è manibus Athaliæ clam ereptum populo producit, & regem

gem proclamat. Templum, aram, ſtatuam Baalis confringit: Matthanem, ſummum ſacerdotem, ad aram mactat. Quamdiu regi à ſacris & conſiliis fuit, omnia in templo & repub. bene ſe habuerunt. Sed cùm è viuis exceſſiſſet, aulicorum Ioæ indulgentia & obſequium effecit, vt rex adoleſcens corruptus, & idololatra & tyrannus fieret.

205. *Zacharias*, Ioiadæ F. integritatis & libertatis paternæ imitator, aulicos Ioæ ſuperſtitioſos & effrænes, & regis imperiti animum ad inſaniam ſimilem trahentes, magnâ authoritate increpuit. Quod cùm illi ægrè ferrent, in veſtibulo templi, rege conniuente, lapidib. ipſum obruunt. Vindictam diuinam, & regi & aulicis, in ipsâ morte denunciat, nec fefellit vaticinium. Nam ſpatio anni nondum exacto, violentâ & malâ morte perierunt vniuerſi. Apud Matthæum Chriſtus cum Abele coniungit hunc Zachariam. Ita primus martyr V. T. eſt Abel, poſtremus Zacharias: de quo nempe ſacræ literæ expreſsè teſtantur.

206. *Amaſias*, rex nonus, Ioæ F, patris necem ſine crudelitate vindicat. Homicidas enim perimit, liberis eorum innocentibus parcit. Sub initium fuit felix.

207. *Propheta anonymus*, bis mittitur ad Amaſiam, qui priorem admonitionem æquo, poſteriorem iniquo fert animo.

208. *Ozias*, alio nomine *Azarias*, Amaſiæ F, rex X, fuit bonus paterfamiliâs, fortiſſimus vir, & prudentiſſimus gubernator. In magnâ felicitate eò dementiæ peruenit, vt ſacerdotis munus exequi aggrederetur. Quæ ipſius πολυπραγμοσύνη fuit punita leprâ incurabili.

209. *Azarias*, ſacerdos maximi animi, & legis antiquæ defenſor, regem Oziam adolentem incenſum prohibet: cui aſſenſi ſunt octoginta alii ſacerdotes.

210. *Iotham*, rex vndecimus, Oziæ F, patre ſuo propter morbum tetrum, à multitudine ſegregato, regni habenas tenuit, non ſine laude pietatis & magnificentiæ.

211. *Achas*,

211. *Achas*, rex XII. Iothami F, fuit omnium religionũ & cultuum externorum insipiens imitator: homo pessimus, & infelicissimus.

212. *Vrias*, sacerdos hypocrita, regis Achæ impiis furoribus, non modò non resistit, sed omnia eius iussa execranda scelerate comprobat & exequitur.

213. *Ezechias*, rex XIII, patris pessimi, filius præstantissimus, fuit Dei amans, & religionis veræ instaurator pius, & felix.

214. *Salmanassar*, Assyriorum imperator, capit Samariam, Hoseam regem abducit, & populum in exteras colonias distribuit, gentesq; Persicas in Iudæam mittit. Cùm autem agros Samariæ leones vastarent, & colonos ipsos laniarent, eis sacerdotem Israëliticum præfecit, qui populum expiaret, rectèque instrueret. Igitur religio Iudaica iam antè in Samariâ corrupta, cum gentili fuit commixta. Vnde Samaritani pessimè apud Iudæos audiuerunt, & conuitium est in historiâ euangelicâ, Samaritanum appellari.

215. *Sanherib*, siue *Sennacherib*, aliâs *Sargon*, filius Salmanassaris, ægrè facit Ezechiæ, qui frustrà ipsum conciliare studet muneribus. Exercitu eius ad Hierosolymam deleto ab angelo, ipse domum reuersus à duobus filiis natu maioribus ferro transfoditur inter sacra immanissima, quibus duos filios natu minores immolabat ad reparandum deorum fauorem.

216. *Tobias*, senior, ductus in Assyriam, à Salmanassare opes & præfecturam accipit, à Sanheribo fortunis rursus exuitur, à Sarchedone bona amissa recuperat. Iactatus variis periculis, Dei timorem non abiicit. *Tobias*, iunior, coniugio sibi iungit Saram, filiam Raguelis, qui erat consobrinus Tobiæ senioris, & habitabat Ecbatanis, vrbe Medorum regiâ.

217. *Asarhaddon*, vltimus imperatorum Assyriorum, filius Sanheribi, exemplo aui & patris, in Samariæ ciuitates colonos peregrinos introducit. Inter hunc & Sanheribum

ribum vulgo collocatur *Sarchedon*, seu, vt alii legunt, *Nachordan*, & ipse filius Sanheribi. Hunc dicunt clementiâ vsum erga Iudæos exules.

218. *Merodach*, rex Babylonius, fuit amicus regis Ezechiæ.

219. *Manasses*, rex XIV, Ezechiæ F, Rehabeamum, authorem corruptæ religionis, & omnes barbaros populos impietate superauit. Captus à rege Merodacho, in triumpho Babylonem abducitur, tum carceri tetro & vinculis durissimis annos decem includitur. Agens autem inter caratas & catenas pœnitentiam, Deo placato in regnum restituitur, & quidquid antea praui egerat, id publicè emendat. Regnauit diutiùs quàm regum quisquam, annos videl. 55.

220. *Esaias*, propheta, Amosi F, regis Amasiæ frater fuisse putatur: etenim Christum suum patruelem nominat. Fuit itaque doctor nobilissimus; sed & fidelissimus, & in linguâ suâ copiosus & eloquens. Regem Acham & Ezechiam in negotiis grauissimis, tempore calamitoso iuuit consiliis, consolatione, & precibus. Dicitur serrâ dissectus à Manasse.

221. *Micha*, *Habacuc*, & *Nahum* sunt contemporanei tum Esaiæ, tum inter sese.

222. *Amon*, rex XV, filius Manassis, quamuis patris vincula & calamitatem nouisset, tamen eo non modò nihilo melior, sed propemodum deterior fuit: ideò propter tyrannidem initio regni sublatus est à suis familiaribus.

223. *Iosias*, rex XVI, Amonis F, ætatis anno octauo rex creatur, cui similis pietate post Dauidem nullus vixit. Postremus in regum sepulchris conditur, neque post eum alius rex pius, aut laude aliquâ dignus in hoc populo vixit.

224. *Helchias*, sacerdos, auspiciis Iosiæ totum regnum à sordibus & impuritate superstitionis inanis repurgatum, in dignitatem veterem, Deoq; acceptam restituit.

225. *Sophonias*, propheta, ante reformationem Iosiæ con-

concionatur,& acriter incultum falsorum numinum inuehitur.

226. *Hulda*, aliis *Olda*, prophetissa, Helchiæ mater, maiore quàm pro homine & muliere sapientiâ prædita, ludũ puellarem aperuit, & pietatis initia corruptis temporib. tradidit. Eam, libro legis inuento, tanquam cœlestis doctrinæ magistram consuli rex Iosias imperat.

227. *Passur*, hypocrita, & primi nominis sacerdos, Ieremiam de bellis, dissipatione, & exilio multa tristia & ominosa quotidiè inculcantem, tanquam authorem seditionis, pugno percutit, & in carcerem templo propinquum coniicit. Huic similis fuit *Semeia*, pseudopropheta, qui *Zephoniæ* sacerdoti ambitioso & potenti assentatus est, eumque libro inscripto comparauit Ioiadæ: Ieremiam verò in inuidiam, quantum potuit, adduxit. His adde *Ananiam* pseudoprophetam, Ieremiæ æmulum.

228. *Rechabitæ*, à patre in mandatis acceperant, ne quid proprium haberent, neue vitę totius tempore vinum vnquam gustarent. Eorum obedientiam Ieremias, cum reprehensione totius populi, verbis grauissimis commẽdat, quòd contra patrem agere noluerint: populus verò ipsum Deum non vereatur contemnere, neque præsenti calamitate monitus, adhuc resipiscere incipiat.

229. *Ioachas*, rex XVII, primus Iosiæ F, mente & factis impius, exul in Ægyptum mittitur à Nechao rege Ægyptio.

230. *Ioachimus*, siue *Eliakim*, secundus Iosiæ F, fuit impius & infelix. Vinctus Babylonem abducitur.

231. *Vrias*, propheta, cum Ieremiâ consentiens & contra regem Ioachimum acerbè locutus, proscribitur, & ad supplicium postulatur atque rapitur.

232. *Nechaus*, rex Ægypti, Iosiam sibi bellum illaturum, missis nuntiis dehortatur, se trãsiturum per eius prouinciam sine maleficio, quòd ire iussus sit, mandato Dei, cõtra regem Medorum: sed Iosias suspectam habens eius fi-

dem, petitis acquiescere noluit. Pugnâ igitur commissâ Iosias occiditur, & Iudæa tota spoliatur ac fit tributaria. Postea Nechaus à Nebucadnezare superatur, & tota Ægyptus in Babyloniorum potestatem venit.

233. *Iechonias*, rex XIX, Ioachimi F, anno pueritiæ suæ octauo regnum accipit ab Assyrio. Populus fatuus eius ætatem contemnit, & contra Assyrium, seu potiùs Babylonium, res nouas molitur. Eam ob caussam & rex puer, & mater vidua, & regni optimates, & ex vrbibus artifices, & quicunque aliquâ re eminerent, Babylonem transferuntur.

234. *Saraias*, fuit Ieremiæ familiaris. *Ebedmelech*, patriâ Æthiops, regis Zedekiæ aulicus, salutem dedit Ieremiæ in pædore carceris iacenti. Sic ergò homo externus liberauit prophetam, quem sui ciues perdere satagebant. Istius humanitatis à Deo hanc mercedem retulit, vt in bello non caderet, & vitam, quam viro sancto dederat, ipse quoque lucraretur.

235. *Zedekias*, rex XX, postremus ille & miserrimus, tertius Iosiæ F, dictus antea *Matthathias*, fratri suo patruelià Babylonio substituitur: sed sacramenti immemor, & Ieremiæ faciem non erubescens, à rege deficit. Eâ de causâ Nebucadnezar misso exercitu vrbem obsidet, inque suam potestatem omnibus redactis finem imponit regno Iudaico, quod inde à Roboamo durauit annos 391.

IX. Prosopographia, tempore ecclesiæ exulis, atque restitutæ, talis est ex Ieremiâ, Ezechiele, libris Esdræ, Nehemiæ, Estheræ, Iudithæ, & Malachiæ.

236. *Ieremias*, Helciæ sacerdotis F, ab vtero matris consecratur doctor Iudæorum & gentiũ: à primâ vsq; adolescẽtiâ ad vitæ exitũ homo afflictissimus. Tot enim pene hostes habuit, quot auditores. In docendo fuit indefatigatus, in castigando acer, in periculis inuictus, in vinculis liber-

liberrimus, inimicus omnium impiorum ſempiternus. Optione ſibi datâ, vel in Iudæâ manendi, vel Babylonem migrandi, ruinas patriæ habitare maluit. Tumultu populari in Ægyptum per vim ducitur, & iuxta vrbem Taphnas tandem ſaxis obruitur, in loco celebri ſepultus, vt ſcribunt Græci.

237. *Gedalias*, vir nobilis & moderatus, Palæſtinæ præfectus à Babylonio relinquitur. Ieremiam benignè & honorificè tractat. Reliquiæ Iudæorum ſub ipſo vixerunt tranquillè: ſed ipſe vitio credulitatis nimium laborauit.

238. *Iſmael*, tyrannidem affectat, regiâ ſtirpe inflatus, Gedaliam hoſpitem ſuum bene de ſe meritum per inſidias euertit, Chaldæorum præſidia eiicit, & ſtragem magnam Iudæorum edit, tandem fugâ ad Ammonitas ſocios ſuos ſibi conſulit.

239. *Iohanan*, Iſmaëlis æmulus, Iudæos ab eo captos in libertatem reſtituit. Autor fuit populo, vt metu Iudæorũ in Ægyptum ſe conferret: cui maximâ contentione Ieremias repugnauit. Sed vicit Iohananis propoſitum: qui populum in barbaram prouinciam deduxit, & prophetam ligatum ſecum abripuit. Populus in Ægypto fame, bello, peſte conſumtus eſt, & incidit in Scyllam, dum Charybdim vult vitare.

240. *Achabus*, & *Sedechias*, pſeudoprophetæ, corruptores veræ doctrinæ, & vitiis omnibus contaminati, & hoſtes Ieremiæ capitales, cum aliis impiis in ſeruitutem Babylonicam abducuntur, & ibi libidinis atque flagitiorũ peſſimorum conuicti, ſententiâ Nebucadnezaris, in ſartaginem feruentem coniiciuntur. Inde eſt ſermone vulgi iactatum prouerbium, cùm alicui malum extremum quis imprecaretur, *Eueniat tibi, quod Achabo & Sedechiæ.*

241. *Baruch*, famulus & amanuẽſis Ieremiæ, de latere ſui præceptoris nunquam diſceſſit, nullo in periculo eum deſeruit, veram doctrinam & ipſe propagauit, tum in patriâ, tum in Ægypto, quo deductus fuit vnà cum Ieremiâ.

242. *Ezechiel*, tempore regis Ioachimi profectus est Babylonem sponte, cum iis, quos ad migrationem Ieremias hortatus fuerat. Conspectu Dei per varia simulachra fruebatur. Occisus perhibetur à principe Ægyptio, quem suâ παῤῥησίᾳ offenderat.

243. *Obadias*, Ezechieli σύγχρονος, consolatur populum exulem, & inuehitur in gentem Idumæam.

244. *Pelatias*, vnus è 25. principibus, quos populus extulerat, aduersa Deo consilia agitabat, & in summâ licentiâ viuebat, & à se dissentientes ferro necabat. Obiurgatus cum collegis ab Ezechiele, concione ipsius graui, nõdum finitâ, conterritus, in ipso loci sacri vestibulo subitò expirauit. Quo repentino casu reliqui principes ad emendationem vitæ vocati sunt.

245. *Arbaces*, seu *Arbactus*, Medus, sedem regiam è Nino in Ecbatana transtulit. Rex Babylonius sibi aliquem parem esse non ferens, magnum ei bellum infert, victũque in suam redigit potestatem. Ab hoc omnes Medorum reges dicti sunt Arbaces, vt Parthorum Arsaces, & Ægyptiorum Pharaones.

246. *Holofernes*, imperator regis cuiusdam, nomine Nebucadnezaris, quem ego putârim esse Merodachum, de quo suprà num. 218. hic, inquam, Deum & homines contemnendo, manu *Iuditha*, fœminæ viduæ, proprio acinace, in lecto suo interficitur.

247. *Achior*, princeps Ammonitarum, de statu populi Iudaici ab Holoferne interrogatus, de eius antiquâ origine, perspectâ sanctitate, & inuictâ virtute incorruptũ dixit testimonium: propter quod ad arborem fuit alligatus, iussu Holofernis. Sed diuino miraculo seruatus, ritu gentilitatis relicto, inter ciues populi Dei recipitur.

248. *Iuditha*, vidua Bethulienſis, pietate, castitate animi, formâ, diuitiis, eloquentiâ, æquè excellens, Oziã ducem animat, Holofernem exanimat, totumque regis Nebucadnezaris exercitum superat. Eius pedissequa, *Abra*, periculorũ socia, fidelitatem suam dominæ probat.

249. *Ozias*,

249. *Ozias*, dux Bethulienſis, minimè quidem fortis aut perſeuerans, attamen non pertinax, alios audiens, illiſque obſequens, bene meretur de populo Dei.

250. *Ioachimus*, ſacerdos, Aſſyriorum aduentu nuntiato, anguſtiàs montium, & aditus viarum claudit, per vrbes & caſtella milites diſponit: inprimis Dei iram iamiam graſſantem, ſuadet mitigandam abſtinentiâ & emendatione, promittitque præſens Dei auxilium pœnitentibus. Auditâ Bethulienſium victoriâ, Deo gratias agit ſolenniter.

251. *Suſanna*, Ioachimi vxor, non minùs ſanctitate, quâ formâ præſtans, iuſto Dei iudicio liberatur à teſtimonio & iudicio hominum iniuſto.

252. *Daniel*, in vniuerſo Chaldæorum regno, excelluit ſapientiâ, fortitudine, & pietate, charus & vtilis Nebucadnezari, Euilmerodacho, Belſazeri, Dario & Cyro, à quibus omnibus eſt & prȩmiis & honoribus affectus. Sepulchrum eius Babylone in angiportu multis ſeculis notum fuit.

253. *Nebucadnezar*, cognomento *Magnus*, poſt multas victorias, à Daniele inſtitutus conſequitur veri Dei notitiam: ab eodem admonitus, vt faſtum nimium deponeret, viro Dei non obſequitur. Iectus ig. in ſolitudinem, ibi obbruteſcit animo & corpore. Ad ſanitatem rediens, in ſolium rurſus collocatur, Deumque animo grato & humili colit.

254. *Sadrach*, *Meſach*, *& Abednego*, ſocii Danielis, propter ſtirpem regiam & ingeniorum ac formæ excellentiâ, in andronem regium accerſuntur. Breui tempore ita eminent ſapientiâ, vt præfecturis prouinciarum ornentur: iuuenes ad res maximas nati & accommodati. Erectum regi coloſſum cùm adorare nollent, in caminum ardentẽ ligati coniiciuntur: ſed ſeruati à Deo, inde liberantur, & maioribus quàm antea dignitatibus euehuntur.

255. *Aſpenas*, aulæ Babylonicæ præfectus, ſingulari amore & beneuolentiâ complectitur Danielem & eius ſo-

cios. Eodem erga Danielem animo fuit *Arioch*, regis apparitor.

256. *Euilmerodach*, succedit patri Nebucadnezari, facilis & beneficus in ecclesiam. Primo regni sui anno Iechoniam, quem pater eius 37 annos captiuum tenuerat, è vinculis producit, honoribusque & munerib. afficit.

257. *Belsazer*, nepos Nebucadnezaris, impius, temerarius, & temulentus, Babylone obsidetur & interficitur à Dario Medo, ad quem hâc occasione transfertur imperium Babylonis.

258. *Darius Medus*, Danielem præ omnibus aliis maximè dilexit & euexit.

260. *Cyrus*, rex Persarum, à prophetâ Esaiâ, longè antè quàm est natus, rex designatur. Hic soluit captiuitatem Babylonicam, & optimè de populo Dei meretur, illustris Christi typus.

261. *Sesbasar*, satrapa Cyri, missus præfectus in Iudæam, vasa templi iussu regis deportat, & eiusdem iussu primum templi lapidem ponit, amicus & fautor Iudæorum.

262. *Cambyses*, Cyri F, monstro quàm homini similior, audax, libidinosus, crudelis, Dei & propinquorum contemtor. Patris mandatum de templo ædificando antiquauit.

263. *Zerubabel*, Salathielis F, regis Iechoniæ nepos, Babylone nascitur, dictus alio nomine *Berechias*, primus dux post exilium Babylonicum. Dimissus à Cyro, templi à fundamentis extruendi habuit potestatem: estque opus difficillimum aggressus, non minore sapientiâ, quàm animositate.

264. *Iosua*, sacerdos, Zerubabeli duci cauto & magnanimo, nullo loco temporeue defuit.

265. *Haggaus*, & paulò post *Zacharias*, opus templi suis concionibus maturant.

266. *Assuerus*, id est, Xerxes, dominus 127 prouinciarum, coniuge superbâ Vasthi repudiatâ, *Esther*am Hebræam duxit, eique nomen Augustæ tribuit. *Hamanem*, Iudæis

Iudæis insidias struentem, cum omni stirpe suâ fœdo supplicio extinguit. Estheræ coniugi potestatem dedit puniendi fortunis, carcere, exilio, morte eos omnes, qui aut in legem Dei, aut regia edicta deliquissent. *Mardochæum* porrò facit palatij præfectum, eique potestatem dat interficiendi hostes Iudæorum per omne imperium: suntque interfecta gentilium septuaginta quinque millia: vnde *solennitas Purim* est instituta.

267. *Esdras* de stirpe Aharonis, locum gratiæ primum apud Artaxerxem Mnemona obtinuit. Est alter à Zerubabele, qui magnum populi numerum in Iudæam reduxit. Aggressus est reformationem vtriusque politiæ felici successu.

268. *Artaxerxes Mnemon*, fuit beneficus erga Indæos. Anno regni septimo dimisit *Esdram* cum ingenti multitudine: & anno vigesimo *Nehemiam*, itidem cum numerosâ multitudine: cui ne quid in viâ aduersi accideret, comitatum militarem addidit.

269. *Nehemias*, tertius & postremus est, qui dispersum per gentiles prouincias populum, in patriam sedem reduxit: quanquam non omnes sunt reducti, vt patet ex *Act.* 2. Debetur ig. templi inchoatio Zerubabeli, legum instauratio Esdræ, vrbis perfectio Nehemiæ.

270. *Malachias*, vltimus prophetarum, nefarias templi restructi profanationes arguit.

271. *Manasses*, sacerdos, lege maiorum contemtâ, Saneballæ satrapæ Persici filiam, vxorem ducit. Qui cùm flagitij admonitus esset à Nehemiâ, maluit soceri impii authoritatem & promissa sequi, quam salubriter admonentis pium admittere consilium. Quamobrem Nehemias vt ipsum animo intrepido castigauerat: ita iudicio constantissimo è sacerdotum ordine eiicit, & tanquam hominē contaminatum exterminat, & è synagogâ, & è patriâ. Is nouum templum erexit, in monte Samariæ, vt Hierosolymitanum desereretur: ad quem alii sacerdotes eiusmodi connubiis inquinati, se conferebant, quibus domicilium

sium & immunitatem Saneballa concedebat, non amore pietatis, sed odio Nehemiæ.

X. Prosopographia, tempore ecclesiæ à regibus Asiaticis vexatæ, è libris Maccabæorum, est talis.

272. *Alexander Macedo*, iter per Syriam faciens, vrbi sacræ, & templo, & populo pepercit. Moribundus regna inter duces distribuit.

273. *Iaddus*, summus pontifex, Alexandrum M. Hierosolymam infesto animo venientem placat humilitate & officiis, adeò quidem vt rex videns sacerdotem sibi obuiam venientem de equo desiliret, & ei supplex honorem haberet, exercitu suo sine maleficio per regionem Iudæorum ducto.

274. *Onias*, Iaddi F, summus sacerdos, cognomento *Priscus*, à Ptolemæo Lago variis iniuriis agitatur. Amicitiam coluit cum Spartanis, qui Abrahamum communem generis authorem habere se iactitabāt. Quam amicitiam Ionathas Matthathiæ F, post multos annos renouauit, repetitâ prioris fœderis mentione.

275. *Simon*, summus sacerdos, Oniæ F, cognomento *Iustus*, templum nouis ædificiis ampliauit, vrbem validiorem reddidit, ciues authoritate rexit, munere denique sacerdotis functus est splendidissimè, quod de ipso testatur Sirachus.

276. *Iosua*, siue *Iesus*, filius Sirachi, patriâ Hierosolymitanus, vir & nobilitate & sapientiâ præstans, regnante Ptolemæo Euergetâ in Ægypto vixit, librumque ab auo inchoatum, & ex antiquis hominum piorum commentariis collectum, absoluit & euulgauit.

276. *Eleazar*, Oniæ alter F, Simonis frater, summus sacerdos, ab Antiocho Theo rege Syriæ multa accipit incommoda: sed à Ptolemæo Philadelpho eximiè colitur, qui supra centena millia Iudæorum suis redimens sumtibus, libertate donauit, & ab ipso impetrauit LXX interpretes,

pretes, qui Biblia Hebræa in linguam Græcam transferrent.

277. *Antiochus Magnus*, rex Syriæ, fuit peſſimus patet prolis ſceleratiſſimæ. Eius enim filii fuerunt *Seleucus*, *Antiochus*, *& Demetrius*: quorum temporibus politiæ Iudaicæ ſtatus ita commutatus eſt, vt nunquam poſtea in aliquam dignitatem durabilẽ potuerit reſtitui. Fuerunt enim impii ex Iudæis homines, qui Dei æterni ſapientiam ſpernẽtes, ritus ethnicos ſequerentur, & ad delendum Dei cultum, regum externorum amicitias & auxilia quærerent: peſtes videl. religionis & patriæ.

278. *Seleucus Philopator*, Antiochi primus F, primùm Iudæis amicus, ad ſacrificium & templum impenſas de ſuo ærario ſuppeditauit: poſtea à Simone proditore eò impellitur, vt ad rapiendos templi theſauros, quæſtorem ſuum *Heliodorum* cum poteſtate mitteret.

279. *Onias II*, Simonis Iuſti primus F, tantâ gratiâ propter pietatem fuit, vt apud ſuos eſſet venerabilis: tantâ dignitate, propter humanitatem, vt exteri quoque eum colerent. Heliodoro, ſpoliaturo templum, reſiſtit. Iaſonem fratrem ſuum iniqua molientem obiurgat: Simonem proditorem & Menelaum furem reprehendit. Propter eam libertatem ab Andronico miſerè interficitur.

280. *Simon*, templi theſaurarius, Oniæ æmulus, ſecreta omnia Seleuco enunciat, eique templum ſpoliandum tradit.

281. *Antiochus Epiphanes*, rectiùs *Epimanes*, tam fuit perditus, vt illo nullum vnquam prodigium inuſitatius, nullum monſtrum fœdius fuerit. Vrbe per dolum captâ, intra triduum octoginta hominum millia perimit, quadraginta ligat, totidem vendit: de templo auri argentique talenta mille & octingẽta aufert, in eoq; ſtatuam Iouis Olympii erigit: ſacros denique libros cremat. Eſt illuſtris typus Antichriſti.

282. *Iaſon*, antea dictus *Ioſua* ſiue *Ieſus*, Simonis alter F, Oniæ frater, & nomen & religionem mutauit, homo te-

terrimus. Fratrem Oniam interfectum non dolet: pontificatum eius, ab Antiocho pecuniâ emit, vtque regi gratum faceret, lege Dei abrogatâ Græcos ritus instituit.

283. *Menelaus*, vero nomine *Onias*, Iasonis frater, ipsius impietatem in ritibus Græcorum imitatur, rapacitatem ipsius longissimè superat. Missus ab eodem ad numerandum Antiocho tributum, subdolè sacerdotii nomen & honorem in se transfert, additis ad regis reditus priores trecentis argenti talentis annuis.

284. *Andronico*, regis Antiochi procuratori, nihil præter pretium dulce erat. Interfecit Oniam, corruptus pecuniâ Menelai. Vide n. 279.

285. *Lysimachus*, Simonis proditoris & Menelai sacrilegi frater, vtroque nequior, pontificatum tumultuosè administrat.

286. *Mille martyres*, metu persecutionis Antiochi, in speluncam fugiunt, ibique die sabbato occiduntur, cùm ob religionem diei se nollent defendere.

287. *Eleazar*, doctor legis, canitie, sapientiâ, grauitate hostibus etiam suspiciendus, ætate nonagenarius, cùm suillas carnes edere nollet, martyrio coronatus est.

288. *Septem fratres*, quòd carnem suillam edere detrectarent, occisi sunt.

289. *Matthathias*, Antiocho furenti, ex omni nobilitate, se primus opponit, & multa fortiter gerit pro causâ Dei & patriæ. Morte propinquâ, Simonem propter prudentiam, & Iudam propter fortitudinem duces constituit. Atque hîc incipit *familia Asamonæorum*.

290. *Iohannes*, primus Matthathiæ F, interficitur à Iambriis.

291. *Simon*, Matthathiæ secundus F, strenuam suo populo operam nauat tum viuente tum mortuo fratre Iudâ, itemque Ionathâ.

292. *Iudas*, Matthathiæ tertius F, cognomento *Maccabæus*, robore leoni, armis giganti, impetu flammæ grassanti fuit comparatus. Susceptâ legis diuinæ, & populi afflicti de-

cti defensione, semper ad orandum priùs, quàm ad præliandum accedit. Cum regibus Syriæ, Antiocho & Demetrio, & eorum legatis prælia secunda fecit: nam Apollonium cæcidit, Seronem vicit, Gorgiam fugauit, Lysiæ copias fudit, Timotheum ter repulit, Nicanori denique restitit. Præterea contra Ammonitas, Idumæos, Galaaditas, Galilæos, Arabes, & Philistinos grauia bella gessit, multasque vrbes populatus est. Hostes sæpe multos deleuit, ne vno quidem suo milite amisso, aut vulnerato. Templum Hierosolymitanum purgauit. In prælio cum Bacchide, desertus à suo milite, stationem ipse non deserens, oppetit fortissimè.

293. *Eleazar*, Matthathiæ quartus F, pro suâ gente & ipse nullum detrectauit periculum.

294. *Ionathas*, quintus & vltimus Matthathiæ F, contra Galaaditas à Iudâ fratre missus, octo millia hostium vincit. Post Iudæ obitum dux electus, multa præclarè gessit. Tandem à Demetrio rege deceptus, & à Tryphone circumuentus, interficitur cum duobus filiis.

295. *Asidæi*, ex omnibus Israëlitis viri optimi & fortissimi, Matthathiæ se adiunxerunt contra Antiochum, & cum filio eius Iudâ præliis multis, pro patriâ gestis salutariter, interfuerunt. Memineris populum hoc tempore diuisum esse in duas partes, quarum vnam constituebant Asidæi, h.e. boni & pii, alteram apostatæ.

296. *Apollonius*, dux Samariæ, legatus Antiochi, vir crudelissimus, in Iudæam mittitur cum viginti hominum millibus, & vrbe sanctâ per fraudem occupatâ cædibus ibi grassatur, victus tandem & interfectus à Iudâ.

297. *Sero*, dux inferioris Syriæ, famæ comparandæ gratiâ, & ipse exercitum contra Iudam educit, sed ab illo fugatur.

298. *Lysias*, propinquus regis Antiochi, bella Iudaica primùm administrauit per legatos, *Ptolemæum*, *Nicanorem*, & *Gorgiam*, qui hominum millia octo amiserunt diuersis locis: deinde ipse per se, vbi amisit peditum millia vndecim,

cim, & equites mille atque sexcentos. Tot calamitatibus sapientior factus Lysias cum Iudæis firmauit pacem.

299. *Nicanor*, Patrocli F, Ptolemæi præfecti Phœniciæ & Cœlesyriæ legatus, regi Antiocho, cum viginti millib. militum auxilio venit contra Iudæos. Sed victus à Iudâ, euadit scaphâ, & Antiochiæ cum ignominiâ vitam transigit.

300. *Gorgias*, Idumæorum dux, duobus Antiochis, Epiphani & Eupatori, patri atque filio militauit, longoq; tempore vexauit Iudæam. A Iudâ aliquoties impeditur, & duobus iustis præliis superatus, vrbium perfugia quæsiuit, & latrocinia exercuit.

301. *Antiochus Eupator*, Epiphanis F, bellum Iudæis infert, tantis viribus, quantis antehac Græcorum nemo fecerat. Sed bis à Iudâ fuit superatus.

302. *Scythopolitani*, & *Nabathæi*, multo fauore & liberalitate Iudæos prosequuntur.

303. *Demetrius Soter*, factus Iudæis inimicus, Alcimum proditorem in vrbem mittit, & per Nicanorem & Bacchidem præter omnem modum sæuit. Nicanore interemto, Bacchideni summæ rei præficit: cuius ductu Iudæa ferè tota subigitur, & Iudas Maccabæus interficitur. Ab Alexandro regnum Syriæ sibi vendicante impugnatus, societatem cum Ionathâ inire voluit, eumque promissis & largitionibus penè infinitis solicitauit: sed Iudæi memores eius sæuitiæ & infidelitatis, cum hoste ipsius Alexandro se coniungunt, qui Demetrium victum & vitâ, & regno spoliauit.

304. *Bacchides*, regis Demetrii legatus, fuit artium bellicarum callentissimus.

305. *Alcimus*, dictus antea *Ioachim*, nefarius apostata & proditor, sacerdotium emit, & populum suum perdidit, quouis improbo deterior, quouis furioso amentior.

306. *Nicanor*, legatus Demetrii, ad gentem Iudæorum extirpandam missus, non armis agens, sed insidiis, Iudam pene fefellisset. Cùm eius versutia celari diuinitùs non

posset,

posset, violentiâ agere incepit, sed à Iudâ victus est & interfectus.

307. *Alexander*, sortis extremæ homo, regnum paternum Syriæ repetens, Demetrio bellum facit, eumq; Ionathæ auxilio superat. Ionathæ creato sacerdoti trabeam & coronam auream mittit.

308. Ptolemæi Philometotis tempore *Onias* sacerdos templum in Ægypto, simile Hierosolymitano, condit, perperam intellecto Esaiæ vaticinio, quod est *cap.* 19.

309. *Demetrius Nicator*, seu *Nicanor*, Syriæ rex, Ionathã Iudæorum ducem, omnibus rebus, quibus potest, ornat, & eum inter amicos intimos numerat. Conspirantibus Antiochenis, vt regem opprimerent, vnius Ionathæ beneficio conseruatur. Is enim tribus duntaxat Iudæorum millib. adductis interficit centum & viginti ciuium Antiochenorum millia, vrbe incensâ & spoliatâ. Rex autem maximorum beneficiorum immemor, fœdus cum Ionathâ turpiter violat, & magnis Iudæos afficit incommodis.

310. *Apollonius*, Demetrii legatus, à Ionathâ & Simone fratribus malè mulctatur.

311. *Antiochus Theos*, rex Syriæ, missis muneribus ad Ionatham & Simonem, amicitiam cum ambobus init, datisque honoribus amplis, eos sibi societate deuincit.

312. *Trypho* Ionatham illectum fraude capit, eumque cum duobus filiis de vitâ tollit, & Antiocho Entheo, pupillo suo, interfecto, regni Syriæ diadema sibi imponit: sẽ per similis sui, blanda loquens, scelerata perpetrans, nulli fidus nisi vtilitatis suæ gratiâ.

313. *Antiochus Sidetes*, cognomento *Pius* & *Soter*, regnum patris recuperat, quod Alexander, Antiochus, & Trypho iniustè & fraudulenter tenuerant. Cum Iudæis fœdus iniit, eosque cæteris regibus humaniùs tractauit ab initio. Sed fortunâ ebrius, amicitiæ ipsorum renunciat, eisque plurima infert mala. Victus à Parthis ipse sibi manus infert.

314. Io-

314. *Iohannes Hircanus*, Simonis F, Matthathiæ nepos, propter indolem præstantem dux paterni exercitus creatur, & Cendebæum Antiochi præfectum fugat, aliaquo præclarè ac fortiter gerit. Clarus fuit tribus maximis rebus, principatu gentis, dignitate sacerdotis, & spiritu prophetiæ.

XI. Prosopographia gentium ecclesiæ aduersantium ex historiâ V. T. est eiusmodi.

315. *Gigantes*, fuerunt multitudo ferox, nomine celebri & magnâ potentiâ ob corporis proceritatem, nata in perniciem ecclesiæ, inimica disciplinæ, propriâ virtute nitens, & ideo de terrâ tandem à Deo sublata.

316. *Sodomæi*, solum terrarum optimum colentes, nacti sunt doctorem Lothum. Ipsorum vrbs omnis turpitudinis officina, scelerumque asylum euasit. Quâ de causâ cũ tribus vicinis vrbibus de cœlo funditus consumitur sulphure & igne, quintâ propter Lothum seruatâ.

317. *Sichemitæ*, homines leues, malè tractantur à filiis Iacobi propter stupratam à Sichemo, regis filio, sororem ipsorum germanam. Execratur vir sapiens in suis concionibus, Samaritanos, Philistinos, & Sichemitas, designans hypocritas, tyrannos, & leuem multitudinem.

318. *Chananæi*, generatim sic dicti, possederunt regionẽ cis & vltra Iordanem amplam & valde fertilem, ibique compararunt illustre imperium, & diuitias ingentes. Sed donis Dei petulanter & perditè abusi, afflixerunt sanctos viros, qui inter eos vixerunt hospites & aduenæ. Quare scelerum ipsorum mensurâ quasi completâ, extirpati sunt à Deo isti populi, Amorrhæi, Pherezæi, Chananæi speciatim ita dicti, Hethæi, Gergezæi, Euæi, Iebusæi: eorumque regna & possessiones iuxta promissum & mandatum Dei, in Israëlitas, Semi & Abrahami posteros, diuiduntur: & terram impiorum tandem semen iustorum hæreditatem accipit. In hâc terrâ Christus est natus ex virgine.

319. *Amorrhæi*, fuerunt gens ferociſſima, & seruitutis

inso-

insolens. Inter eos habitauit Abraham, Mambris, viri boni & benefici, hospitio vsus. Duos ipsorũ reges vicit Moses: alios quinque Iosua fugauit, & de arboribus suspendit. Ipsorum conterranei fuerunt gigantes, cognominati *Raphaim*, q.d. medicos & seruatores, ob robur.

320. *Pherezæi*, qui & *Samaritæ*, agriculturæ & quæstui dediti, inter gentes Chananæas valde opulenti fuerunt.

321. *Chananæi, speciatim ita dicti*, orti à Chanane Chami F, nominis atque nobilitatis inter suos gentiles præcipui semper extitêre: meliorem etiam & abundantiorem terræ portionem tenuêre: vnde factum est, vt ex negotiationibus & quæstu, cæteris fuerint beatiores, & quia copiam sequitur insolentia, moribus quoque & studiis deteriores. Inter eos etiam gigantes habitarunt. Porrò hoc nomen generatim pro omnib. istis populis, quos ira Dei sustulit, & sedes eorum ecclesiæ tradidit, passim vsurpatur, vt vindicta paterni ludibrii, & veritas diuinæ iustitiæ, omnium mortalium & oculis & mentibus magis sit exposita.

322. *Hethæi*, Chebronem metropolim sibi condiderunt, vicinis molesti & formidabiles. Inter eos habitarũt gigantes, *Enachim* dicti, quasi torquati. Nam diuitiarũ ostentatione erant superbi, & oppressione aliorum præferoces.

323. *Gergesæi* videntur esse iidem cum Gergesenis, de quibus in euangelio, ita vt hi sint illorum reliquiæ.

324. *Heuæi*, montium Libani & Hermonis accolæ, Iosuæ diu restiterunt, nec in alienam potestatem redacti sunt vniuersi, vt restaret multitudo, quæ Israëlitas à verbo Dei desciscentes exerceret. Inter Heuæos famosi fuerunt gigantes *Nephilim*, q.d. grassatores, hostes religionis, aduersarios pudoris, & inimicos disciplinæ.

325. *Iebusæi*, Gibeonem & Hierosolyma tenuerunt, viri strenui & bellaces. Nam vndique armis hostilibus circumuallati, vsque ad Dauidis tempora & vrbem Hierosoly-

ſolymam, & arcem Sionis tutati ſunt. Inter ipſos fuêre nobiles gigantes *Emim*, q. d. terribiles, feros, agreſtes, & voluptarios. Atque hi ſunt populi oriundi à poſteris Chanaan.

326. *Midianitæ*, Abrahami ex Ceturâ poſteri, fuerunt gens nobilis. Apud illos Moſes ex Ægypto profugus exulauit, & ſacerdotis ipſorum Iethronis filiam duxit. Gideon illos malè mulctauit: vnde vulgi ſermone, cùm alicui malum imprecarentur, iactatum fuit, *Fiat illis ſicut Midianitis.*

327. *Cinæi*, à Midianitis oriundi, dicti à Cinæo, Iethronis filio. Is enim vt populo per deſertum eunti ductor eſſet, à Moſe perſuadetur, & victis gentibus Chananæis, inter Amalekitas ſedem obtinet. Cinęorum omni tempore in Iſraëlitas magna extiterunt merita.

328. *Moabitæ*, à Moabo Lothi F, orti, Iſraëlitis perpetuò inimici fuerunt, vtpote quibus ex Ægypto euntibus viam & hoſpitia intercluſerunt.

329. *Ammonitæ*, ab Ammone Lothi F, & ipſi hoſtes infenſiſſimi Iſraëlitarum; quibus errantibus, tranſitum; feſſis, panem & aquam non conceſſerunt.

330. *Idumæi*, ſeu *Edomitæ*, poſteritas Eſaui, tranſitum negant fratribus ſuis, ſolum paternum repetentibus. De ipſorum terrâ ne pedis quidem veſtigium Deus voluit dare Iſraëlitis, quia eam Eſauo in poſſeſſionem confirmauerat, ideoq; libertatem diu tenuerunt, & reges multos fortes habuerunt. Gauiſi ſunt de Iſraëlitarum infortuniis, & religionē habuerunt pro ioco, eam modò probantes, modò reiicientes, ſeruiendo nempe tempori, & victoribus gratificando. Tandem tamen, integro fermè ſeculo ante Herodem, facti ſunt Iudæi, abiecto deo gentis ſuæ Coze, ritibuſque prioris idololatriæ antiquatis, & circumciſione vniuerſâque Iudæorum religione admiſsâ.

331. *Horræi*, montis Seiris incolæ, inter Idumæos habitarunt. Regionem eorum, relictâ fratri Chananæâ, Eſauus

ſatus occupauit. Iſraëlitis ex Ægyptio euntibus ſoli præbuerunt iter, & cibum vendiderunt pecuniâ.

332. *Amalekita*, nepotes Eſaui, malè tractarunt Iſraëlitas exules, & rerum omnium egenos. Nam cùm per regionem eorum iter facerent, extremos agminis carpſerunt, & ægrotos feſſoſque in viis ferro ſuſtulerunt. Moſes autem eos non armis pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiicit, & mandatum à Deo accipit, vt talem iniuriam inſcribat faſtis & monumentis, vt de totâ gente, excidio & internecione, ſumeretur olim ſupplicium. Ea victoria regi Saulo reſeruata eſt: qui quoniam ſtirpitùs Amalekitas nõ excîdit, ipſe regno excidit. Agagum regem eorum Samuel fruſtillatim dilaniat. Tribus tandem Simeon totam illam gentem funditùs deleuit.

333. *Philiſtini*, nepotes Chami, fuerunt populus peculiariter nomini diuino, & eius cultoribus infeſtus, negotiationibus & augurio deditus. Ipſorum Deus fuit *Dagon*, pubetenus homo, inferiori parte piſcis; qui Græcis & Latinis eſt Triton. Inter eos ſummo in honore fuerunt gigantes, è quibus fuit *Goliath*.

334. *Ziphæi*, locorum deſertorum non procul à monte Carmelo accolæ, Dauidem produnt Sauli.

335. *Sidonij*, à Sidone filio Chananis, Tyriorum vicini, ſtudiis rei nauticæ & negotiationibus inuenti, veram Dei ſcientiam amittunt, amiſſamq; faſtidiunt.

336. *Tyrij*, maximè nobiles inter Sytos, vixerunt longo tempore felices & inexpugnabiles.

337. *Samaritani*, ab Ephraimo oriundi, à cultu veri Dei deſciſcunt. Vide ſuprà nu. 214. Inter ipſos & Iudæos ſemper fuit capitalis diſſenſio.

338. *Ægyptij*, omnes gentes vicerunt ſuperſtitioſitate; quippe qui ſerpentes, feles, olera, & viliſſimas quaſque res adorarunt. Hoſpites aliquando fuerunt patriarcharum, & altores populi Iudaici, inſtituti à Ioſepho. Mutatis autem regum animis, nullum populum magis oderant

quàm Iudaicum, inde à Mosis tempore vsque ad seruitutem Assyriacam, quâ mulctati sunt.

339. *Babilonij*, fuerunt primi, qui in orbe terrarum regnum possederunt. Ipsorum ciuitas antiquissima stadiorum trecenta octoginta quinque millia ambitu cõtinuit, & mirifica incrementa cepit. Vita ipsorum ita corrupta fuit omnibus deliciis, sceleribus, petulantiâ, vt extremis temporibus Roma à Iohanne apostolo & Sibyllis pingatur hâc imagine.

340. *Syrij*, populi circa Iudæam vndiq; circumfusi, antiquo nomine *Aramæi* dicti, & diuisi in Leucosyrios, Cœlesyrios & Syrophenices, populo Dei omnibus temporibus sunt aduersati, & eius hostes auxiliis iuuerunt.

341. *Arabes*, Iudæis contermini, læpe in regionem propinquam excursiones fecerunt, & latrocinia exercuerũt. Regina Arabum accessit ad Salomonem. Ipsorum coloni *Nabathæi*, filiis Matthathiæ, & Iudæis oppressis, præbuerunt hospitia, & consilio affuerunt, tempore tristissimo.

342. *Assyrij* cum Iudæis bella ferè continua gesserunt, cupiditate singularis imperij. Metropolis ipsorum *Nineue* fuit ampla trium dierum itinere.

343. *Ioppenses*, & *Iamnij*, vultus quidem amicos Iudæis ostentabant, sed tetra in eos committunt flagitia, inprimis Ioppenses. Iudas tamen Maccabæus hanc malitiam est vltus.

344. *Iambrij*, cum Syris colludentes, Iohannem, Iudæ Maccabæi fratrem, capiunt, & ludibrio habitum obtruncant. Quam iniuriam grauiter vltus est Ionathas frater.

XII. Prosopographia, tempore ecclesiæ nascentis in N. T. talis est ex historiâ N. T.

345. *Iesus Christus*, nascitur in plenitudine temporis ex Mariâ virgine, ex stirpe Dauidis. Genealogia ipsius naturalis describitur à Matthæo, legalis à Lucâ. Matthæus enim ita describit maiores Christi, vt Iacobus, qui penultimus est in istâ genealogiâ, sit pater Iosephi naturalis.

Porrò

Porrò Matthæus recenſet illos, ex quibus Chriſtus ortus eſt ſecundùm carnem, vno Ioſepho excepto: vt qui non fuerit naturalis pater Chriſti, ſed putatiuus. *Lucæ 3. verſ. 23.* Lucas autem ita deſcribit maiores Chriſti, vt Eli, qui penultimus eſt in iſtâ genealogiâ ſit pater Ioſephi legalis. Hîc in conſpectu ſit iſta tabula.

Dauid

Maria, ſoror matris Domini. Eius filij ex	*Maria virgo.*	*Ioſeph, maritus Mariæ.*	*Salome: cuius filij ex Zebedæo*	*Cleophas, maritus poſterior Mariæ, ſororis matris Domini.*
Alphæo, Iacobus minor ſeu iuſtus.	*Cleophâ*		*Iacobus maior.*	*Iohannes euangeliſta.*
Simeon.	*Iudas Thaddæus.*	*Ioſeph iuſtus.*		

Porrò Matthæus recenſet poſteros Dauidis ex Salomone, Lucas ex Nathane. Et Chriſtus quidem natus eſt ex Salomone iuxta promiſſionem Dei. *2. Sam. 7. verſ. 12. & deinceps.* Etſi enim regnum ſiue ſtirps regia defecit in Zedekiâ, vt patet ſuprà ex num. 235: genus tamen Salomonis propagatum eſt per Iechoniam, qui genuit Sealthielem; Sealthiel verò genuit Pedaiam: Pedaia Serubabelem, qui non quidem rex, ſed tamen dux populi Dei conſtitutus eſt à Cyro, & ἀρχικὸν ἀξίωμα in ſtirpe Salomonis tranſmiſit vſque ad Chriſtum. Cæterùm quod dixi de patre Ioſephi naturali & legali, hoc ita habet. Iacobus & Eli fuerunt fratres vterini, eiuſdem matris, ſed diuerſorum patrum. Eli ductâ vxore moritur ſine liberis: Iacob huic ex lege Moſis ſemen excitauit: & è relictâ coniuge Eli ſuſtulit Ioſephum, naturâ quidem filium ſuum, ſed beneficio legis filium Eli.

346. *Maria virgo*, mater Christi, fuit non solùm eiusdem tribus Iuda cum Iosepho, sed etiam ex eâdem gente & cognatione, nempe Dauidicâ: ita vt personæ à Matthæo & Lucâ commemoratæ, vtræque pertineant ad tribum Iudæ.

347. *Iosephus*, fuit Mariæ adiunctus quasi tutor, defensor, & testis, vt ita haberet caput, à quo regeretur & protegeretur vnà cum Christo filio, & assertorem pudicitiæ.

348. *Zacharias*, pater Iohannis, fuit sacerdos, sed non summus, ex classe Abiæ.

349. *Elisabetha*, mater Iohannis, fuit ex filiabus Aharon, eademq; cognata Mariæ virginis; non quòd Maria fuerit è tribu Leui, sed quia pater Elisabethæ sibi iunxerat vxorem è tribu Iudâ & cognatione B. virginis.

350. *Magi ab oriente*, qui Christum recens natum inuiserunt, non Arabes fuêre, sed Persæ, & quidem reguli, hoc est, toparchæ ditionis Persicæ.

351. *Herodes*, cognomento *Magnus* & *Ascalonita*, Antipatri Ascalonitę F, à Senatu Romano constituitur rex Iudææ. Habuit decem vxores, è quibus plurimos suscepit liberos, nominatim tres filios, *Archelaum*, *Antipam*, & *Philippum*, inter quos ceu natu maximos, & Salomen sororem Herodis regnum est diuisum, idq, ex formulâ testamenti, verùm ita, vt filii isti non reges, sed tetrarchæ fuerint appellati ab Augusto. Et *Archelaus* quidem successit patri in parte maximâ imperii, videl. in Iudææâ, quâ excidit anno Christi 10, Viennam relegatus: *Philippus* autem factus est tetrarcha Iturææ, & *Antipas* Galilææ. Philippo nupta fuit *Herodias*, quam Antipas frater duxit vxorem, viuente adhuc Philippo. Antipæ istius filii fuerunt duo Agrippæ, videl. *Agrippa*, rex, vel potiùs ethnarcha siue tetrarcha Iudææ, & *Agrippa*, rex, vel potiùs tetrarcha Chalcidicę. Prior ille Agrippa genuit filium sibi cognominem, qui differentiæ causâ vocatur *Agrippa iunior*, & fuit rex Chalcidicæ, vltimus ex familiâ Herodiadarum. Is est, qui audiuit Paulum, *Act.* 25. & 25. Hîc tria sunt obseruanda.

uanda. Et primò quidem, Archelao Viennam relegato, Iudæa redacta est in formulam prouinciæ, ita vt ab illo tempore nullus vnquam postea Iudææ neque rex, neque ethnarcha fuerit. Quòd autem Agrippa senior & iunior appellantur non tantùm reges, sed reges quoque Iudæorum, id accipiendum est, neque de regibus, neque de Iudæis propriè dictis, hoc est, de Hierosolymitanis; sed de vulgatâ in Scripturis acceptione vocis rex, itemq; de adiacentibus & incorporatis Iudææ regionibus. Vera Iudæa, amoto Archelao, in formulam prouinciæ, sicuti dicebamus, redacta, Syriæ accessit, cœpitque tum in eam mitti, qui vocabatur Procurator Cæsaris in Iudæâ, vel etiam Procurator Iudææ. Huc accedit, quòd vulgus assuetum nomini regio, illud ipsis tribuerit, vtut Augustus illud ipsis ademerit. Deinde Herodes Magnus fuit Idumæus, neque tamen alienigena, sed religione Iudæus. Nam Idumæi integro fere seculo ante facti sunt Iudæi, hoc est, amplexi sunt religionem Iudæorum, fratrum suorum, teste Iosepho lib. 13. c. 17. Denique Herodes Ascalonita fuit alter ille Pharao, qui promulgauit & procurauit infanticidium illud, de quo *Matth.* 2: Herodes Antipas è medio sustulit Iohannem, & irrisit Christum in passione: Herodes Agrippa senior de vitâ sustulit Iacobum, & carceri inclusit Petrum.

352. *Iohan. Baptista*, natus ex coniugio Zachariæ & Elisabethæ, simili coniugio Abrahami & Saræ, vixit austeram vitam, vt qui pœnitentiam prædicabat, habitum pœnitentiæ præ se ferret. Docuit in deserto, hoc est, montanâ illâ regione, in quâ parentes ipsius habitabant, *Luc.* 1. v. 40. Neque enim potuit, vel debuit docere in loco tali, quem nemo inhabitabat. Desertum itaque in historiâ euangelicâ non significat locum ἀοίκητον, *inhabitabilem*, sed saltuosum & montanum, in quo greges pascantur: qualis erat ille Iudææ tractus, vbi sita Chebron, & aliæ vrbes. Porrò Iohannes fuit præcursor Christi fidelis & felix, primusque martyr noui testamenti incipientis.

353. *Duodecim apoſtoli*, fuerunt indiuidui comites Chriſti, & poſtea, duobus exceptis, doctores œcumenici. Ex iis *Petrus & Andreas*, *Iacobus & Iohannes*, omnium primò ſunt vocati. Quò pertinet obſeruatio Patrum, Chriſtum vocationem ſuorum apoſtolorum inchoaſſe à binis fratribus, Petri ſcil. & Andreæ; quemadmodum olim ad miniſterium legis Moſes & Aharon ſimul vocati ſunt. Cur verò Petrus Andreæ fratri, & cæteris apoſtolis eſt prælatus? Reſp. Omninò debuit aliquis ordo eſſe inter apoſtolos, & is quidem non ex merito ipſorum, ſed ex beneplacito vocantis. Cùm enim vocabantur, omnes erãt pares. Quare omne id, quod Petrus eſt conſecutus, ex merâ Chriſti vocantis & donantis gratiâ, non ex ſuo merito accepit. Vt verum ſit in Petro, quod verum eſt in omnibus electis; Chriſtum illi ſua beneficia ſine pretio vẽdidiſſe, quod ait *Eſa.* 55. *verſ.* 1. Sed breuiter videamus de ſingulis apoſtolis. *Petrus*, alio nomine *Simon*, fuit vehemens & alacer, primò ſtrenuus confeſſor Chriſti, poſtea timidus deſertor, dominum ſuum abnegans. Recollegit tam n ſe per Dei gratiam, & poſt aſcenſionem Chriſti, euangelium longè lateque propagauit, factus apoſtolus Iudæorum. Martyrii coronam accepit Romæ, ſub Nerone. *Andreas*, frater Petri natu maior, docuit in Scythiâ, Sogdianâ, Æthiopiâ interiori, & aliis locis, ſub Veſpaſiano crucifixus, Patris vrbe Achaiæ. *Iacobus*, filius Zebedæi, cognomento *Maior*, decollatus eſt ab Herode Agrippâ, adeoque breue admodum habuit apoſtolatus ſui curriculum. *Iohannes*, Iacobi frater, apoſtolus & euangeliſta, fuit relegatus Epheſo in Pathmum, indeque Epheſum reuerſus, ibi apoplexiâ obiit. *Philippus*, prædicauit in Scythiâ & peragratâ Aſiâ minori affixus eſt cruci cum duabus filiabus. *Bartholomæus*, prædicauit in Lycaoniâ, Syriâ, Indiâ, & Armeniâ, vbi iuſſu regis Aſtyagis excoriatus eſt. *Thomas*, cognomento *Didymus*, docuit in Æthiopiâ, Indiâ, & Taprobanâ. *Matthæus*, publicanus, alio nomine *Leui*, filius Alphæi, prædicauit & ſcripſit euangelium. *Iacobus*,

cobus, filius Alphæi, cognomento *Minor*, *Iustus*, *Oblias*, & *frater* (id est cognatus) *Domini*, rexit potissimùm ecclesiam Hierosolymitanam, & scripsit epistolam catholi ã. *Iudas Lebbæus*, siue *Thaddæus*, frater vterinus Simonis Cananitæ, & Iacobi Alphæi, prædicauit euangelium in Mesopotamiâ, Ponto, & Persîde, scripsitque epistolam. *Simon Cananites*, siue *Zelotes*, annuntiauit euangelium in Ægypto, Libyâ, Persiâ, & regionibus ad occidentalem Oceanum. Inde verò reuersus Hierosolymam, fratri Iacobo successit in episcopatu. Memineris nomen Cananites, non esse ἐθνικὸν, sed ἐγχωριαστικὸν: quia Lucas illud interpretatur ζηλωτὴν. *Iudas Iscariotes*, proditor Christi auarus & immanis, se ipse suspendit. In locum eius successit *Matthias*, qui fuit ex LXX discipulis Christi. Memineris hîc, vulgare fuisse Hebræis, binomines & trinomines esse.

354. *Paulus*, fuit apostolus gentium, ita tamen, vt quoties data est occasio, vim muneris sui extenderet etiam erga Iudæos. Constat enim, ipsum in synagogis eorum studiosè prædicasse Christum, & ad eosdem diuinam illam epistolam scripsisse. Sic etsi Petrus dicatur & fuerit apostolus Iudæorum: tamen id non impediuit, quin etiam ad gentes ipsius apostolatus porrigeretur. Vter verò horum apostolorum fuit inferior? Resp. Fuerunt pares omnes apostoli dignitate, vt ait Chrysostomus: at donis & laboribus fuerunt impares. Et hoc sensu Paulum non sine causâ præposuerimus Petro.

355. *Marcus*, euangelista, cognomine *Iohannes*, Petri discipulus & nepos ex sorore, & Barnabæ consobrinus, à Paulo & Barnabâ ad ministerium euangelii assumtus est, & ipsis desertis hinc inde prædicauit; tandem factus episcopus ecclesiæ Alexandrinæ, finitimis locis circumquaque ab Ægypto vsque ad Pentapolin docuit euangelium.

356. *Lucas*, natione Antiochenus, professione medicus, fuit sectator Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Scripsit Euangelium & Acta apostolorum.

357. *Barnabas*, hoc cognomentum accepit ab apostolis,

lis, quòd esset beneficus erga ecclesiam, *Act. 4. v. 36. 37.* Fuit Leuita, nomine Ioseph, domo Cyprius. Fuit socius Pauli fidissimus.

358. Tres fuerunt sectæ Iudæorum præcipuæ, *Pharisæi, Sadducæi, & Esseni*: Iosephus affirmat tres illas sectas, siue, vt ipse appellat, φιλοσοφίας, cognitas fuisse Iudæis ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, *à temporibus admodum antiquis*. Et verisimile est synagogam templi secundi, simulac desierunt prophetæ, cepisse diuidi in sectas, fortè circa annum mundi 3600, & deinceps, inprimis an. 3700. Nam Sadducæi cœperunt authore *Sadoco*, Pharisæi, *Baitho*, qui duo fuerunt discipuli Antigoni Sochæi, circa annũ mundi 3720. Porrò ex tribus illis sectis, fato omnia tribuebant *Esseni*; libero arbitrio *Sadducæi*, fatum inane esse nomen sine re affirmantes. *Pharisæi* mediam viam sunt ingressi: fato quidem fieri omnia, sed ita, vt hominum liberum arbitrium non tollerent. Potentia Pharisæorum fuit magna: vtpote qui, teste Iosepho, regibus potuerunt resistere, illosque bello lacessere. Ipsorum instituta, & veluti regulæ, erant, continentia siue virginitas, assiduitas orandi, afflictio corporis, vt ieiunium; decimatio supra legis præceptum, & obseruatio traditionum, quas Sadducæi repudiabant.

359. *Scribæ* fuerunt apud Iudæos ex antiquissimo instituto. Ipsi quippe erant, qui legem populo legebant, in tẽplo & synagogis, ac, si opus esset, interpretabantur. Propterea in euangeliis Νομικοὶ, *Legis periti*, & Νομοδιδάσκαλοι, *Legis doctores*, appellantur. E corpore Scribarum istorum legalium erant, qui sequerentur Pharisæos, qui Sadducæos, nec non qui Essenos. Errant itaque qui opinantur, Scribas fuisse alteram partem Pharisæorum.

360. *Herodiani*, Herodem Magnum pro Messiâ habebant atque colebant.

361. *Publicani*, apud Romanos erant loco insigni & honesto, sed apud Iudæos non item. Nam eorum nomen, vt ex Iobo & prophetis apparet, erat iam tum terribile & exosum. Inprimis tempore Christi ob graues exactiones malè

malè audiebant: vnde prouerbium Iudæorum, *Ne contingat tibi vxor è familiâ, in quâ sit aliquis publicanus*; quia sunt omnes publicani, i. e. latrones, scelerati, peccatores, vt nominantur *Matth. 9. v. 10.*

362. *Augustus*, Cæsar, edicto de censu promulgato, famulatur Christo, arcano diuinæ prouidentiæ consilio. Oportebat nimirum Augustum, illum imperatorem & monarcham tantum, metatorem esse hospitii Christo Filio Dei in terras venturo. O infantem admirandum! cui necdum nato, primus omnium mortalium inseruit is, qui tunc, & ferè ex omni memoriâ, in terris fuit monarcha longè maximus, longè potentissimus.

363. *P. Sulpitius Quirinius*, ab Augusto missus fuit ad censum agendum, quod fuit munus præsidum extraordinarium, & ad ius dicendum prouinciæ, quod erat ordinarium præsidum officium.

364. *Pontius Pilatus*, fuit procurator Iudææ, missus à Tiberio: *Antonius Felix*, à Claudio: *Porcius Festus*, à Nerone. Pilatus præsedit annis ferè decem: & circiter annum ipsius quartum Christus est passus.

365. *Lysanias*, est nomen tetrarchæ. Fuerunt autem diuersis temporibus tres Lysaniæ, eiusdem principatus tetrarchæ. Primus Lysanias ab Antonio factus est tetrarcha siue regulus Iturææ, sedemque suam collocauit Abilæ, vrbe Syriæ. Hic mox ab Antonio est interfectus, in gratiam Cleopatræ. Ab illius morte vsque ad 15 annum Tiberii intercedunt anni circiter 63. Secundus Lysanias, fuit primi illius filius, qui patri successit. Hunc excepit Zenodorus quidam, de quo vide Topographiam num. 94. Tertius Lysanias eâdem tetrarchiâ fuit donatus ab Augusto vel Tiberio. Et hic est, quem *Lucas cap. 3.* appellat tetrarchã Abilenæ, & anno 15 Tiberii vixisse, atque illi parti Cœlesyriæ esse dominatum ostendit.

366. *Caiaphas*, totos annos septem fuit Pontifex Maximus, & aliquantò ampliùs. *Annas*, qui Caiphæ iungitur, fuit ipsius vicarius. Nam Pontifex Maximus habebat su-

um vicarium, multis de causis, quas inter præcipua fuit seminis profluuium inter dormiendum. Ex omnibus enim pollutionibus huius præcipua semper à Iudæis habita est ratio, maximè à Pontifice Maximo.

367. *Iudæi*, disparabantur posterioribus temporibus in Ἕλληνας, *Græcanicos*, & Ἑβραίους, *Hebræos*. Illi Biblia tantùm legebant Græcè, hi Hebraicé. Aliam Iudæorum distinctionem vide paulò post, num. 397.

368. *Lazarus*, significat inopem, seu ἀβοήθητον, qualis fuit mendicus ille *Luc.* 16. Fuit & alius hoc nomine, frater Mariæ & Marthæ, *Iohann.* 11.

269. *Magdalena*, fuit fœmina, è quâ Christus eiecit septem dæmonia, quæq; fidelem Christo nauauit operam in vitâ & morte ipsius.

370. *Maria*, fuit nomen multis mulieribus commune: putà virgini beatæ, de quâ num. 346: Magdalenæ, de quâ paulò ante num. 369: sorori Mariæ virginis, de quâ num. 345: sorori Marthæ, de quâ *Iohan.* 11: item matri Marci, *Act.* 12: denique matronæ Romanæ, *Rom.* 16.

371. *Martha*, œconoma fuit bona, Christo dilecta vnà cum sorore Mariâ & fratre Lazaro.

372. *Simon*, fuit nomen multis commune: putà Petro apostolo, *Matth.* 4: Cananitæ, itidem apostolo, *Matth.* 10: Pharisæo cuidam Hierosolymitano, *Luc.* 7: leproso cuidã, *Marc.* 14: Cyrenæo cuidam, *Matth.* 27: alutario Ioppensi, *Act.* 10: prophetæ & doctori Antiocheno, *Act.* 13: denique infami & famoso mago, *Act.* 8.

373. *Barabbas*, fuit latro, quem Iudæi Christo præferunt in passione ipsius.

374. *Ioseph Arimathæensis*, honoratus senator, corpus Christi à Pilato petiit, & sindone inuolutum deposuit in monumento, quod erat excisum è petrâ.

375. *Simeon*, senex Hierosolymitanus, vir iustus & religiosus, Christum puerulum recepit in vlnas suas, & primus testimonium ipsi perhibuit.

376. *Anna*, prophetissa, filia Samuelis, vidua octoginta an-

ta annorum, puerulo Christo perhibuit testimonium secundum Simeonem.

377. *Nazarenus*, est qui in oppido Nazareth natus, vel educatus est. Ita Christus propter educationem in oppido Nazareth fuit appellatus Nazarenus. Quod Matthæus c. 2. ait prędictum esse à prophetâ. Quo verò prophetâ? Resp. Ex *Esaiæ c.* 11. hoc debet exponi, itemque ex *Zach.* 11. Etsi enim verbis nusquā scriptum legitur, Christum vocatum iri Nazarenum: inuenitur tamē Ἀπὸ τῶν πραγμάτων χείμενον, vt loquitur Chrysostomus, id est, *rei usu ipsis expressum.* Nam Esaias expresse Messiam vocat *Netser*, id est, florem, siue surculum. Quò facit illud Hieroymi ad Marcellam: *Ibimus ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis, eius florem videbimus.* In loco Zachariæ expressis verbis dicitur, nomen Messiæ fore *Germen.* Etsi autem nomina sunt diuersa, surculus, flos, & germen: sunt tamen significatione communia, cuiusmodi nomina sæpe solēt permutari, vt alterum pro altero ponatur, per metalepsin duplicem, vel etiam triplicem. Porrò Christiani primitùs vocabantur à Christo *Nazareni*, per ludibrium, *Act.* 24. *v.* 5. Quàm despecta fuerit vrbs Nazareth, vide *Iohan.* 1. *vers.* 47.

378. *Galilæus*, est qui ex Galilæâ oriundus est. Hoc nomine Christus sæpe appellatur, vtpote qui in Galilæâ à teneris fuit versatus, ibique cœpit prædicare verbum euangelii, & discipulos suos ibidem vocauit, qui & ipsi ferè Galilæi erant. Post suam resurrectionem, in Galilæâ instituit ministerium noui testamenti, *Matth.* 28.

379. *Zacchæus*, fuit magister siue præfectus publicanorum. Erant enim publicani in societates distributi, vt ex Cicerone apparet. Zacchæus putatur fuisse gentilis. Sed sine idoneo argumento.

380. *Nathanael*, oriundus è Canâ Galilææ, fuit Israëlita simplex & candidus; quo elogio Christus ipsum ornauit, *Iohan.* 1.

381. *Nicodemus*, erat Pharisæus, honores seu magistratū gerens

gerens in populo Iudaico, magnæ vir eruditionis, sed in mysteriis euangelii talpâ cæcior. Institutus fuit à Christo, quem etiam dilexit post mortem, curando ipsius funus.

382. *Ioseph*, cognomento *Barsabas & Iustus*, ab apostolis statuitur vnà cum Matthiâ coram facie Dei, vt alteruter in locum Iudæ Iscariotis substituatur. Præmissis precibus sors cecidit super Matthiam.

383. *Ananias*, & *Sapphira* vxor eius, peccant sacrilegio, diffidentiâ & hypocrisi, dum prædium Deo consecrant, & postea partem pretii seperant, illudque dissimulant. Quâ de causâ subitò exanimati sunt vterque.

384. *Gamaliel*, Pharisæus fuit magnæ doctrinæ & existimationis, præceptor Pauli apostoli.

385. *Septem diaconi* eliguntur ab ecclesiâ Hierosolymitanâ. Ex iis fuit *Stephanus*, protomartyr ecclesiæ ab apostolis plantatæ: item *Philippus*, qui etiam fuit euangelista: & *Nicolaus*, proselytus Antiochensis, à quo putantur orti *Nicolaitæ*, qui scorrationem in rebus adiaphoris numerabant: ita vt Deus permiserit è septem diaconis vnum labi, quemadmodum vnus è duodecim apostolis est lapsus. Verùm enimuerò, quia legimus *Act. 6. v.* 3. apostolos iussisse, vt adhibitâ inspectione deligerentur viri μαρτυρέμενοι, *testimonio ornati*, & pleni Spiritu sancto & sapientiâ, non est verisimile Nicolaum diaconum esse authorẽ impuri huius erroris, sed alium aliquem, fœdum canem aut quiduis potiùs, quàm hominem.

386. *Antipas*, fuit celebris martyr in primitiuâ ecclesiâ, *Apoc. 2.*

387. *Saulus*, fuit nomen Pauli apostoli ante conuersionem.

388. *Candace*, fuit regina Æthiopum, quam Strabo suâ ætate, imperante Tiberio, regnasse scribit, virilem sanè mulierem, sed altero captam oculo. Ab hâc, Candaces nomen, vt Plinius & Suidas scribunt, ad alias Æthiopum reginas deriuatũest, & dignitatis haberi cœpit. Theologus

gus quidam Hiſpanus pro reginâ Candace conuertit reginam de Candaciâ, prouinciæ, non fœminæ, Candaces vocabulum ratus.

389. *Ananias*, diſcipulus Chriſti apud Damaſcenos, mittitur ad Paulum recens conuerſum, vt ipſum ſanet & baptizet.

390. *Æneas*, domo Lyddenſis, ægritudine paralyticus, ab annis octo, ſanatur à Petro apoſtolo.

391. *Tabitha*, diſcipula Chriſti apud Ioppenſes, ex morte ſuſcitatur à Petro.

392. *Cornelius*, pius centurio ex cohorte Italicâ, Cæſareæ, conuertitur ad Chriſtum cum vniuerſâ familiâ.

393. *Chriſtiani*, primùm ita à Chriſto appellati ſunt Antiochiæ, diſcipuli à doctore, ſubditi à rege ſuo, clientes à domino.

394. *Agabus*, propheta prædicit famem, quæ poſtea ſecuta eſt ſub Claudio: item vincula Pauli.

395. *Manahen*, collactaneus Herodis Antipæ, fit propheta & doctor eccleſiæ, *Act.* 13. Similiter *Simeon Niger*, & *Lucius Cyrenæus*, è quibus hic fuit cognatus Pauli, & euangelium docuit in Vindelicià, Rhætiâ, & prouinciis Danubio conterminis.

396. *Sergius Paulus*, proprætor inſulæ Paphi, vir prudens, conuertitur à Paulo apoſtolo, fruſtrà obſiſtēte *Barjeſu*, pſeudopropheta & mago, qui etiam appellatus fuit *Elymas*, *Act.* 13.

397. *Gentes*, dicuntur, tum ij, qui adhuc ſunt tales, tum iſti, qui iam ſunt conuerſi ad fidem Chriſti, vt *Gal.* 11. *v.* 12. Paulus de Petro ait, μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιε, *cum gentib. cōedebat*, Hîc Paulus veros Chriſtianos appellat *Gentes*, nō ex eo quòd iam erant, ſed quòd fuerant. Eodem ſenſu, ἀλλόφυλοι, *alienigenæ*, dicuntur, qui vel non erant Iudæi, vel ex alienigenis facti erant Iudæi, ἰουδαιωμένοι. Poſteriori ſenſu Herodes Magnus dicitur ἀλλόφυλος, *alienigena*, quia ex Idumæis in Iudæos transſcriptus erat. Nam pater ipſius Antipater, & avus Antipas, ex Idumæis facti erant Iudæi,

dæi, siue proselyti. Iudæi itaque sunt appellati, & qui verè nascebantur è semine Abrahami, & qui fiebant Iudæi, quos Helleniſtæ vocabant *proselytos*: qui cæteris Iudæis in maximè principalibus iuribus & dignitatibus erant æquales. Hoc solùm intererat, inter proselytum & antiquum Iudæum, quòd in synedrium proselytus adoptari non poterat: quia non nisi nobiliſſimos è sacerdotibus, Leuitis, & reliquo populo, atque in lege exercitatiſſimos in Synedrium allegebant. Porrò *Iudæi* appellatio aliquando latiùs capitur, aliquando anguſtiùs. Quando latè accipitur, omnes complectitur eiuſdem religionis ſocietate iunctos, Hieroſolymitanos, Galileos, Peraitas, Idumeos, Alexandrinos, & Babylonios, & omnes qui Philoni & aliis dicuntur *οἱ ἐκ τῆς Διασπορᾶς, ex diſperſione*; quæ quidē diſperſio contigit tempore captiuitatis Babylonicæ. Cōfer *Act.* 2. *& Iacob.* 1. Quando anguſtiùs id nomen ſumitur, ciues duntaxat Hieroſolymitanos complectitur, & illas decem Toparchias, quæ Plinio enumerantur lib. 2. c. 14. & Ioſepho lib. 3. belli cap. 4. vbi non decem, ſed vndecim recenſentur, in quarum medio vrbs ſancta eminebat, vt in clypeo vmbilicus. Hinc apud Ioſephum non ſemel opponuntur, *ὁ γνήσιος & ἐξ αὐτῆς Ἰουδαίας λαὸς, germanus & purus putus Iudæorum populus*, in ipsâ Iudæâ ſic propriè dictâ, vrbe inquam & Toparchiis Hieroſolymorum natus, & cæteri Iudæi, putà Galilæi, Idumæi, Hierichuntini &c. Sic ſæpe in N. T. Iudæa anguſtâ ſignificatione capitur, vt *Luc.* 11. *verſic.* 4. *& cap.* 3. *verſ.* 1. & in *capite* 1. *verſ.* 5. vbi Herodes Magnus dicitur rex Iudææ, latâ ſignificatione accipiendum.

398. *Theudas, & Iudas Galilæus*, fuerunt duo ſeditioſi in Iudæâ, *Act.* 5. Cauſabonus obſeruat, duos fuiſſe Theudas ſeditioſos; vnum ante Chriſtum, alterum poſt, cùm res Imperatoris in Iudæâ procurabat Fadus.

399. *Alexander, Hymenæus, & Philetus*, à fide deſciuerant, docentes nullam eſſe reſurrectionem, & conantes poſtliminio reuocare ceremonias Moſis. 1. *Tim.* 1.

400. *Her-*

400. *Hermogenes, & Phygellus*, fuerunt schismatici, 2. *Timoth.* 1.

401. *Diotrephes*, primatum affectabat in ecclesiâ, *Iohan. epist.* 3.

402. *Timotheus*, patriâ Lystranus, natus patre Græco, matre Iudæâ fideli, à pueris didicit sacras literas, ab auiâ *Loide*, & matre *Euricâ*: fuit circumcisus à Paulo propter infirmos fratres, & ab eodem ascitus collega in euangelio Christi.

403. *Titus*, natus ex Græcis parentibus gentilibus, conuertitur à Paulo, qui ipsum vocat filium & collegam suum. Docuit in Dalmatiâ.

404. *Silas*, fuit allectus à Paulo symmysta & socius peregrinationis euangelicæ.

405. *Iason*, ciuis Thessalonicensis pius, hospitio excipit Paulum & Silam, eâque de causâ malè mulctatur à suis conciuibus.

406. *Dionysius Areopagita* conuertitur à Paulo, Athenis: item *Damaris*, mulier, & alij quidam Athenienses.

407. *Gallion*, proconsul Achaiæ, reiicit Iudæos accusantes Paulum de religione.

408. *Aquila*, Iudæus Ponticus, & *Priscilla*, eius vxor, à Claudio vnà cum aliis Iudæis Româ electi, conferuntse Corinthum ad Christianos, ibiq; conficiunt tabernacula ad tempus. Inde se recipiunt Ephesum & Philippos, tandemq; redeunt Romam.

409. *Sosthenes*, præfectus Synagogæ Corinthiacæ, conuertitur à Paulo, eaque de causâ cæditur ante tribunal Gallionis à Græcis.

410. *Apollos*, Iudæus Alxandrinus, eloquentiâ & zelo insignis, conuertitur ad fidem Christi, & illam egregiè propagat.

411. *Demetrius*, aurifaber templi Dianæ apud Ephesios, concitat suos ciues aduersus Paulum. Fuit etiam pius quidam hoc nomine, cuius meminit Iohannes *epist.* 3.

412. *Eutychus*, adolescens, Troade decidit ex fenestrâ,

præ

præ ſomno, in concione Pauli, qui ipſum ex morte ſuſcitat.

413. *Trophimus*, ciuis pius Epheſi, Paulum comitatur ex Aſiâ Hieroſolymam. Docuit Arelate in Galliis.

414. *Lyſias*, cognomento Claudius, tribunus Hieroſolymitanus, Paulum à Iudæis comprehenſum, periculo eripit.

415. *Ananias*, Pontifex Maximus, iubet cædere os Pauli apoſtoli. *Tertullus*, Ananiæ orator, eſt ſimilis domino ſuo.

416. *Ariſtarchus*, fuit collega, comes & concaptiuus Pauli.

417. *Iulius*, centurio cohortis Auguſtæ, Cæſareæ, Paulum humaniter habitum perducit Romam.

418. *Publius*, præfectus Melitæ, Paulum peramicè accipit hoſpitio.

419. *Clemens*, Pauli collega, docuit Metis.

420. *Philemon*, ciuis pius Theſſalonicæ, fuit adiutor Pauli. *Archippus*, ibidem fuit Pauli commilito.

421. *Oneſimus*, ſeruus Philemonis fugitiuus, conciliatur hero literis Pauli.

422. *Electa*, fuit fœmina præſtantis dignitatis, cui Iohannes inſcripſit ſecundam ſuam epiſtolam.

423. *Gaius*, patriâ Derbenſis, incolatu Corinthius, fuit pietate & hoſpitalitate inſignis. Huic inſcripſit Iohannes tertiam ſuam epiſtolam.

424. *Itali*, quorum fit mentio *Hebr.* 13. erant ſancti quidam in Italiâ, Iudæi proculdubio & Gentes.

425. *Phœbe*, *Epenætus*, & alij, quorum mentio fit *Rom.* 16. & illi, qui recitantur 1. *Cor.* 16. *Phil.* 4. *Coloſſ.* 4. 2. *Tim.* 4. & *Tit.* 3. hi, inquam, ex allegatis locis cognoſci poſſunt quales fuerint.

Hîc itaque manum de tabulâ proſopographiæ ſacræ tollo, eamq; hoc duplici nomine tibi commendatam eſſe cupio: quòd videlicet inſigniter faciat ad facilem recordationem hiſtoriarum per vniuerſum Scripturæ corpus

ſpar-

ſparſarum, quatenus quidem illæ vnius ferè ſemihorulæ patio in hoc compendio inſpici poſſunt. Quò accedit varietas exemplorum, quibus tum in diſſertatione, tum in vitæ inſtitutione potes vti, magno cum fructu. Habes énim hîc exempla beneficentię, charitatis, caſtitatis, adulationis, ambitionis, animoſitatis, auaritiæ, crudelitatis, fortitudinis, &, vno verbo, virtutum ac vitiorum omnium.

LIII.

TOPOGRAPHIA SACRA.

I. TOpographia ſacra eſt pars hiſtoriæ ſacræ de locis illuſtribus, quorum paſſim in Scripturâ fit mentio. Eiuſmodi loca ſunt regiones, vrbes, flumina, montes, fontes, templa, & ædificia illuſtria. Cæterùm topographia eſt alter hiſtoriæ oculus.

II. Loca illuſtria in ſacris ſic habent, ferè iuxta ſeriem librorum ſacrorum.

1. *Eden*, eſt Auranitis, ſuprema Chaldææ pars: de quâ vide ſuprà in Geographicis. Ibidem vide *quatuor flumina paradiſi.*

2. *Terra Nod*, eſt regio Nomadum, in deſertâ Arabiâ, Babyloniæ contermina. Quæ regio reſpectu terræ Canaan eſt ab oriente Edenem verſus, vt eſt *Gen. 4. v. 16.*

3. *Ararat* montes, ſunt celebres propter arcâ Noë, quæ ibi quieuit. *Gen.* 8. De his rectè ſcribit Epiphanius: *Poſt diluuium, cùm conſediſſet arca in montibus Ararat, inter Armenios & Cardueos, nempe in monte quodam Loubar vocato, ibi primùm habitatio hominum poſt diluuium fieri cœpta eſt.* Montes Carduei etiam appellantur Gordyæi, Gordi, Cordæi, Cardyei, Cardueni, Gordochi, & Carduchi.

4. *Babylon*, antiquiſſima omnium ciuitatum à diluuio, habuit ambitum ſtadiorum 385, authore Strabone. Diodorus ex iſtâ ſummâ nonnihil detrahit, & 365 ſtadia tan-

tùm tribuit, secutus fidem Clitarchi, & quorundam, qui cum Alexandro Asiam traiecerunt.

5. *Erec*, Edessa vetus ad Euphratem, aliis Arecha in Susianâ: *Accad*, Nisibis Mesopotamiæ, in illâ eius parte, quæ corruptè dicitur Arabene, pro Accadene: & *Calne*, Calliniſium, oppidum munitissimum: hæc, inquam, oppida eiusdem cum Babylone sunt antiquitatis. Quæ omnia condidit Nimrod, *Gen.*10.*v.*10.ibiq; primò regnauit.

6. *Terra Sinear*, est Mesopotamia & Chaldæa, vbi est mons Singaras, imminens Mesopotamiæ, & ab eo dictum oppidum Singara.

7. *Nineue*, Ptolemæo Ninus, ædificata à Nimrodo in Assyriâ ad Tigrim, fuit longè amplissima, & stupendi pene ambitus. Nam cùm formâ esset ἑπρομήκης, id est, alterâ ex parte longior, ita vt duorum laterum inæqualium maius 150 stadia complecteretur, minus 90; totus vtiq; ambitus (περίοδος) in vnam summam collectus, 480 stadia, hoc est, 60 milliaria, efficiebat. Hinc illud apud Ionam, Nineuen videl. esse ciuitatem longè maximam, triũ dierum itinere, hoc est, in circuitũ patere itinere tridui: Iter enim vnius diei, 20 ferè milliaribus æstimari solet. Hũc eundem ambitum Plinius Babyloni assignat, quam 60 millia passuum muris amplexam scribit: & Herodotus lib.1.author est, ambitum quatuor laterum eius fuisse stadiorum 480. At Strabo lib.16.Geograph. apertè asseuerat, Nineuen multò maiorem fuisse Babylone, quam ait non nisi 380 stadiorum ambitum habuisse. Diodorus quoque minorem habet summam, videl. stadiorum 360. Idem confirmat Clitarchus, & Ctesias Cnidius. Et vltimis hisce potiùs credendum fuerit. Nam & complures sunt, & plerique omnes oculati testes, & ad Scripturæ authoritatem propiùs accedunt. Nam à Ionâ pronuntiatur Nineue fuisse *vrbs magna Deo*, hoc est, summæ & admirandæ magnitudinis, qualia sunt diuina. Id autem elogium nulli vrbium, præterquam huic soli tribuitur. Dicamus itaque Nineuen amplissimam omnium vrbium, Babylonem

nem antiquissimam fuisse omnium à diluuio ciuitatum. *Gen.* 10. *vers.* 10. 12. Quod vtrumque ibi testatur sacra historia.

8. *Rechobotha*, Oroba ad Tigrim: *Celachum*, Calacines regionis in Assyriâ metropolis, vnde fuit inditum regioni nomen: & *Resenum*, Resaine oppidum in Mesopotamiâ: hæc, inquam, Nimrod ædificauit post Nineuen, *Genes.* 10. *vers.* 12.

9. *Cananæa*, hos terminos habebat tempore Mosis. *Sidon* & *Gaza*, ciuitates maritimæ designabant angulos occidentales à septentrione ad meridiem: *Sodoma, Gomorra, Adma, Zeboim & Leschah*, angulos orientales à meridie septentrionem versus, contra Moabitarum & Ammonitarum agrum. *Gen.* 10. *v.* 19. Terminos, quibus Deus hanc terram circumscripsit, vide *Num.* 34. Cæterùm plerique ex Plinio, Herodoto & aliis historicis, tradunt, Nineuen Tigri fuisse impositam. Sed Strabo lib. 16. docet, ad Lycum amnem hanc vrbem fuisse extructam. Sunt etiã in sacris literis duo hi termini terræ sanctæ, *Chamatha*, & *fluuius Sihor*, nominatissimi: ille septẽtrionalis, hic australis. *Chamatha*, siue Emath, fuit vrbs Cœles Syriæ, quæ tempore Hieronymi appellata fuit Epiphania. *Fluuius Sihor*, est riuus Nili, qui dictus est Sihor, teste Hieronymo, quòd aquas turbidas habeat. Atque hinc fortassis μέλας primò Græcis est dictus, & exinde Latinis Melo. Scriptura passim riuum istum Nili vocat נחל מצרים *torrentem Ægypti*, quandoque etiam flumen Ægypti; non quatenus erat communis limes (sic enim etiam terræ Israëlis æquè torrẽs esset ac diceretur) sed quatenus brachiolum erat Nili ipsius, cuius vniuersum corpus erat Ægypti proprium. Porrò idem ille riuus *Nahal Mizraim*, qui Ægypũ à Phœniciâ vel terrâ Israëlis disterminabat, ab Amoso appellatur *torrens deserti, cap.* 6. *v.* 14: ob desertum nempe Sin, cuius extremitatem Austrum versus attingebat. Cur verò, inquiat aliquis, riusille Nili, qui omnium proximus erat terræsanctæ, appellatur *Esa.* 13. *v.* 3. Sihor ille qui est

ad faciem Ægypti? Resp. Proprium Nili nomen fuit Sihor, aut Sior, aut Sir. Quare idem quoque septem ipsius riuis commune fuisse oportet. Cõsentaneum igitur erat, vt suâ quisque appellatione designaretur, quam ei inderet vrbs aliqua primaria quam allueret, aut ratio situs, aut quiuis alius respectus idoneus. Hinc factum, vt riuus ille qui omnium proximus erat terræ sanctæ, non Sihor simpliciter (commune quippe erat id & cæterorum nomen) sed Sihor ille qui est ad faciem Ægypti, hoc est, qui à terrâ Israel dirimit anteriorem partem Ægypti, appellaretur. Quam quidem partem, faciem Ægypti appellat propheta, quoniam descendentibus è Cananæâ in Ægyptum, hæc primum ex aduerso statim occurrit, seque conspiciendam præbet, reliquo totius prouinciæ velut corpore nondum apparente. Obiter hîc obserua, Nilum ab Hebræo *Nahal*, vnde Phœnicũ & Ægyptiorum *Neel* & *Neil*, dictum esse, κατ' ἐξοχήν, q. d. fluuium principem.

10. *Gaza*, fuit vrbs Philistæorum satrapiâ nobilis. Confer *Gen.10.v.19. Ios.13.v.3.1.Sam.6.v.17.*

11. *Pentapolis* fuit regiuncula quinque vrbium, *Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Zeboim,* & *Segoris* siue *Zoharis*, è quibus quatuor priores igne & sulphure à Deo sunt deletæ, quinta in gratiam Lothi fuit conseruata. *Gen.19.v.22.24. Deut. 29.v.23. Hos.11.v.8.* Est & alia Pentapolis, videl. tractus prope Cyrenem, complexus itidem quinque vrbes: nimirum *Berenicen, Arsinoen, Ptolemaida, Apolloniam, & ipsam Cyrenen.* Hæc differentiæ causâ vocatur *Pentapolis Cyrenaica.*

12. *Mescha*, est regio sub monte Masio, quæ pars est Amani montis, *Gen.10.v.29.* Masius autem & Mescha nomen habent à Mesch filio Aram.

13. *Sepharum*, est oppidum, Ptolemæo Sipphara, ad Euphratem in Mesopotamiâ. *Gen.10.v.29.*

14. *Montes orientis*, in Scripturis dicuntur montana Chaldææ, quæ Euphratem excipiunt, & ab Arabiâ deserta

sertâ Chaldæam dirimunt. Confer *Gen.*10.*v.*29. *Num.*23. *vers.*11.

15. *Vr*, oppidum Chaldæorum, quod Ammianus eodem nomine appellat,& suo tempore castellum fuisse dicit. Alii historici Orchoen vocant: vnde tertia Chaldæorum disciplina fuit Orchoëna dicta, quòd nempe in hôc oppido nata, ibidemque plurimùm exercita esset.

16. *Haran*, est oppidum præcipuum Mesopotamiæ, quod historici vocant Carras, iuxta quas Crassus,gurges ille auaritiæ, cæsus interiit. In Scripturâ V. & N. T. hoc oppidum est nobile habitatione Abrahami patris credentium.

17. *Sichem*, fuit vicina Samariæ, hodiè Neapolis. Iuxta hoc oppidum fuit *fons Iacobi*, colloquio Christi cum muliere Samaritanâ celebris, *Iohan.* 4. Alio nomine hoc oppidum appellatum fuit *Sichar*: etsi Hieronymus diuersa oppida fuisse censet.

18. *Samaria* est nomen tum gentis siue regionis, tum ciuitatis. De priori appellatione accipiendus est locus *Iohan.*4.*v.*7. *Venit mulier de Samariâ*. Neque enim verisimile est, vrbis Samariæ incolas aquatum ventitasse ad oppidum Sichar, siue Sichem, quod à Samariâ vrbe distabat duas leucas. Est igitur Samaria in illo versu, ipsa vrbs Sichar:& de eâdem versus 28 & 30 sunt intelligendi: ac similiter vox Samaritanus sæpiùs in hâc historiâ pro Sichemitâ. Videtur autem euangelista hanc potiùs communem appellationem, quàm propriam vsurpasse, quia odia inter duas illas gentes eâ voce meliùs exprimebantur: quo ad rem cum primis faciebat. Cæterùm de Samariâ, tum vrbe, tum regione vide passim in libris regum.

19. *Ægyptus*, fertilissima quidem est regio, sed quæ & ipsa Nili accessu destituta, famem interdum sentiat. Aliqui egni vetustate, cum auitâ potentiâ rerumque magnaum memoriâ est celebris. Clarissima ipsius vrbs fuit *Alexandria*, quam Marcellinus appellat verticem omniũ ciuiatum: tum *Thebæ*, numero portarum nobilis: *Mem-*

phis, aulâ regiâ ingens, & maxima olim: item *Coptos*, Arabicarum, Indicarumque mercium emporium: *Abydus*, Memnonis regiâ & Osindis fano insignis: *Syene*, atque aliæ apud historicos celebratæ. Fuerunt etiam in Ægypto pyramides, quæ ab Israelitis extructæ putantur, cùm ab Ægyptiis inter alia onera & hoc ipsis imponeretur tanquam certi temporis pensum.

20. *Planities Moræ* fuit contermina Sichemo, sic dicta à nomine possessoris.

21. *Bethel*, vrbs in tribu Beniamin, primò fuit dicta *Luza* Confer *Gen.*12.*v.*5. *&c.*28.*v.*19. Nuncupata est Bethel, vt memoria patefactionis diuinæ, quæ ibi contigit, propagaretur. Eodem loco Ieroboam vitulum aureum collocauit, vt videretur sequi exemplum Patrum, qui ibi Deum adorauerant. Eâ de causâ appellata fuit Beth-auen, id est, domus vanitatis, *Hose.* 4. *v.* 15.

22. *Hai*, fuit ciuitas Amorrhæorum trans Iordanem, ad orientalem plagam oppidi Bethel, non longè ab eo distans.

23. *Ellasar* fuit Susiana superior, ad Assyriam pertinens, *Gen.*14.*v.*1.

24. *Elam* est pars superioris Persiæ, *Gen.*14.*v.*1.

25. *Bala* fuit vrbs in Pentapoli, alio nomine Zohar, siue Segor, item Salissa. Vide num. 11.

26. *Engadda*, fuit vicus prægrandis Iudæorum iuxta mare mortuum: vnde opobalsamum fuit allatum.

27. *Dan*, fuit oppidum, primò *Laisch* siue *Leschem* lictũ, deinde Dan, tum Cæsarea Paneadis à fonte, postmodum Cæsarea Philippi de nomine illius tetrarchæ qui maximis operibus ornauit eam, postremò Neronia per Agrippam regem ad Neronis honorem appellatum.

Salem, vrbs regia Melchisedeci, etiam fuit dicta Iebus à conditore Iebusæo, filio Canaan; item Ierusalem. Diuisa fuit in superiorem & inferiorem. Superior in vertice Sionis, vnà cum templo in eiusdem montis latere, sita erat, quæ à conditore etiam appellatur ciuitas Dauid.

Templo

Templo adhærebat inferior ciuitatis pars. Vrbs hæc tribus montibus fuit inclyta: monte videl. Sion, Moriâ, & Acrâ. Quo sensu appelletur vmbilicus terræ, vide suprà in Geographicis. Vulgo traditur & alia vrbs nomine Salem, *Gen.*33.*v.*18. Sed alii putant שָׁלֵם ibi esse nomen appellatiuum, idem quod *incolumis.*

29. *Damascus*, Syriæ vrbs antiquissima, palmularum fuit feracissima, itemque prunorum, quæ inde vocantur Damascena. Iulianus in epistolis hanc vocat veram Iouis vrbem, totiusq; orientis oculum. Hoc in loco Adam vixisse dicitur, vnde & nomen *Damascus* deducunt quidam. Cain ibidem traditur occidisse fratrem.

30. *Berseba*, erat fons celebris, finis atque terminus terræ Israëlis ab Austro, vt Iosephus, scriptor vernaculus prodidit. Nomen habet à percusso fœdere, quod ibi Abimelech & Abraham confirmarunt iureiurando, *Gen.* 31. *vers.* 31.

31. *Moria*, fuit mons à latere Sionis, sic dictus à nobili euentu, qui describitur *Gen.* 22.*v.*2.14.

32. *Hebron*, ciuitas in terrâ Canaan, in montanis Iudææ, dicta est & conuallis Mambre, & Arbah, & Ciriatharba, & vrbs Iuda in montanis, *Gen.*13. & 23. *Ios.*15. *Luc.*1. De hâc vrbe sic scribit Eusebius: *Arbo, hæc est Chebrom, vicus nunc maximus, metropolis olim populorum diuersi generis, & gigantum habitaculum: & postmodo regia sedes Dauidis. Sorte autem obtigit tribui Iuda, & vrbs fuit sacerdotalis, vna ex ciuitatibus refugij. Hierosolymis versus Austrum distat milliaribus viginti duobus. Quercus Abrahæ, & monumentum illic cernitur, & colitur manifestè ab inimicis terebinthus, item ab Abrahamo hospitio suscepti angeli. Cùm autem priùs vocaretur Arbo, postea vocata est Chebrom, à Chebromo, qui fuit vnus è filiis Caleb, vt legitur in libris Paralipomenon.* Cur verò appellata fuit *Ciriath-arbah*? Quidam ab ordine vrbium quatuor deductum esse putant nomen, quasi dicas tetrapolim: quo sensu tripolis, pentapolis, & decapolis dicuntur. Aliis placet esse nomẽ gigantis *Arba*, qui vrbem condiderit. Alii à quatuor patri-

bus nomen loco datum fuisse malunt, qui illic cum vxoribus fuerint sepulti: Adam, Abraham, Isaac, & Iacob. Denique sunt, qui existimant, veteres in more positum habuisse, vt insigniores vrbes diuiderent in quatuor partes, è quibus prima fuerit principum, senatus, & sacerdotum: secunda, militum; tertia, agricolarum; quarta, opificum.

33. *Chauila* est ora maritima, & veluti frons Susianes inferioris in Perside. Fuit vnus è terminis meridianis terræ Ismaeliticæ, vt patet ex *Gen.*25. *v.*18. vbi Chauila & Sur desertum sunt termini meridiani, Assyria terminus meridionalis. Qui sanè tractus est amplissimus.

34. *Padan* est pars Mesopotamiæ, à Cebare, siue Chaborâ, fluuio, qui in Euphratem labens regionem dissecat. Huius appellationis, quæ sæpe in Scripturis occurrit, vestigium certum est nomen *Aphadna* apud Ptolemæum duobus oppidis attributum, quorum vnum ad Euphratem, alterum ad Chaboram est situm. Vide suprà in geographicis.

35. *Gerar* fuit metropolis Palæstinæ, in quâ natus est Isaac. Fuit item nomen regionis, quæ postea dicta est *Salutaris*, teste Hieronymo: olim regnum discretum à Palæstinæ satrapiis, & terminus Cananææ ad plagam Australem.

36. *Phanuel*, siue *Panuel*, fuit locus iuxta torrentem Iacob, in finibus Amorrhæorum, vbi Iacob totâ nocte luctatus est cum angelo: ita appellatus, quòd illic vidisset Dominum. Eò loci postea extructa est vrbs, quæ Gideonis exercitui negauit panem: quâ de causâ malè mulctata est. Hanc vrbem Strabo lib. 16. appellat faciem Dei. Est autem contigua Tripoli, apud eamque mons Libanus desinit.

37. *Tripolis*, regio fuit in Phœniciâ, sic dicta, quòd tres vrbes, videl. Arcadum, Tyrum, & Sidonem, contineret. Est & Tripolis in Africâ. Hinc Tripolis dicitur cum adiectione, Syriaca, vel Africana.

38. *Te-*

38. *Tetrapolis*, fuit regio Syriæ, in quâ fuerunt quatuor insignia oppida. Fuit & Tetrapolis Atticæ, itidem complexa quatuor vrbes.

39. *Decapolis*, regio Syriæ, vltra Iordanem sita erat, Galilææ gentium propinqua. Oppida eius à quibusdam ita commemorantur: *Damascus, Philadelphia, Scythopolis, Gadara, Hippon, Dion, Pella, Galasa, Canatha, Raphana.*

40. *Gosen*, Ægypti regio & ciuitas. Fuit etiam in tribu Iudâ ciuitas hoc nomine, à quâ tractus circumiacens fuit appellatus terra Gosen. Cæterùm in Gosen, regione Ægypti fuit Rameſſes, ſiue, vt alii legunt per metatheſin, *Raëmſes*, in optimo & fertiliſſimo loco, quem Ioſeph poſſidendum & colendum dedit patri & fratribus ſuis, iuſſu Pharaonis. Hæc eſt Heliopolis ſiue Thebæ: quanquam Hieronymo Rameſſes, ſiue vrbs Goſen, eſt pagus Arſenoitis, in extremis Ægypti finibus.

41. *Æthiopia*, regio Africæ ſub Ægypto, Hebræis *Cus*, q. d. nigredo. Quo nomine tum Æthiopes, tum Aſiatici omnes ſunt vſi, teſte Ioſepho, qui ſcribit, Æthiopas tum à ſeipſis, tum ab Aſiaticis omnibus appellatos fuiſſe *Cuſæos*, ſiue, Chuſæos. Cuſſii etiamnum hodiè appellantur à Luſitanis.

42. *Midian*, fuit regio, itemque vrbs Æthiopiæ iuxta Arnonem & Ariopolim, cuius nunc ruinæ tantùm demonſtrantur. Hic habitauit Iethro, ſocer Moſis. Eſt & alia vrbs hoc nomine in Arabiâ, in deſerto Saracenorum cõtra orientem maris rubri, ad meridiem Iudææ. Ex hâc vrbe oriundi fuerunt Midianitæ illi, quibus venditus fuit Ioſeph, quique etiam dicuntur Iſmaëlitæ, *Gen.* 37. videlic. propter confuſam cum Iſmaëlitis habitationẽ. Alioquin Midianitæ fuerunt poſteri Abrahami ex Keturâ, Iſmaëlitæ ex Hagarâ. Quare Midianitæ iſti fuerunt Midianitæ gente, habitatione Iſmaëlitæ: quomodo accidere ſolet inter mercatores, vt ipſorum cœtus ex variis conſtent.

43. *Gilead*, ſeu *Galaad*, regio Galilææ ad orientem vltra Iordanem, vbi dimidia tribus Manaſſes accepit poſſeſſionem

ſionem cum tribubus Ruben & Gad. Fuit ſita ad tergum Phœnices & Arabiæ, collibus Libani copulata: extenditur per deſertum ad regionem Amorrhæorum. In hâc regione fuit nobile emporium hoc ipſo nomine, *Geneſ.* 37. *verſ.* 25.

44. *Horeb*, mons ſiccus & aridus, in quo fuit *Sinai*, in regione Midianitarum. Vnde hic tractus montanus promiſcuè appellatur Horeb & Sinai.

45. *Manſiones Iſraelitarum*, inde à Rameſſes ad Iordanem vſq;, fuerunt XLI. hoc ordine. 1. Ex Ægypto profecti ſunt Rameſſo Succothas. De priori loco vide paulò antè n. 40. poſterior ſic dictus eſt à tabernaculis, ſiue tuguriis tumultuariis, quæ Iſraëlitæ in primâ iſtâ ſtatione adhibuerunt. *Exod.* 12. 2. Profecti ſunt Succothis, & caſtra metati ſunt in *Etham*, fine deſerti, *Exod.* 13. Deſertum iſtud eouſq; protenditur, quâ Iſraelitæ fecerunt iter à traiecto mari: atque hinc compoſitè dictum fuit *Pithom*, vel *Patomus*, quaſi dicat, os deſerti. 3. Caſtra metati ſunt ante fauces montium *Chiroth*, inter *Migdolum*, locum munitum, & mare, ante Baalzephon, qui ipſe locus fuit etiam munitus. *Exod.* 14. Hâc ſpecie illecti fuerunt Ægyptij ad Iſraëlitas aggrediendum, ſpe retrahendi ipſos in Ægyptum. Inde tranſierunt per mare. 4. A mari algoſo progreſſi ſunt in deſertum *Sur*, quod idem fuit cum deſerto Etham. In hoc deſerto poſt tridui iter venerunt ad *Mara*: quem locum Plinius vocat amaros montes, planè ad genium Hebraici nominis, *Exod.* 15. De mari algoſo, ſiue rubro, vide ſuprà in Geographicis. 6. Venerunt in *Elim*, vbi erant duodecim fontes, & ſeptuaginta palmæ: qui numerus repræſentat 12 tribus & 70 ſeniores populi: item 12 apoſtolos, & 70 diſcipulos Chriſti. 7. Profecti ex Elim, caſtra metati ſunt ad mare algoſum. Vide ſequentes manſiones, ſeu ſtationes, *Num.* 33

46. *Sin*, fuit deſertum in terrâ Edom: aliâs *Kadeſchet deſertum Pharan*. Fuit ſitum inter Elim & Sinai. In hoc deſerto

ſerto populus Iſrael annos triginta ſeptem cum dimidio eſt commoratus: poſtea dimidium annum in itinere à Kadeſcho ad vallem Zerodi occupauit. *Deut.* 2.

47. *Mare ſalſum* eſt lacus Aſphaltites, ſeu mare mortuum.

48. *Chazar-Adar*, fuit oppidum geminum, ſiue coniunctum ſitu, etſi muro diſcretum. Hinc Scriptura interdum coniungit hęc duo nomina, vt *Num.* 34. interdum ſeorſim nominat, vt *Ioſ.* 15.

49. *Akrabbimi*, fuit aſcenſus montis in deſerto ſiticuloſo & ſcorpionibus referto. Vnde quidam appellatiuè vertunt *aſcenſum ſcorpionum*, *Num.* 34. *v.* 4.

50. *Vallis Ægypti* in Scripturâ dicitur pars Caſiotidos, quæ ſubeſt monti Caſio, cis paludem Sirbonidem: quæ Ægypti propterea dicitur, quòd Ægyptum à Iudæâ diſterminat.

51. *Mare magnum*, in S. literis eſt mare mediterraneum ſiue Syrum. Fuit autem ita appellatum ex comparatione aliorum marium, quæ Iudææ adiacent.

52. *Hor*, eſt nomen montis, qui etiam dictus fuit *Hermon*, *Sirion*, *Schenir*, *& Sion*. Num. 34. Deut. 3. & 4. Ioſ. 13. Caue hîc confundas *Tzijon* cum *Sion*. Etſi enim vulgo etiam pro Tzijon ſcribimus Sion: alius tamen fuit ille mons, videl. Hieroſolymis; & appellatur mons ſanctus, mons Domini, mons congregationis &c. In huius montis vertice erat arx conſtructa, quæ à Dauide, *ciuitas Dauidis* eſt vocata.

53. *Mare Cinnereth*, cuius fit mentio *Num.* 34. *v.* 11. eſt lacus Genezareth.

54. *Iordan*, fluuius Iudææ, aquas habens ſuauiſſimas, Petæam à reliquâ Iudæâ diſterminans, oritur ad radices Libani, duobus fontibus: alteri nomen eſt *Ior*, alteri *Dan*, qui ſimul iuncti Iordanem efficiunt.

55. *Iericho*, ciuitas opulentiſſima, in tribu Beniamin, ab Hieroſolymis 150, à Iordane 60 diſtans ſtadiis. Fuit nobilis

lis palmetis & balsami viridariis. Vnde etiam *ciuitas palmarum* appellatur *Deut.*34.

56. *Libanus*, Syriæ mons, à Sidone, Phœnices oppido, vsque ad Smirnam vrbem Cœles Syriæ extensus, 150 stadiorum longitudine. Huic ex aduerso obtenditur *Antilibanus*, valle tantùm interiectâ, olim muro illi coniunctus.

57. *Bethlehem*, duæ sunt: vna in tribu filiorum Zabulon; de quâ *Ios.* 9. ex quâ oriundus fuit Abezan, iudex: altera in tribu Iudâ, ciuitas Dauid, vbi ille habitauit. Hæc fuit patria Domini nostri Iesu Christi. Olim dicta Ephrata, *Gen.*35. & 48. Vocatur ciuitas Dauid, *Luc.*2. & *Iohan.*7.

58. *Bethpeor*, fuit ciuitas in tribu Ruben: è cuius regione sepultus est Mose, in terrâ Moabitarum.

59. *Hus*, siue *Vtz*, est regio Trachonitis, sic dicta ab *Vtz*, filio Amram, *Gen.*10.*v.*23. Is enim, teste Iosepho, itemque Hieronymo, Trachonitidem & Damascum condidit. Nam principatum tenuit inter Palæstinam & Cœlesyriam. Huius regio *Iob* 1. dicitur αὐσίτις à LXX Interpretibus: aliâs Ausanitis.

60. *Rama* est nomen trium vrbium. Est enim *Rama Beniaminis*, *Rama Naphthali*, & *Rama Tzophæorum*, seu regionis Tzuph, quæ 1.*Sam.*1.*v.*1. dicitur *duplex Rama*, quòd in duas ciuitates diuisa esset.

61. *Silo*, ciuitas in tribu Ephraim, clara tabernaculo, quod ibi vsque ad Dauidis tempora hospitium habuit.

62. *Bethsemes*, fuerunt tres vrbes hoc nomine: prima, in tribu Iudâ; secunda, in tribu Naphthali; tertia, in sorte filiorum Isaschar.

63. *Garizim*, mons Samariæ iuxta Gilgal, trans Iordanem, Sichemorum imminēs ciuitati. Ibi stabat templum illud Iudæis tantopere exosum, idq; merito.

64. *Ekron*, fuit vna è quinque ciuitatibus & satrapiis Philistæorum, de quibus 1.*Sam.*6.

65. *Gilgal*, siue *Galgal*, fuit ciuitas vltra Iordanem, non procul à Iericho.

66. Ga-

66. *Gabaon*, metropolis Heuæorum, Hierosolymis distans xi. stadiis. Hæc è tribu Beniamin, filiis Aharon adscripta est.

67. *Iabes Gileadis*, fuit ciuitas, non procul à Pellâ, pergentibus Gadaram.

68. *Salim*, est nomen regionis & oppidi. Confer 1. *Sam.9.& Iohan.3*. Dicitur etiam *terra Schualis*, 1. *Sam.13*. non procul à Gilgale ad Iordanem.

69. *Gabaa*, siue *Gibea*, tres fuerunt vrbes hoc nomine. *Prima*, filiorũ Iuda; secunda, sacerdotis Pinehas, in montanis Ephraim; tertia, tribus Beniamin, 60 stadiis ab Hierosolymis. Et hæc fuit regia Saulis: vnde dicitur domus Saulis, 1. *Sam.15. v.22*. Fuit etiam hoc nomine collis ad vrbem Kiriath Iearim, amœnus valde. 1. *Sam.* 7. qui etiam dicitur Gibeon, 1. *Reg.3. vers.9*. Hîc obserua quatuor sedes regias in populo Dei. Prima fuit Gibea, Saulis: secunda Hebron, Dauidis, qui inde transtulit sedem, Hierosolymam, vbi habitarunt reges Iudæ: quarta, Samaria, sedes regum Israël.

70. *Assyria*, regio maioris Asiæ, Ptolemæo terminatur ab ortu Mediæ parte, ab occasu Mesopotamiâ, à septentrione parte minoris Armeniæ, iuxta Niphatem montẽ, à meridie Susianâ. Plinius autem lib.5.c.12. Assyriam docet Syriæ partem esse, quæ postea vocata est Adiabene. Strabo verò lib.6. longè latiores Assyriæ fines assignat, eo nomine comprehendens Babyloniam, & maximam circumiacentium regionum partem. Eadem & Syria à Græcis vocata est, *Herod.lib.7. Iustin.lib.1*. quanquam multò latiores Syriæ fines fuerunt, quàm Assyriæ. Dicta est autem Assyria ab Assur, filio Sem, & olim complexa fuit 18 regna.

71. *Syria*, est regio Asiæ, quæ ab oriente terminatur fluuio Euphrate, ab occidente mari mediterraneo & Ægypto, à septentrione habens Ciliciam & partem Cappadociæ, à meridie Arabiam. Eius ciuitates insigniores apud Ptolemæum sunt, *Laodicea*, *Hierapolis*, *Antiochia*, *Apamea*, *Palmy-*

Palmyra, Heliopolis, Ptolemais, Sidon, Tyrus, Berytus, Botrys, Tripolis, Seleucia, Cæsarea, & Damascus: montes clari, *Carmelus, Casius, Libanus:* fluuij, *Euphrates, Chrysorrhoas, Singas:* regiones, *Phœnice, Palæstina, Iudæa, Idumæa, Comagena, Samaria, & Syria cœle* Sunt qui quadripartitam faciunt diuisionem, in Syros, Assyrios, Leucosyros, & Cœlesyros. Plinius Mesopotamiam quoq; & Babyloniam Syriæ attribuit: totiusq; Syriæ partem facit Assyriam. Multi confundunt, vt Herodotus, qui Syros à Græcis dictos, Assyrios à barbaris dici scribit, & illis Chaldæos adnumerat. Et sanè multi sunt, qui eam, quæ nunc Syria dicitur, olim Assyriam dictam scribunt, detractâ solùm syllabâ. Quidam diuidunt Syriam in quinque partes, videlicet *Comagenam, Seleucidem, Cœlesyriam, Phœniciam, & Iudæam.* Hebræis Syria dicitur Aram: quâ de re suprà in geographicis. Porrò Syria etiam diuiditur in maritimam & mediterraneam. Mediterraneam Syriam cum Assyriâ sæpe confundi certum est.

72. *Phœnicia,* regio Syriæ maritima, Galilææ contermina. Eius præcipuæ vrbes post *Ptolemaida* fuerunt *Tyrus* & *Sidon,* & quæ cum his Tripolim efficit, *Aradus.* Inter Tyrum & Sidonem sita fuit *Sarepta.*

73. *Syrophœnicia,* dicta est quidquid Phœniciæ trans Libanum à Syriâ circumfunditur: à quo confinio nomen ortum est, quomodo dicimus Celtiberos, Gallogræcos & Mysomacedonas.

74. *Iudæa,* non vno modo sumitur. Vide supra in geographicis, & paulò ante in prosopographiâ, nu. 397. Quibus adde sequentia ex nonnullis historicis. Iudæa est regio Syriæ in Asiâ maiore, ad orientem habens mare mortuum, vltra quod est Iordanis fluuius, qui mare mortuũ ingreditur: deinde Amorrhæi habitant. Post quos Moabitæ terram occupant: deinceps Ammonitæ & magnus Euphrates. Vltra illos Babylon atque Chaldæorum est regio. Persia deinceps inchoat. Ad Aquilonem Galilæa cubat, in cuius tergo Libanus mons, terminus Iudææ, eminet.

minet. Damascus deinde, & Euphrates: vltra quem Syria & Assyria sitæ sunt, quæ respiciunt orientalem plagam. Vlterius Sidon & Tyrus occidentem versus declinant, itemque Palæstina, quæ dicitur Allophylorum terra, vltra quam est mare mediterraneum, quod inde dicitur mare Palæstinorum. Ad meridiem Amalekitæ habitant: post quos Seir mons, & Edomitæ: vltra illos Midianitæ sedent: deinde est mare rubrum: vltra quod Ægyptus sita est ad occidentem Iudææ. Porrò Iudæa aliquando tota terra XII tribuum appellatur: aliquando duæ tantùm tribus, Iuda & Beniamin, hoc nomine censentur, ad distinctionem Galilææ & Samariæ, aliarumque in Iudæâ latè dictâ terrarum. Hinc est, quòd Samaria & Galilæa nunc partes Iudææ statuuntur, nunc ab ipsâ disparantur. De aliis Iudææ partibus idem iudicium.

75. *Idumæa*, regio Syriæ, sic dicta fuit ab Edom siue Esauo. Hæc per Alexandrum Regem effecta est pars Iudææ, ita vt Idumæi Hierosolyma vocarent metropolin atque patriam suam, & κοινὴν πάλιν, sibi & vniuerso nomini Iudaico communem: cùm ante id tempus essent hostes Iudæorum, & ἀλλόφυλοι. Atque hinc est, quòd apud Iosephum Herodes dicitur fuisse genere Iudæus: quodque idem Herodes in concione ad proceres Iudæos, ita illos compellat, ἄνδρες ὁμόφυλοι, *viri eiusdem gentis*: quia nempe à primâ quidem stirpe Idumæus erat, sed cuius maiores facti essent Iudæi. Præcipuæ vrbes Idumæorum erant *Maresa, Gaza, Agrippias, Ascalon & Azotus.*

76. *Media*, Asiæ regio latissima, diuiditur in maiorẽ & minorẽ. Illi⁹ caput est *Achmetha* seu *Ecbatana*: hæc dicitur *Atropatia*. Terminatur hæc regio à septentrione, mari Hyrcano; ab occasu, Assyriâ & maiori Armeniâ: à meridie Persidem, ab ortu Hyrcaniam habens & Parthiam.

77. *Persia*, amplissimas olim regiones fuit complexa, vt & hodiè. Nam omnem eum Asiæ tractum, qui est inter Tigrim fluuium, sinum Persicũ, mare Indicum (quod olim rubrum) Indum, & Iaxartem, fluuios, & Caspium mare,

mare, noſtrâ ætate à Sophis, Perſiæ regibus, poſſidetur. Superior Perſiæ pars in ſacris appellatur *Elam*.

78. *India orientalis*, tam vaſta eſt, vt eam tradant eſſe tertiam partem omnium terrarum. Pomponius ſcribit, tantum ſpatium litoris eam occupare, quantum per 60 dies noctesque velificantibus curſus eſt. Author eſt Strabo, in Indiâ fuiſſe 50000 oppidorum, quorum nullum fuerit minus Co Meropide. Huius Indiæ fit mentio *Eſth.* 1.

79. *Suſa*, vrbs nobiliſſima, Perſarum olim regia, vnde tota regio dicta eſt Suſiana. Dicta autem putatur Suſa, à liliorum copiâ, quæ illorum linguâ dicuntur Suſa.

80. *Vlai*, eſt fluuius Elamitidos, id eſt, ſuperioris Perſiæ, qui geographis dicitur *Eulæus*. Ad hoc flumen obiecta eſt *Danieli* illa viſio, quæ deſcribitur *Dan.* 8. De fluvio *Cebar*, ad quem Ezechieli oblata eſt viſio *c.* 1, vide ſuprà in geographicis.

81. *Terra Gog & Magog*, ſunt Aſia minor & Scythia. Et *Gog* quidem eſt Aſia minor, vt teſtantur nomina *Gyges*, qui fuit rex; *Gygades*, qui fuerunt populi; *Gygæus* lacus; & *Gygarta*, vrbs. *Magog* autem eſt Scythia, ſiue Sarmatia, cuius incolæ olim, tempore Ezechielis, obtinebant Mediam. Hodiè adhuc in Tartariâ ſunt regiones Gog & Magog, quas illi Gug & Mungug appellant. Plinius ait, Hierapolim Syris appellari Magog: quando ſcil. Sarmatæ ſiue Scythæ populati ſunt Aſiam. Apocalypſis coniungit hæc duo nomina, *Gog & Magog*, vbi de hoſtibus eccleſiæ agit.

82. *Bethulia*, eſt vrbs, in hiſtoriâ Iudith celebris.

83. *Aſdod*, ſiue *Azotus*, inſignis Palæſtinæ vrbs inter Aſcalonem & Ioppem, in tribu Dan, in quâ gigantes habitârunt, capta à Ioſuâ. Fuit vna è quinque ciuitatibus Allophylorum, templo idoli Dagon nobilitata. Eſt & Azotus vrbs Achaiæ.

84. *Arabia* eſt triplex: *Petræa*, ſic dicta à Petrâ, vetuſtiſſimo oppido, aliâs Nabathæa: *Deſerta*, Straboni *Scenetis*, quòd gens vaga & ſine ædificiis habitet ἐν ταῖς σκηναῖς, *in tentoriis*; deniq; *Felix*, inter ſinum Arabicum & Perſicum.

In

In Arabiâ eſt mons Sinai, qui & Horeb: etſi propter diuerſum genium & tractum longiorem habentur etiam pro duobus montibus.

85. *Palæſtina*, prouincia Syriæ, Arabiæ contermina, dicta à Philiſtim, vrbe metropoli. In eâ, inquit Plinius, quinque ciuitates continebantur, *Gaza*, *Aſcalon*, *Geth*, *Acaron*, *& Azotũ*. Herodotus Syriam vocat alterã Palæſtinã. Palæſtina etiã, inquit Stephanus, Phœnicia dicebatur. Eſt *& altera Phœnicia*, prope Phæacian. Deniq; *Palæſtina* etiam dicitur tota terra Canaan, Iudæam, Samariam, & Galilæam complexa: tametſi Iudææ nomine tota Palæſtina ſæpiùs accipiatur. Ea ab ortu habet Libanum montem, ab occaſu mare Phœnicium, à Septentrione Phœnicen, à meridie Arabiam Petræam. Hieronymus in locis Hebraicis ait, eſſe notandum apud hiſtoricos, quòd Iudæa ad Palæſtinam, Galilæa verò & Samaria ad Phœnicen pertineant.

86. *Thabor*, vulgo *Saron*, Græcis *Itabyrius* & *Aſabyrius*, mons eſt in medio Galilææ campo, mirâ ſublimis rotunditate, & transfiguratione Chriſti clarus. Eius altitudo, iuxta Ioſephum & Hegeſippum, eſt 30. ſtadiorum, Polybio 15 ſtadiorum. Quod ita conciliat Caſaubonus: Fieri poteſt, vt de diuerſis partibus montis ſenſerint Polybius & Ioſephus. Non enim vnâ ſolùm ex parte adiri ſolent montes.

87. *Nazareth*, viculus Galilææ, in edito loco iuxta mõtem Thabor, in quo fuit nutritus Ieſus Chriſtus.

88. *Galilæa*, Syriæ regio, ad ſeptentrionem Iudææ ſita, quæ ab ſolis occaſu Ptolemaide ciuitate, & Carmelo monte diſterminatur. Ab oriente terminos habet Ioppen & Gadoram: à meridie, Scythopolim & Samariam, ita vt vltra Iordanem non extendatur: denique à ſeptentrione Tyrum, vt ex Hegeſippo & Ioſepho conſtat. Eſt autem duplex Galilæa, ſuperior & inferior. *Galilæa ſuperior*, iuxta Tyrum, Sidonem, & Cæſaream Philippi eſt ſita. Dicitur *Galilæa gentium*, vel quia illic gentes vſque ad Salo-

monis tempora habitarint, vel quòd Hiramo Tyriorum regi oblata sit. Fuit sita in tribu Naphthali. *Galilæa inferior* circa Tiberiadem & stagnum Genezareth in tribu Zabulon fuit sita. Christus vocatur Galilæus *Matth.* 26, tũ quòd frequenter sit versatus in Galilæâ, tum quia Nazarethi educatus fuit, & in vrbe Capernaumo habitauit, *Matt.* 4.

89. *Bethsaida*, fuit ciuitas Galilææ, ex qua Petrus, Andreas, & Philippus, apostoli, oriundi. Hoc etiam nomine fuit *piscina* Hierosolymis, quæ vocabatur *probatica*, q.d. pecualis: quia hostias in eâ quondam sacerdotes lauabant.

90. *Chorazin*, non longè abfuit à Bethsaidâ. Fuit & *Magdalum*, in eodem tractu, inter lacum & montem Thabor, castellum, à quo Magdalena vulgo putatur dicta. Quam sententiam Casaubonus irridet. Summa ipsius sententiæ huc redit. Stupor illorum castigandus est, qui ex Ioannis vndecimo capite, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας, *à castello Mariæ & Marthæ*, castellum Magdalum finxerunt, cuius hæ essent dominæ, & à quo Magdalena inuenisset nomẽ. Sanè putare, Magdalenam à castello aut turri dictam fuisse, quia Hebræis *Migdal* est turris, non minùs est absurdum, quàm existimare, omnes qui Mosis nomine sunt appellati, ab aquis fuisse extractos; qui Abrahami, patres fuisse multorum populorum; qui Isaaci, propter risum matris sic esse dictos.

91. *Gadara*, erat vrbs Græcanica, quam Iudæi suam fecerant per vim. Pompeius ademit Iudæis ἑλληνίδας πόλεις, vt author est Iosephus, i. vrbes Græcanicas, q̃ nempe erant in Cœle Syriâ. Quas inter fuit Gadara, teste eodem Iosepho. Ex vrbe istâ fuit orta magna clarorum philosophorũ, philologorũ & oratorum copia, circa Herodis Magni tẽpora. Eorum meminerunt multis locis Græci Romaniq; scriptores, Cicero, Strabo, Quintilianus, Ausonius. Hinc solui potest dubitatio, quæ multos incessit, quomodo in agro Gadareno fuerit grex porcorum, cùm populi illi essent Iudaici. Quæ causa quia falsa est, desinant illi dubitationis. Et verò, si maximè Gadara fuisset ciuitas Iudaica,

nihi-

nihilominus tamen Romani milites, qui præsidii causâ erant in Iudæâ, potuissent porcos alere.

92. *Aenon & Aenan*, sunt duo loca separata, non verò eiusdem loci nomina. *Aenon* siquidem fuit vicina Scythopoli, ad alteram Iordanis ripam sita, nõ longè ab ipso flumine remota: vbi baptizauit Iohannes. *Aenan* verò fuit prope Diospolim, siue Lyddam, ab eâ parte Iordanis, quæ respicit mare. Hinc rectè Eusebius: *Aenon, quæ sita est in transitu Thamnæ, desertus nunc locus est &c. Aenon, prope Salem, vbi baptizabat Iohannes, &c. monstratur adhuc locus, octo miliis Scythopoli distans.*

93. *Trachonitis*, pars Iudææ, inter Libanum montem & lacum Tiberiadis sita: cuius tetrarches fuit Philippus. Iosephus scribit, eam esse regionem Syriæ Palæstinæ. Strabo vocatur *Ituræa*, propter viciniam. Alioquin Ituræa & Trachonitis fuerunt distinctæ regiones, *Luc.* 2. Trachonitis Hegesippo est *Peræa*: etiam propter viciniam. Sæpenumero enim fit, vt locus vicinus nomine vicini loci appelletur. Aliâs *Peræa* est Iudææ pars vlterior, Arabiæ & Ægypto proxima, aspetis dispersa montibus, & à cæteris Iudæis amne Iordane discreta.

94. *Abilena*, fuit prouincia & vrbs Syriæ, quæ in euangelio appellatur, tetrarchia Lysaniæ. Cuius nomenclaturæ hæc est causa. Ante natalem Domini quadraginta circiter annis, viuebat in Syriâ Ptolemæus Mennæi F, tetrarcha, siue regulus Iturææ, regionis paruæ in confinio Syriæ & Arabiæ. Strabo author est, paruisse huic regulo montana Iturææ, Marsyan, Heliopolim, & Chalcidem vrbẽ Syriæ, à quâ nomen habuit Chalcidene Plinii. Lysanias iste fuit interfectus ab Antonio. Hunc Lysaniã filius excepit, factus Iturææ rex ab Antonio, & ipse mox ab eodem, vt Cleopatræ gratificaretur, occisus. Isti enim dynastæ precariò obtinebãt suas dominationes, quamdiu gratum erat rerum potientib. Romæ. Porrò Lysanias F, dominationis suæ sedem collocauit Abilæ. Ita vocabatur vrbs quædam Syriæ, quam Plinius facit vnam è sex Te-

trarchiis, quæ erant immixtæ vrbibus Decapoleos. Cùm autem plures essent in Syriâ Abilæ, huic datum est cognomen Lysaniæ, vt ab aliis separaretur. Datū a. est non à posteriore, sed à priore. Tempore Aug. Zenodorus quidam conduxit ditionem Lysaniæ, pactus annuam certæ pecuniæ pensionem. Quamdiu Zenodorus iste in potestate habuit Lysaniæ tetrarchiam, dicta fuit Zenodori tetrarchia: quā Augustus postea donauit Herodi; quo mortuo, idem Augustus partem aliquam istius tetrarchiæ attribuit Philippo, Herodis F. Pars reliqua & præcipua tetrarchiæ Zenodori, quæ fuerat olim Lysaniæ, dono cessit cuidam Lysaniæ, gratiâ Tiberii vel Augusti. Et hic est Lysanias, cuius meminit Lucas *cap.* 3.

95. *Syrtes*, duo sinus periculosissimi in mari Libyco, quâ Africam propriè dictam alluit. Eorum alter, qui Carthagini est propinquior, appellatur syrtis minor: alter, qui in Cyrenaicam vergit, maior. Vtraque Syrtis nauigantib. est periculosissima, quòd mare ibi vadosum sit, arenæ vehens cumulos, qui loci faciem vicissim immutant, dorsaque & breuia in alia atque alia loca transferunt.

96. *Cyrenaica regio*, pertinet ad Africam: quanquam ab Ægypti regibus aliquando gubernata est. Vrbs in eâ celeberrima, & quæ Cecropis Archenarum regis ætate cōdita esse creditur, fuit, nomine *Cyrene*, æmula quondam Carthaginis, & clarorum virorū memoriâ celebris. Habuit synagogam perueterem, Iudæis iam olim à Tyglatphalassere in hanc Lybiæ partem translatis. Fuerunt & aliæ in hoc tractu vrbes, nominatim quatuor, quæ vnà cum Cyrene constituebant Pentapolin, de quâ suprà n. 11.

97. *Libya*, nunc totam significat Africam, nunc eam Africæ regionem, quæ ab occasu Ægypto imminet.

98. *Saba*, fuit vrbs regia Æthiopiæ: item metropolis Arabum, in monte sita. Inde *Sabæi populi*, qui felicem Arabiam incolunt, dicti.

99. *Hierosolyma*, tempore Christi inprimis clara erant templo, ab Herode instaurato; domo Herodis; ædibus

Ponti-

Pontificum, itemq; Præsidum prouinciæ domibus, quæ prætoria dicebantur: præterea foris, tribunalibus, & *Lithostroto* illo sublimi, in quo Pilatus sedit, quando sententiam de Christo pronunciauit. Huc refer piscinas, quæ in vrbe fuerunt complures, itemque fontes eximios: qualis fuit *fons Siloha*, item *piscina Siloha*, & *piscina probatica*, quæ dicta fuit *Bethesda*. Mons oliueti proximus vrbi imminebat, prope medius profundâ valle fissus, quâ torrens *Cedron* perfluebat. Ab hoc monte Christo itum est ad crucis ignominiam: ab eodem itum est ad gloriam. Ad eius radices fuit *Gethsemane*, locus, in quo ante passionem Christus orauit. Nec procul ab hoc monte fuit vicus *Bethphage*; item *Bethania*. Locus autem ille, vbi Christus est passus, proximus vrbi fuit, nomine *Golgotha*, ad partem aquilonarem montis Sion. Sic autem dictus est hic locus à caluariis hominum, de quib. esset simplicium: etsi Nonnus, poëta vetustissimus, scribit, nomen huic loco fuisse inditum, à caluariâ Adami, ibi sepultâ. Proximè hunc locum fuit *Ager sanguinis*. E' remotioribus autem ab vrbe locis fuit *Aritmathia*: tum *Lydda*, quæ postea Diospolis dicta. Huic proximus locus campestris *Assaron*, pro quo Hieronymus legit *Saron*. *Emaus* sexaginta stadiis ab vrbe abfuit; cui Romani post deuictam Iudæam nomen mutârunt, à victoriâ Nicopolin appellãtes. Diospoli vicina fuit *Ioppe*, à quâ Ioppica toparchia cognominata. His omnibus clarior fuit *Cæsarea*, ante *turris Stratonis* appellata. Porrò Iudææ oppida etiam fuerunt *Gaza*, *Bethlehem*, *Chebron*, *olim Cirioth-arbe*, *Bethabara*, *Rama*, *Iericho*, *& Antipatris*, ita dicta ab Antipatro patre Herodis M, qui eam in honorem patris condidit. Ab vrbe Hierosolymâ distabat *Samaria*, vnius diei itinere. Vicina Samariæ fuit *Sichem*, quæ post Neapolis est dicta. Contra vrbem Samariam, meridiem versus, visebantur duo oppida, *Salem & Aenon*, vtrumque ad Iordanem: inter cuius fontes duos situm fuit oppidum *Paneas*, quod Philippus, Herodis tetrarchæ frater in Augusti honorem, à quo eas terras acceperat, ornatissimè extructum,

tructum, Cæsaream vocauit, & Cæsarea Philippi postea cognominatum est, ad differentiam eius, quam in Iudæâ rex Herodes extruxerat.

100. *Mare Genesar, siue Genesareth,* dictum fuit ab Herode tetrarchâ lacus Tiberiadis ab oppido, quod Herodes in honorem Tiberii nomine Cæsaris appellauit. In huius lacus litore fuit inter alia oppida, *Capernaum.* Supra Capernaumum *Bethsaida,* ad ripam Iordanis sita, à Philippo multis ædificiis ornata fuit, & appellata Iulias, à Iuliâ Augusti filiâ. Non longè à Bethsaidâ fuit *Dalmanutha.* Inter Galilææ oppida etiam fuit *Nain,* itemque *Cana,* quæ differentiæ causâ vocatur Cana Galilææ, item Cana maior. Fuit enim etiam *Cana minor,* in tribu Zabulon, quod nomen *Zabulon* quoq; fuit ciuitatis, non tantùm tribus. Memoratur & *Sion* inter oppida Galilææ, itemque *Sephor.* Trans lacum primæ laudis ager est *Genesareth* dictus, qui lacui dedit nomen. Eius oppida fuerunt *Gamala, Gadara,* à quâ Gadareni, & *Gergesa,* à quâ Gergeseni.

101. *Antiochia,* celebris vrbs Syriæ, & insignis hoc potissimùm nomine, quod Christianorum nomen ibi cœpit.

102. *Parthia,* Asiæ regio, ab occasu vicina Mediæ.

103. *Pontus,* est nomen maris & regionis.

104. *Cappadocia,* attingit vtramque Armeniam & Comagenam, & complectitur montana Ciliciæ.

105. *Lycaonia,* excipit Cappadociam ab Euxino venientem, complexa *Iconium, Derbam, & Lystram.*

106. *Cilicia,* regio minoris Asiæ, modò Caramania, habuit *Tarsum,* Pauli apostoli patriam.

107. *Paphlagonia,* regio minoris Asiæ supra Galatiam.

108. *Galatia,* vulgo *Pera,* fuit regio minoris Asiæ, Phrygiæ contermina, sic dicta à Gallis, qui relictâ patriâ sedes ibi fixerant. Eius incolæ appellati sunt Galatæ & Gallogræci.

109. *Pisidia,* Galatiam ab Austro excipit, complexa duodecim

decim vrbes, quas inter fuit *Antiochia*, dicta Pisidiæ: cuius meminit Lucas *Act.* 14.

110. *Pamphylia*, regio minoris Asiæ inter Ciliciam & Syriam, inter alia oppida habuit *Pergam & Attaliam*, de quibus *Act.* 14.

111. *Lycia*, regio minoris Asiæ, inter Pamphyliam & Cariam sita, quondam complexa fuit sexaginta oppida, è quibus *Patara & Myra* celebrantur *Act.* 21.

112. *Caria*, regio minoris Asiæ, inter Lyciam & Ioniam, habuit *Laodiceam*, tempore Pauli claram.

113. *Ionia*, regio minoris Asiæ, inter Cariam & Aeolidem media. Eius duo ocelli fuerunt *Miletus*, caput regionis, & plusquàm octoginta vrbium genitrix: & *Ephesus*, Asiæ lumen olim dicta, vbi fuit templum Dianæ. Fuit & ibi *Smyrna*, cuius ecclesia ex Apocalypsi est clara.

114. *Aeolis*, siue *Aeolia*, regio minoris Asiæ inter Italiam & Siciliam, complexa septem insulas, quæ dicuntur Vulcaniæ. Inter oppida eius celebrantur *Adramyttium, & Assos*, de quâ *Act.* 20.

115. *Troas*, est regio minoris Asiæ, quam Plinius minorem Phrygiam appellat, Hellesponto adiacens. Præcipua ipsius vrbs fuit *Troas*.

116. *Lydia*, mediterranea Asiæ regio, ab occasu Ioniam & Aeoliam attingit. Caput eius quondam fuerunt *Sardes*, regia Crœsi. Hæ sunt Sardes, quarum ecclesiam Iohannes *Apoc.* 2. inter septem illas Asiæ præcipuas commemorat. Est & *Philadelphia*, Lydorum vrbs clarissima, cuius ecclesia etiam nota est ex Apocalypsi. A' Philadelphiâ versus occasum iacent *Thyatira*, plerisque Phrygiæ attributa. Hinc oriunda fuit Lydia purpuraria, *Act.* 16. Nota est ecclesia Thyatirena, Iohanni etiam memorata.

117. *Phrygia*, minoris Asiæ regio, Cariæ, Lydiæ, Mysiæ, & Bithyniæ finitima: quarum omnium fines ita coeunt, vt difficulter possint distingui. Phrygia fuit diuisa in maiorem & minorem. Vrbes ipsius celebriores sunt *Pergamum*,

mum, vbi fuit ecclesia, Iohanni memorata, & bibliotheca insignis: *Hierapolis*, & *Colossæ*.

118. *Bithynia*, alluitur maribus duobus, Propontide & Ponto Euxino.

119. *Insulæ & vrbes maris mediterranei*, quarum in Scripturis fit mentio, sunt *Samothrace, Mitylene, Chios, Creta, hodiè Candia*; *Rhodus, Cyprus, Salamis, Adria, Syracusa, Melita, Gnidus, Salmo, Pulchri-portus, Lasæa*.

120. *Patmos*, insula vna ex Sporadibus circa mare Ægéum, in quâ Iohannes exulans accepit diuinam apocalypsim.

121. *Harmageddon*, vulgo est locus fatalis, destinatus conuentui principum antichristi *Apoc.16*. Iunius putat sic dictum, quasi Har-Megiddo, seu montem Megidduntis, qui fuit locus non procul à Chazâ, in claustris Ægypti, vbi rex Iosias à Pharaone fuit interfectus, 2. *Reg.23. vers.29.* ita vt denotetur locus in auspicatus. Sed rectè hæc sententia reiicitur à Grasero, & laudatur Lutheri acumẽ, qui in notis suis ad hunc locum sic adnotat: *Harmageddon*) **Auff Teutsch/ verdambte Krieger/ verfluchte Rüstung/ oder vnglückselige Kriegsleut/** ab Herem & Gad. Videris hâc de re nostrum Lexicon theol. quod propediem prodibit.

LIV.

HIEROGLYPHICA SACRA.

I. Hieroglyphica sacra sunt simulachra siue notæ rerum insignium, ex sacris literis collecta. Huiusmodi notæ apud Ægyptios erant vsitatissimæ: vt, canis erat hieroglyphicum fidelitatis; formica, industriæ: serpens, prudentiæ; serpens capite mordens caudam, anni. Potes etiam appellare *Emblemata*.

II. Hieroglyphica diuiduntur in inanimata, & animata, & horum tractatio appellari solet ζωοπαιδεία

III. Hie-

III. Hieroglyphica inanimata sic habent.

1. *Lux* est nota hieroglyphica maiestatis Dei. 1.*Iohan.*1. *v.* 6. symbolum veritatis, *Iohan.*3.*v.*20.21. imago omnium fidelium, *Matth.*5.*v.*14. denique prosperitatis, pacis, lætitiæ, consolationis, & omnino status felicis, *Iob.*18.*ver.*5.6. *Psal.*97.*v.*11.

2. *Ignis* est hieroglyphicum maiestatis Dei, *Exod.*3.*v.*2. *c.*13.*vers.*21.22.*c.*14.*vers.*24.*c.*19.*v.*18.*c.*24.*v.*16.17.*c.*40.*v.*38. *Num.*16.*v.*35.2.*Petr.*3.*v.*7. item iræ ipsius omnia consumētis, *Deut.*4.*v.*23.24.*c.*9.*v.*3.*Hebr.*12.*v.*28.29. Porrò est imago Christi, *Malach.*3.*v.*2.*Apoc.*1.*v.*15.*c.*2.*v.*18.*c.*19.*v.*12. Spiritus sancti, *Matth.*3.*v.*11. verbi Dei, *Ierem.*5.*v.*14.*& c.*23.*v.*19. *Luc.*12.*v.*49. ecclesiæ, *Obad.vers.*18. doctrinæ falsæ, *Apoc.*9. *n.*17.18. denique linguæ malæ, *Prou.*16.*v.*27.*Iacob.*3.*v.*5.6.

3. *Sol* est hieroglyphica imago Christi, *Malach.*4.*vers.*2. gratiæ Dei, *Psal.*84.*v.*12.*Esa.*60.*v.*19.20. ecclesiæ catholicæ, *Cantic.*6.*v.*7. doctrinæ euangelij, *Apoc.*8.*vers.*12.*& c.*9. *v.*2. gloriæ & prosperitatis, *Ierem.*15.*v.*9.*Amos.*8.*v.*9. gloriæ vitæ æternæ, *Matth.*17.*v.*2.*c.*13.*v.*43.

4. *Luna* est imago ecclesiæ. *Cantic.*6.*v.*7.*Apoc.*12.

5. *Stellæ* sunt hieroglyphicum gloriæ futuræ in alterâ vitâ, 1.*Cor.*15.*v.*40.41.42. *Dan.*12.*v.*3. rectorum reip. *Dan.* 8. *v.*10. doctorum ecclesiæ, *Apoc.*1.2.3.*& c.*8.*v.*10.11.*c.*9.*vers.*1. Nominatim stella matutina est imago mystica Christi, *Apoc.*22.*v.*16.*c.*2.*v.*28. & stellæ erraticæ sunt imago seductorum, *Iudæ v.*13. denique *Phosphorus* seu Lucifer, est symbolum doctrinæ euangelij, 2.*Petr.*1.*v.*19. & excellentiæ, quâ quis est præditus, *Esa.*14.*v.*12.

6. *Aqua* est hieroglyphicum Spiritus sancti, eiusq; beneficia nobis repræsentat, *Esa.*12. *v.*3.*c.*55.*v.*1.*Ierem.*2.*v.*13. 17.*Ioh.*3.*v.*5.*c.*4.*v.*10.11.14.*c.*7.*v.*38.*Apoc.*7.*vers.*17.*c.*21.*v.*6. *c.*22.*v.*17. item euangelii, *Ezech.*47.*Zach.*14.*v.*8. sanguinis Christi, *Eph.*5.*v.*26.*Hebr.*10.*v.*22.1.*Iohan.*5.*v.*6.8. calamitatum, 1.*Sam.*22.*v.*17. *Psal.*32.*v.*6.*c.*66.*v.*12.*c.*69.*v.*2. denique numerosæ multitudinis hominum, *Ierem.*47.*v.*2.*Apoc.*17. *v.*1.15.

7. *Mare* est hieroglyphicum doctrinæ cœlestis, *Apoc.* 4. & 15. vbi fit mentio maris vitrei.

8. *Terra* est mysticum hieroglyphicum ecclesiæ per Christum renouatæ, & olim glorificandæ, *Esa.* 66. *vers.* 22. & *c.* 65. *v.* 17.

9. *Meteoris*, *nubes* sunt hieroglyphica nota doctorum, & quidem ita, vt fœcundæ repræsentent bonos doctores, infœcundæ malos, *Prou.* 25. *v.* 14. *Deut.* 32. *v.* 2. *Hebr.* 12. *v.* 1. *pluuia* est imago verbi Dei, eiusque doctrinæ salutaris, *Deut.* 32. *v.* 2. *Esa.* 55. *v.* 10. 11. item hominis salutaria documenta & consilia dantis, *Iob.* 29. *v.* 23. inprimis doctorum euangelii. *Mich.* 5. *vers.* 7. item benedictionis, quam Deus nobis confert in Christo, *Psal.* 72. *v.* 6. 7. *Hose.* 6. *v.* 3. pluuia impetuosa est imago calamitatis, *Eccles.* 12. *vers.* 2. *Matth.* 7. *v.* 26. 27 *vos* est imago Christi, *Hos.* 14. *v.* 5: verbi Dei, & doctrinæ saluificæ, *Deut.* 32. *v.* 2: multitudinis fidelium in N. T. *Ps.* 110. *v.* 3. doctorũ euangelii, *Mich.* 5. *v.* 7. 2. *Cor.* 2. *ver.* 15. 1. *Cor.* 3. *v.* 6. donorum diuinitùs collatorum, *Psal.* 133. *v.* 3. beneuolentiæ magistratus erga subditos, *Prou.* 19. *v.* 12. infelicitatis hominum impiorum, *Hos.* 13. *v.* 3. & pietatis hypocritarum, *Hos.* 6. *v.* 4. *Ventus* est hieroglyphicum Spiritus sancti, *Iohan.* 3. *v.* 8: sanctorum angelorum, *Zach.* 6. *v.* 5: publicarum calamitatum, *Apoc.* 7. *v.* 1. doctrinæ cœlestis, *ibid.* iudiciorum Dei horrendorum. *Esa.* 41. *v.* 16. *c.* 57. *v.* 17. *Matth.* 7. *v.* 27. *Ezech.* 13. *v.* 10. 11. *Iob.* 21. *v.* 17. *Psal.* 1. *v.* 4. denique vanitatis, Iob. 6. v. 26. c. 7. v. 7. c. 15. v. 2. *Hos.* 12. *v.* 2. *c.* 8. *v.* 7. *tonitru* est imago verbi Dei, ac inprimis euangelii, cuius sonus totum terrarum orbem subitò peruasit, & corda hominum perculit, vt ad Christum conuerterentur, *Apoc.* 4 *v.* 5. *c.* 14. *v.* 2. item præconum euangelii, *Apoc.* 10. *v.* 3. 4. Quam ob causam Iacobo & Iohanni, apostolis fratribus, Christus imposuit nomina Bonaërges, quod est, filii tonitrui, *Marc.* 3. *v.* 17. Est etiam imago comminationum diuinarum, *Apoc.* 6. *v.* 1. & magni consensus atque vehementis contentionis omnium electorum in laudando Deo, *Apoc.* 19. *v.* 6.

10. *Et fos-*

10. E' *fossilibus*, *aurum* est imago hieroglyphica Christi, *Cantic.5.ver.*10: ecclesiæ & singulorum fidelium, *Zach.*13. *vers.*9.1.*Cor.*3.*v.*12: verbi Dei & fidei veræ ac viuæ, *Apoc.*3. *v.*18.1.*Cor.*3.*v.*12: *argentum*, verbi Dei, *Psal.*12.*v.*7. linguæ iusti, *Prou.*10.*v.*20: optimatum seu gubernatorum in rep. *Esa.*1.*v.*22: verè fidelium, 1. *Cor.*3.*v.*12: *lapides pretiosi*, Christi, Christianorum & variarum virtutum, *Exod.*28.1.*Cor.* 3.*v.*12. *Apoc.* 21. Vide infrà Lithologiam. *Sulphur* est symbolum doctrinæ antichristi: *Apoc.*9.*v.*18.& imago pœnarū in inferno, *Apoc.*14.*v.*10.11.*c.*19.*v.*20.*c.*20.*v.*10.*c.*21.*v.* 8.*Sal* est symbolum incorruptionis in fœdere Dei, *Leuit.*2.*v.*13. *Marc.*9.*v.*49. item hominum piorum, qui doctrinâ & vitæ exemplo alios ab interitu conseruant, *Matth.*5.*v.*13. *Rupes* est hieroglyphicum Dei, Psal. 18. *Petra*, Dei 2. *Sam.* 22. & Christi, *Matth.*16.*lapis*, Christi *Dan.*2.*Psal.*118

11. *Ex plantis*, *gramen & flos herbæ* est hieroglyphicum cōmonitorium momentaneæ felicitatis impiorum, *Psal.*92. *v.*8.& breuitatis vitæ mortalium, *Psal.*103.*v.*16. *palma* est imago hominis iusti, *Psal.*92.*v.*13. *germen*, Christi Domini, *Ier.*23.*v.*5.*c.*33.*v.*14. *Zach.*3. *&* 6. absinthium, mortis amaræ. *Ier.*23.*v.*15. & falsorum doctorum, *Apoc.*8.*v.*11. *cicuta*, mortis perniciosæ, *Ier.*23.*v.*15. *omphax*, seu vua immatura, peccati, *Ier.*31: *palea*, pseudoprophetarum & falsæ doctrinæ, *Ier.*23.*v.*28: *triticum*, doctorum verbi & doctrinæ salutaris, *Ier.*23.*v.*28. item omnium electorum, *Matth.*3.*v.*12. *c.*13.*v.*30. *Zizania*, sunt imago reproborum: *Matth.*13 *v.*38. *arbores virentes*, regeneratorum, *Apoc.*9.*v.*4. *lilium*, *vitis* &c. felicitatis ecclesiæ, *Hos.*14.*v.*5.6.7. vbi sunt nouem similitudines à plantis desumtæ, quibus explicatur felix status ecclesiæ per Christum instauratæ. Porrò *arbor magna & patula* est emblema boni magistratus, *Dan.*4. *vitis*, Christi, *Iohan.*15. *palmites*, electorum, *ibid. olea*, ecclesiæ, *Rom.* 11. *v.*7: *sinapi*, doctrinæ euangelii, *Matth.*13.*v.*32: *semen bonum*, verbi Dei, *Luc.* 8.*v.*11. *spinæ*, curarum mundanarum, diuitiarum, & voluptatum, *Luc.*8.*vers.*14: *cedrus*, viri magni, 2.*Reg.*14.*v.*9. *Spina*, contemti, *ibid.*

IV. Hie-

IV: Hieroglyphica animata ſunt eiuſmodi:

1. *Ex volatilibus*, *columba* eſt hieroglyphicum patientiæ, manſuetudinis, ſimplicitatis, ſinceritatis, & conſtantis fidei in coniugio, *Matth.10.v.16: ciconia*, *turtur & hirundo*, prouidæ curæ, *Ier.8.v.7: aquila*, regis, *Ezech.17.v.3.& ſeqq.* item veræ fidei in Chriſti mortem intentæ, *Matt.24.v.28: ala auis*, prouidentiæ Dei, *Pſal. 91.v.4.*

2. *Ex aquatilibus*, *piſces* ſunt hieroglyphicum hominum, qui degunt in mari huius mundi, & inde extrahuntur in viuarium eccleſiæ, *Ezech.47.verſ.9.10.* Vnde apoſtoli dicuntur piſcatores hominum. *Matt.4.verſ.19. Marc. 1. verſic. 17.* Quo pertinet etiam parabola ſagenæ iactæ in mare, *Matt.13. verſ 47.* Homines potentes in hoc mundo comparantur *balænis grandibus*; populi & exercitus illorum, multitudini piſcium adhærentium ſquamis balænarum; tractio illorum ad pœnas, iniectioni hamorum in maxillas earum, *Ezech. 29. verſ.3. & deinceps. Pſalm.74.verſ.13.14. Eſa.27.v.2.*

3. *Ex beſtiis terreſtribus*, *leo*, *vitulus* &c. ſunt hieroglyphica angelorum, *Ezech. 1. & 10. Apoc.4.verſ.7. leo rugiens*, diaboli, *1. Petr.5.v.8: ouis*, eſt imago Chriſti, *Eſa.53.v.7*: item hominis errantis, *Eſa.53.v.6*: item hominis verè fidelis, vocemque Chriſti ſequentis, *Iohan.10.& Matth. 25.v.33: hircus*, quatenus ſacrificium erat, fuit typus Chriſti, *Leuit.4. 9.& 10.* quatenus verò petulcum & fœtidum eſt animal, eſt imago hominis reprobi, *Matt.25.v.33. leo* eſt hieroglyphicum Dei, *Thren.3.v.10.* item Chriſti, *Apoc.5.verſ.5*: item angeli boni, *Ezech.1.& 10*, vel mali, *1. Petr. 5. v. 8.* item hominis magnanimi & fortis, *Gen.49.v. 9. Deut.33.v. 20.* itē hominis crudelis, violenti, & perſecutoris, *Pſal.22.v.22. Pſal.7.v.3.& 10.v.9. formica*, prudentiæ & induſtriæ œconomicæ, *Prov.6.v.6.& ſeqq.* Confer *Prou.30.verſ.24.25.26. 29.30.31: ſerpens*, prudētiæ erhicæ, in omni vitâ neceſſariæ, *Matt.10.v.16.*

4. *In homine*, *caput* eſt hieroglyphicum Chriſti & cuiuslibet ſuperioritatis, *1. Cor.11.v.3. Eph.1.v.20.& ſeqq. cap.5. v.23.*

v.23.24:*nares*, sunt hieroglyphicum iræ Dei, 2.*Sam.*22.v.9. *Psal.*18.v.9.*oculi*, prouidentiæ Dei, *Psalm.*34.v.16. Huc pertinent exempla ἀνθρωποπαθείας, quâ Deo tribuuntur aures, manus, brachia, & alia corporis humani membra.

Atque hæc sunt hieroglyphica sacra, quæ pertinent inprimis ad theologiam moralem & philosophiam practicam.

LV. GNOMOLOGIA SACRA.

I. GNomologia sacra est pars theologiæ moralis, itemque philosophiæ practicæ, colligens insignes sententias è sacris literis.

II. Sententiæ istiusmodi sunt prouerbia, ænigmata, apologi, & gnomæ. *Prouerbia*: vt, 2. Petr.2. v.vltim. *Accidit eis, quod prouerbio dici solet, Canis reuersus est ad suum ipsius vomitum, & Sus lota ad volutabrum cœni.* Vide etiã Gen.10.v.9.Num.21.v.27.1.Sam.10.v.12.cap.19.vers.24. c.24.v.19.2.Sam.5.v.8.c.20.v.18.Ezech.12.v.22.23.ca.16. v.44.c.18.v.2.3.c.24.v.3. *Ænigmatis* exemplum est Iudic. 14.v.15. *Apologi* duo sunt in Scripturâ, Iudic.9.v.8. & seqq. 2.Reg.14.v.9. *Gnomæ* sunt illustria & acuta dicta, quæ tanquam regulæ vitæ nos gubernant in vitâ œconomicâ, politicâ, ecclesiasticâ, & scholasticâ. Has vide in Prouerbiis & Ecclesiaste Salomonis, item in libro Sapientiæ & Sirachi.

LVI. CRITICA SACRA.

I. CRitica sacra est pars philologiæ sacræ de authoribus librorum sacrorum, rectâque illorum habitudine quãtum ad verba. Duas hasce partes Criticæ, adeoque officia critici boni posuerunt veteres: de authoribus veris aut falsis pronuntiare.

tiare,& verba authorum ſic illuſtrare,vt cum antiquitate verâ conſentiant omnia.

II. Authores librorum ſacrorum, ſunt vel omnibus rectè inſtitutis noti, vel dubii. Sic de authore euangelii Iohannis & epiſtolæ ad Romanos inter omnes conſtat: de libro pſalmorum, Iobi, Eſtheræ,& aliis plurimis in V.T.non item conſtat. Hîc itaque oportet profeſſorem Criticæ ſacræ adhibere diligentiam, vt ſtatuat id,quod eſt maximè probabile.

III. Habitudo librorum ſacrorum, quantum ad verba, cernitur partim in variâ lectione,partim in vocabulorum rariorum & maximè ſingularium explicatione. De varietate lectionis in V.T.agit Maſſora,quæ nihil eſt aliud quàm Critica Hebræorum,de variis lectionibus N. T.præcipere debét interpretes ipſius philologici. Vocabulorum rariorum explicatio colligenda eſt ex interpretibus Hebræis, Græcis, Latinis &c.adhibito proprio iudicio,quod adhæreat textui ſacro.

LVII.

EPISTOLICA SACRA.

I. EPiſtolica ſacra eſt pars Oratoriæ de methodo epiſtolarum in S.literis occurrentium.

II. Ea eſt communis,vel propria.

III. Epiſtolica communis perſequitur partes & affectiones epiſtolæ. *Partes* epiſtolæ plenæ ſunt quinque:1.τὰ πρὸ τῆς ἐπιστολῆς, id eſt, ea quæ epiſtolis præmitti ſolent, vt ſunt inſcriptio, ſubſcriptio, ſalutatio. 2. Exordium. 3. Propoſitio. 4.Tractatio propoſitionis. 5.Peroratio. *Affectiones* epiſtolæ ſunt ſtili ſimplicitas, Affectuum ingenuitas, Decorum epiſtolicum,& Sufficiens tractatio argumenti.

IV. Epi-

IV. Epistolica propria exponit species epistolarum. Sunt autem epistolarum aliæ *familiares*, quales occurrunt apud Esdram & Nehemiam, item in libro Estheræ, & libris Maccabæorũ: vt *Esdr.4.v.11.c.5.v.6.c.7.v.11.Nehem.6.Esdr.3.v.14.ca.8.v.13.3.Esdr.6.v.7.1.Maccab.11.v.31.c.12.v.5.c.13.v.35.c.14.v.19.2.Maccab.11.vers.16.22.27.34*: aliæ *didactica*, quibus explicatur locus communis, vel doctrinæ praxis vrgetur in emendatione vitæ, & consolatione; quales sunt XIV epistolæ Pauli, & VII reliquorum apostolorum, quæ dicuntur catholicæ.

LVIII.

ARTIFICIVM DISTINGVENDI Sacrum.

I. ARtificium bene distinguendi, sumtum è sacris literis, monstrat rectam rationem limitandi. Distinctio est grammatica, vel logica. Illa attendit seriem contextus, & perficitur certis virgulis, puta commatibus, colis, hypostigmis &c: hæc occupatur circa res, quæ varietatem aliquam admittunt, & ideò dicitur limitatio, itemque restrictio.

II. Limitatio bona vel fit inter res diuersas, vel in vnâ eâdemque re attendit aliquam diuersitatem.

III. Limitatio inter res diuersas est, quæ certo aliquo signo discernit rem à re, ne duæ res pro vnâ habeantur. Sic *Matth.10.vers.2.&4.* Simon est nomen duorum apostolorum. Apponitur itaque distinctio, hoc modo: *Simon, qui dicitur Petrus.* Et v.4. *Simon Cananites. Ibidem*, Iacobus est nomen duorum apostolorũ. Ideò Ἰακώβου τοῦ μικροῦ dicitur, *Iacobus filius Zebedæi*, v.2. &, *Iacobus filius Alphæi*, v.3. Sic *Luc.6.v.16.* Iudas IacobiF. distinguitur à Iudâ Iscariote.

IV. Limitatio, quæ fit in vnâ re, discernit vel

vel diuersas partes, vel diuersum respectum, vel diuersa tempora. Diuersas partes: vt Rom. 1. v. 3. 4. *De filio suo, qui ortus est ex semine Dauidis secundum carnem: declaratus autem filius Dei potenter secundùm spiritum sanctificationis.* Diuersum respectum: vt Matth. 22. vers. 45. *Si ergo Dauid eum vocat dominum, quomodo filius eius est?* Similia exempla vide *Luc. 2. v. 34. 2. Cor. 3. v. 16.* Diuersa tempora: vt, *Phil. 2. vers. 7.* Christus formam serui accepit: *& v. 9.* Christus in summam euectus est sublimitatem. Hîc est sermo de statu diuerso, siue de tempore exinanitionis & exaltationis Christi.

LIX. PRAEDICAMENTA SACRA.

I. PRædicamenta sacra sunt tabulæ vniuersitatis rerum ex sacris literis illustratæ. Tabulæ istæ monstrant conuenientias & differentias rerum in toto mundo, & sunt veluti loci communes, ad quos potest referri quidquid rerum est in hoc vniuerso.

II. Prædicamenta sunt decem, vnum Substantiæ; nouem accidentis, Quantitatis, Qualitatis, Actionis, Passionis, Relationis, Quando, Vbi, Situs, Habitus.

III. Substantia est ens per se subsistens. Estque increata, vel creata, vel ex vtrâque constans. *Substantia increata* est Deus, à quo, per quem, & in quem omnia, *Rom. 11. v. 36.* Hinc appellatur Iehoua & Eheieh. *Substantia creata* est spiritus, vel corpus. *Spiritus creatus* est tũ angelus, tũ anima: de quib. Pneumatica & Theologia præcipiunt. *Corpus* (cuius consideratio est Physica) est incompletum, vel completum. *Corpus incompletum* est principium vel passiuum, vt materia, *Genes. 2. v. 7.* vel actiuum, vt forma siue natura, rebus insita in primâ creatione, *Gen. 1. vers. 11.* *Corpus completum* est simplex, vel mixtum. *Corpus simplex* est cœlum,

cœlum, vel elementum: quæ duo coniunguntur 2. *Petr.* 3. *v.* 10. *Corpus mixtum* est imperfectè, vel perfectè mixtum. *Corpus imperfectè mixtum* appellatur meteorum, quod generatur vel ex vapore, *Gen.* 2. *v.* 6. vel ex fumo, *Psal.* 18. *v.* 9. *Corpus perfectè mixtum* est fossile, vegetabile, vel animale. *Fossile* est vel lapis, isque pretiosus aut vulgaris, *Exod.* 28. 1. *Reg.* 5. *v.* 17. vel metallum, cuius species sex commemorantur *Num.* 31. *v.* 22. vel medium minerale, vt sunt succi & terræ minerales, putà sal, sulphur &c. *Corpus vegetabile*, est vel minus, vt herba, vel maius, vt arbor. *Gen.* 1. *v.* 11. *Corpus animale* est homo, *Gen.* 1. *vers.* 26. vel bestia, eaque volatilis, seu aërea, aquatilis, vel terrestris, *Gen.* 1. *v.* 20. 24. *Substantia partim increata partim creata* est Iesus Christus, Immanuel & Ithiel hanc ob causam dictus, *Esa.* 7. *vers.* 14. *Prou.* 30. *vers.* 1.

IV. Quantitas est, à quâ subiectum denominatur quantum, i. e. magnum vel multũ. Estque continua, vel discreta. *Quantitas continua* est, cuius partes communi termino cohærent. Estque magnitudo, vel aliquid magnitudini analogum, vti est tempus, motus, & extensio gradus. *Magnitudo* est extensio materiæ in corpore naturali: estque linea, superficies, vel corpus: quorum exempla vide in arcâ Noë, *Gen.* 6. tabernaculo Mosis, *Exod.* 30. & 36. & templo Salomonis, 1. *Reg.* 6. *Tempus* est continuatio durationis successiua, constans præterito, præsenti & futuro, *Psal.* 19. *v.* 3. *Eccl.* 1. 2. & 3. *Motus* est continuatio actionis & passionis, *Gen.* 1. *v.* 11. *Extensio gradus* est remissio vel intensio, *Ioan.* 4. *v.* 8. *Quantitas discreta* est, cuius partes communi termino non continentur: vt est numerus, cuius exempla multa sunt in historiis & prophetiis sacris, vt *Num.* 1. *Dan.* 9. & 12. *Apoc.* 7. & 11.

V. Qualitas est, à quâ subiectum denominatur quale. Eius species sunt quatuor: Potentia naturalis, Habitus, Qualitas patibilis, & Forma siue figura. *Potentia naturalis* est propensio naturæ ad aliquid agen-

dum vel patiendum. Estq; prima, vel secunda. *Prima*, quæ statim ebullit è formâ subiecti, siue sit manifesta, vt est potentia mouendi & quiescendi, appetendi & sentiendi, risibilitas, *σφρηνὴ*, docilitas &c: siue occulta, vt est *ἰδιοσυγκρασία* efficiens sympathiam & antipathiam, vt in magnete est vis trahendi ferrum. *Secunda*, quæ ex certâ organi & temperamenti dispositione pendet: vt est *εὐφυία*, ingenium, *ἀγχίνοια*. Potentia prima pendet ab ordinariâ creationis lege, quam Deus posuit *Gen.* 1. secunda à peculiari ipsius benedictione, *Dan.* 1. *v.* 4. Potentiæ naturali opponitur impotentia naturalis. *Habitus* est qualitas introducta in hominem, per quam redditur habilis ad operationes, quas per solam naturam præstare non potest. Estq; inchoatus, vel perfectus. *Inchoatus* est, qui ad perfectum disponit: vnde *dispositio* appellatur, quæ est *μεταβολὴ καὶ κίνησις*. Talis fuit sapientia & iustitia originalis in homine, *Gen.* 3. *Habitus perfectus* est, qui complementum suum est adeptus. Eius hæc signa sunt, si quis *εἰδὼς*, *sciens*, *προαιρούμενος*, *volens*, *ἀμεταμελήτως ἔχων*, *constanter*; *ἡδέως*, *libenter*, operetur. Estque infusus, vel acquisitus. *Infusus est*, qui à Deo singulari gratiâ homini confertur, vnde appellatur *θεόδοτος*. Estq; extraordinarius, vt lumen propheticum in V. & N. T. vel ordinarius, vt fides, spes, charitas, 1. *Cor.* 12. & 13. *Habitus acquisitus* est, qui ex sæpiùs iteratis, vel paucis bene validis actionibus comparatur: estque theoreticus, practicus, vel poëticus. Quò pertinēt scientia, ars, virtus, vitium, de quibus vide *Sap.* 7. *Galat.* 5. *Qualitas patibilis* est afficiens, vel affecta. *Qualitas afficiens* est, quæ in facultate percipiente passionem efficit. Estque prima, vel orta. *Prima*: vt lux, calor, frigus, siccitas, humiditas. *Orta* est vel *magis passiua*, vt grauitas & leuitas, raritas & densitas, mollities & durities, læuitas & asperitas, viscositas & lentor &c. vel *magis actiua*, vt color, sapor, odor, & sonus. Exempla harum qualitatum vide *Exod.* 28. 30. 36. & *seqq. capp. Leuit.* 1. 2. 4. 8. & 23. *Qualitas affecta* est, quæ ex effectione qualitatis afficientis existit: vt ira & torui-

toruitas, vultus in Caino, *Gen.4.v.5.* Huc pertinent omnes affectus, boni & mali, simplices & compositi. *Forma* est qualitas ex certâ partium configuratione existens. Estque naturua, vel mechanica. Illius exemplum est in arboribus paradisi, *Gen.2.v.9:* huius in tabernaculo Mosis, & templo Salomonis, *Exod.36. & seqq. 1.Reg.6.*

VI. Actio est actus, quo substantia aliquid dat alicui. Dico *substantia:* quia actio cõuenit solis substantiis. Qualitates dicuntur agere ἀκύρως, quamuis substantiis dent vt agant. Est autem actio immanens; vel transiens. *Immanens*, quæ ipsum agens respicit, vel aliud extrà obiectum, ita vt in illo non faciat impressionem. Sic Deus Pater ab æterno gignit Filiũ, quomodo sol despargit lumen, *Heb.1.vers.2. Transiens*, quæ ad aliud, extra agens, obiectum refertur, ita vt in patiente fiat realis mutatio: vt quando Deus gubernat hunc mundum, *Psal.104.* Deinde actio est intentionalis, vel transmutatiua. Quæ diuisio coincidit cum priori. Tertiò actio est *transcendẽtalis, vel prædicamentalis.* De quâ diuisione vide suprà in metaphysicis. Quartò actio est Dei, vel creaturæ. *Actio Dei* est interna, vel externa. *Interna*, qnæ non terminatur ad creaturas: eaque tum essentialis, vt quando Deus seipsum intelligit & amat; tum personalis, vt generatio & processio diuina. *Externa*, quæ refertur ad creaturas: eaque vel communis tribus personis, vt creatio, redemtio, & sanctificatio: vel propria certæ personæ, vt missio Filij, assumtio & sanctificatio naturæ humanæ Christi. *Actio creaturæ* est spiritualis vel corporalis. *Spiritualis*, vt est motus localis angeli, intellectio & volitio angeli & animæ inorganica, celebratio Dei, tentatio diaboli. *Corporalis*, vt est illuminatio, generatio, corruptio, alteratio, accretio, diminutio, motus localis, nutritio, sensio, appetitus, affectus, respiratio, progressio, intellectio & volitio organica. Denique actio est naturalis & insita, vel acquisita & habitualis. *Naturalis*, quæ proficiscitur ex potentiâ naturali: vt intellectio, loquela, recordatio, fletus, generatio. *Acquisita*, quæ compa-

ratur exercitio, vt est θεωρία siue contemplatio, πρᾶξις siue operatio, & ποίησις siue effectio.

VII. Passio est actus, quo aliquid recipit actionem. Estque primò perfectiua, vel destructiua. *Perfectiua*, quæ perficit patiens: vt cùm regeneramur à Spiritu sancto, *Iohan. 3.* *Destructiua*, quæ abolet patiens: vt cùm Eua fuit seducta à diabolo. Deinde passio est intentionalis, vel transmutatiua. *Intentionalis*, cùm nulla fit realis mutatio, sed tantùm terminatio actionis: vt cùm Deus à nobis celebratur. *Transmutatiua*, cùm fit realis mutatio in patiente: vt cùm Deus percussit primogenita Ægypti. Tertiò passio est *secundùm naturam, vel contra naturam.* Illa conseruat rem, vt lætitia: hæc corrumpit rem, vt morbus, ira, tristitia.

VIII. Relatio est, quâ vnum refertur ad alterum. In eâ occurrunt conditiones, & diuisiones. *Conditiones* relationis sunt habere ista quinque: *subiectum*, cui inest relatio; *relatum & correlatum*, quæ ad se inuicem referuntur; *fundamentum*, siue rationem & causam referendi; *terminum*, siue finem: vt in pane sacræ cœnæ, subiectum est panis, relatum & correlatum sunt panis & corpus Christi, fundamentum est institutio Dei, terminus est mystica significatio, obsignatio, & exhibitio. *Diuisiones* sunt, quòd relatio sit rationis vel realis, à naturâ vel instituto, mutua vel non mutua. *Relatio rationis* est, quæ in collatione rerum, quam facit mens nostra, fundamentum habet: vt si quis dextrum & sinistrum in cœlo cogitet. *Relatio realis* est, quæ extra rationem in rebus ipsis fundamentum habet. Estq; secundùm esse vel dici. *Secundùm esse*, quæ nihil absolutæ naturæ habet: vt paternitas & filiatio. *Secundùm dici*, quæ habet absolutam naturam, cui respectus adhæret: vt cùm columna refertur ad solum cui insistit. *Relatio à naturâ* est, quæ oritur à naturâ, vt est consanguinitas. *Relatio ab instituto* est, quæ ab arbitrio Dei vel hominis oritur: aliâs positiua. Huc pertinent relationes

variæ

variæ in typis, ſacrificiis, perſonis, rebus & actionibus eccleſiaſticis in Leuitico. *Relatio mutua* eſt inter ea, quæ ſunt ſub vno genere: vt inter maritum & vxorem, *Gen.* 2. *Relatio non mutua* eſt inter ea, quæ ſunt ſub diuerſo genere: vt inter Deum & nos, *Pſal.* 100. *v.* 3. Chriſtum & Eccleſiam. *Eph.* 5.

IX. Quæ ſequuntur prædicamenta, ſunt ſecundaria. Exiis *Quando* eſt notatio temporis: *Vbi* eſt notatio loci: *Situs* eſt circumſtantia poſitionis corporum: *Habitus* eſt circumſtantia veſtitus. Exempla primi prædicamenti ſunt *Pſalm.* 106: ſecundi, *Num.* 34: tertii, *Num.* 33. *Exod.* 37. & 38. quarti, *Exod.* 28.

LX.

COLLATIO LOGICÆ CVM GRAMMATICA EX S. LITERIS.

I. COllatio Logicæ cum Grammaticâ ex ſacris literis monſtrat exempla, in quibus verba ſunt indicia affectionis Logicæ: idq; in locis inuentionis, axiomate, ſyllogiſmo & methodo.

II. In locis inuentionis affectiones rerum certis vocabulis exprimuntur. Et principiò quidem *genitiuus* vim ſuam ſpargit per omnes ferè locos inuentionis. Notat enim cauſam efficientem, vt *Matth.* 25. *v.* 34. *Marc.* 1. *v.* 24. vel cauſam finalem, vt *Iohan.* 17. *v.* 12. *Rom.* 8. *v.* 36. 2. *Theſſ.* 2. *v.* 3. vel materiam, vt *Act.* 2. *v.* 3. vel formam, vt *Leuit.* 5. *v.* 21. vel effectum, vt *Gen.* 35. *v.* 18. *Luc.* 1. *v.* 69. vel ſubiectum, vt *Gen.* 18. *v.* 21: vel adiunctum, vt *Gen.* 24. *v.* 48. vel totum, vt *Leuit.* 16. *v.* 5. vel partitionem, vt *Gen.* 36. *v.* 15: vel ſpeciem, vt *Exod.* 29. *v.* 2. &c. Atque hinc dicitur genitiuus cauſæ, effecti, ſubiecti, obiecti, maiorum, minorum,

similium &c. Deinde quilibet locus inuentionis peculiaribus vocabulis indicatur. e.g. *ex* est nota efficientis, *Rom.* 11. *vers. vlt. Ex ipso* sunt omnia: vel materiæ, vt *Gen.* 2. *&* 3. homo sumtus est *expuluere* terræ: vel antecedentis, vt Deus iussit lucem *è tenebris* splendescere, 2. *Cor.* 4. *v.* 6. Sic *pro* notat finem, vt Christus *pro nobis* est mortuus, id est, nostro bono & loco, vt nos redimeret, *Rom.* 5. *vers.* 6. 7. 8. *Quantò magis* indicat comparationem imparium, *Luc.* 11. *v.* 13. Sed quis omnia recenseat in hoc compendio?

III. In axiomate verbum substantiuum, nomina quantitatis, coniunctiones copulatiuæ, connexiuæ, discretiuæ & disiunctiuæ, particulæ relatiuæ, & similia sunt attendenda.

Verbum substantiuum est nota axiomatis simplicis siue categorici. Huic æquipollent omnia verba actiua & passiua. Nomina *quantitatis* sunt omnis, nullus, quidam, nemo, &c. *Particulæ relatiuæ* sunt vbi, ibi; talis, qualis; tantus, quantus. *Coniunctiones copulatiuæ* indicant axioma copulatum; *connexiuæ*, connexum; *discretiuæ*, discretum; *disiunctiuæ*, disiunctum. Exempla vide supra in Logicis.

IV. In syllogismo attendendæ sunt coniunctiones causales & rationales. Nam illæ indicant argumentum siue medium terminum, hæ conclusionem siue quæstionem. Exemplum illustre vide *Rom.* 3. *vers.* 20. 23. 28. Hîc memineris, coniunctionem causalem semper indicare causam conclusionis siue consequentiæ, non verò rei siue essentiæ. e.g. 1. *Cor.* 10. *vers.* 5. *Plures illorum non approbauit Deus. Prostrati enim sunt in deserto.* Hîc particula *enim*, siue *nam*, non significat causam antecedentem, sed causam illationis. Confer *Matth.* 25. *v.* 35. *Luc.* 7. *v.* 47.

V. In methodo oportet attendere aduerbia ordinis, & omninò particulas connexiles formulasque transitionum. Huc pertinent ista. *Roman.* 3. *vers.* 9. Quid igitur? *Rom.* 4. *v.* 1. *&* 6. 6. *v.* 1. Quid igitur

tur dicemus? 1.*Cor.*12.*verſ.*1. Porrò de ſpiritualibus donis· 1.*Cor.*15.*v.*1. Cæterùm notum facio vobis. *Hebr.* 11. *v.*32. Et quid præterea loquor?

LXI.

CABBALA SACRA.

I. CAbbala ſacra eſt doctrina ex ſacris literis colligens arcana philologica, & practica. *Cabbalah* ſignificat acceptionem, ſeu doctrinam, aliunde acceptam ſolo auditu. Eſt autem, vt Schindlerus in Lexico annotat 1. *doctrina patrum, quam accepit vnus de ore alterius, & tradidit poſteris ab Adamo vſque ad Moſen, qui legem conſcripſit.* 2. *Lex oretenus tradita ſeu axiomatica, expoſitio legis ſcriptæ, quam Moſes dies* 40 *& totidem noctes in monte Sinai commoratus, ex ore Dei didicit. De hâc ſentiunt, quòd Moſes eam tradiderit Ioſuæ, Ioſua ſeptuaginta ſenioribus, hi prophetis, hi viris magnæ ſynagogæ, hi ſuis per multas ætates ſucceſſoribus vſque ad illud tempus, quo tandem fuit mandata literis & inde confectum Thalmud.* 3. *vſurpatur de iis myſteriis, quæ Iudæi recentiores in Moſis & prophetarum ſcriptis veſtigant, dum literas & ſyllabas, præſertim nominum Dei numerant, pro numeris accipiunt, tranſponunt, & ſymbolicè mutant. Hæc in ſpeculatiuam & practicam diuiditur.* His adde, quòd Cabbala practica diuiditur in Bereſchith & Mercabah. Illa explicat opus creationis, hæc occupatur circa nomina Dei & angelorum, vt adminiculo ipſorum aliquid operetur mirabile. Illa eſt pars physiologiæ ſecretioris: hæc labe ſuperſtitionis eſt fœdata.

II. Cabbala philologica tribus abſoluitur partibus, quæ appellantur גנת, id eſt, hortus, dictione memoriali. ג ſignificat *Gematriã*, vt loquuntur Rabbini, hoc eſt, Arithmologiam, quâ literæ Hebraicæ contextus ſacri reſoluuntur in numeros. נ *Noto-*

tat *Notariekun*, quando litera ponitur pro dictione. Ea Cabbalæ pars sic dicta est ab apicibus notariorum. ת significat *Temurah*, id est, commutationem elementorum, cùm litera pro literâ ingeniosè ponitur. Primi modi exẽplum est *Zachar.3.v.*8. vbi Messias appellatur צֶמַח, *germen*, quod per Gematriam idem valet quod מְנַחֵם *consolator*; quia ex vtriusq; nominis literis resultat numerus 138. Secundi modi exemplum est *Gen.21.v.*33. vbi אֹשֶׁל complectitur tria hospitalitatis officia, ita vt א notet אֲכִילָה *cibum*, שְׁתִי *potationem*, לִינָה pernoctationem. Tertii modi exemplum est *Ierem.25.v.*26. vbi שֵׁשַׁךְ per אָתְבַּשׁ speciem Cabbalæ Temuræ ponitur pro בָּבֶל. Si enim bipertitò diuidas alphabetum, & literis literas opponas, literæ ב respondebit ש, & literæ ל litera כ. Cæterùm huius Cabbalæ vsus non tantùm est vt sit acutus lusus ingenii, sed etiam vt nobis seruiat in confutandis Iudæis recentioribus. Multa enim Scripturæ V. T. loca per hanc Cabbalam à vetustissimis Iudæis explicantur de sacrosanctâ Trinitate & Messiâ, & quidem adeo clarè, vt recentiores Iudæi non habeant quod excipiant.

III. Cabbala practica duabus continetur partibus. *Prima* versatur circa mysterium siue arcanum naturæ, & tincturam physicorum appellant. Hoc siquidẽ arcanũ non ita pditũ est literarũ monumentis, vt à quoli bet inde possit elici vel exsculpi. Existimarunt enim adepti, qui dicuntur, philosophi, hoc tantum Dei donum Cabbalisticè duntaxat esse propagandum. *Altera* huius Cabbalæ pars occupata est circa eam vitæ rationem, quâ homo possit sanctorum angelorum præsidium in Iesu Christo sibi conciliare, idque retinere. Quò pertinent precationes Cabbalisticæ Iulii Sperberi, meris Scripturæ verbis adornatæ: itemque præceptiones Henrici Khunrathi de habitu Kabbalistico, & similes pii piorum Cabbalistarum libelli. Quæ omnia Christiano animo velim accipi, ne quis existimet me aperire portam audaciæ Rabbinicæ. Sed manum de hâc tabulâ. Neque enim Cabbalistam

listam agit, qui literis consignat ea, quæ requirunt solum auditum Cabbalisticum. Inspice Cabbalam Reuchlini, eiusque tractatum de verbo mirifico, & deprehendes totam Cabbalæ summam contineri istis Reuchlini verbis in calce verbi mirifici: *Sile, cela, occulta, tege, tace, mussa.*

LXII.

ALCHYMIA SACRA.

I. ALchymia sacra est ars separans purum ab impuro, collecta è sacris literis. Non intelligo hîc sophistarum diabolicum commentum, quo emungunt loculos aliorum, & de quo rectè dicitur, *Alchymia est ars sine arte, pars sine parte, cuius initium est scire, medium mentiri, & finis mendicare.* Alia est philosophorum Alchymia, cuius character est innocentia vitæ, & silentium plusquàm Harpocraticum. Ista Alchymia est pars physicæ & medicinæ.

II. Partes Alchymiæ sunt duæ: vna de materiâ, altera de præparatione.

III. Materia Alchymiæ est vniuersalis, vel particularis.

IV. Materia vniuersalis est corpus à Deo creatum, ex quo elicitur panacea. De hâc rectè pronuntiat philosophus: *Vna res est à Deo creata, subiectum omnis mirabilitatis, quæ in terris & in cœlis est: ipsa est actu animalis, vegetalis, & mineralis, vbique reperta, à paucissimis cognita, à nullis suo proprio nomine expressa.* Quibus verbis quasi digito exserto monstrat materiam philosophicam, de quâ vide tabulam smaragdinam Hermetis, vel potiùs *primum & secundum caput Geneseos.* Ibi enim tam clarè describitur hæc materia, vt mirari subeat, nos in tam clarâ luce posse cæcutire. Est autem vno verbo cœlum & terra, id est, cẽtrum cœli & terræ, seu cœlum philosophorum & terra philosophorum. Confer cum iis, quæ suprà in physicis

passim disputauimus hãc in sententiã; & quære centrum omnium centrorum. In illo enim inuenies clauem ad omnes peripherias rerum totius mundi aperiendas. Vide quoque 2. *Petr.3.v.5.*

V. Materia particularis est quodlibet corpus minerale, animale, & vegetabile. Verissimum enim est illud philosophema: *Quot res, tot medicinæ.* Quæ omnes fluunt tanquam riui ex vno fonte. Nam vniuersale illud philosophorum subiectum est spiritus vitæ, qui dum irrepit in lactucæ principia, fit lactuca; dum in rosæ principia irrepit, fit rosa; dum in sal, sulphur & mercurium auri, fit aurum; dum in reliquorum metallorum principia, similiter. De arboribus, brutis, & homine idẽ est iudicium. Spiritum dico, qui purissimus est in cœlo supremo, & respondet spiritui animali in cerebro: in cœlo mediano non ita est subtilis, & respondet spiritui vitali in corde: in cœlo infimo & aëreo adhuc minùs est subtilis, & respondet spiritui nostro naturali in hepate. Hic spiritus in se ipso spectatus, & ab omnibus indiuiduis separatus, nec ignis est, nec aër, nec aqua, nec terra, nec species aliqua ex illis, quæ in sua prædicamenta retulit Aristoteles. Ideo nullo alio nomine appellari posse videtur, quàm quintæ essentiæ. Erit autem anima rationalis essentia sexta. Neque enim illa subiacet huic spiritui catholico, qui extrahitur è chao catholico, & in omnibus corporibus mirabilia efficit. Si verò, inquiat aliquis, hic spiritus inuenitur in omnibus corporibus, perinde est, siue hoc sumatur, siue illud. Resp. Perinde non est: quia habitat in chao vniuersaliter, in reliquis corporibus particulariter. Quare si aliquis quærat medicinam vniuersalem, debet missa facere particularia.

VI. Præparatio materiæ est, quâ ex chao catholico fit sal. Sal, inquam, sapientiæ, quod est principium, medium, & finis operis. Hinc alchymia nomen habet à sale, non sanè illo vulgari, quod lippis & tonsoribus

bus est notum, sed philosophico, quod est merus ignis, quo salire oportet ea, quæ à putrefactione debent præseruari. Modus extrahendi illud sal continetur in sacris literis, & quidem adeo clarè in tribus locis, vt nihil possit esse clarius. Principiò videmus *Gen.* 1. Deum primo die creasse terram aquis circumfusam, & tertio die aquam separasse à terrâ, verùm ita, vt aquas diuiserit in superiores & inferiores, quibus terra nunquam non irrigatur & fœcúdatur. Tu fac idem, miphilosophe. Imitare Deum, quatenus licet. Non potes creare terram, neque verò etiam debes: quia Deus satis superque creauit, quod tuam diligentiam possit occupare. Accipe itaque chaos à Deo creatum: separa ab illo aquam: toties imbue chaos suâ aquâ, vt elicias sal. Coque, coque: laua, laua: repete, repete. Deinde *Gen.* 2. legimus Deum creasse fœminam ex costâ viri. Eundem in modum oportet hîc procedere. Sumendus est hermaphroditus, id est, chaos catholicum, & ex Adamo educenda est Eua: vel (vt clariùs dicam ex *eodem cap:*) sic tractanda est materia, vt vapor ascendat è terrâ, qui irriget vniuersam superficiem terræ, per iteratam scil. circulationem. Denique Christus *Iohan.* 12. *v.* 24. ait: *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipsum solum manet: si verò mortuum fuerit, multum adfert fructum.* Sic apostolus 1. *Cor.* 15. *v.* 36. 37. *Demens, quod tu seris, non viuiscit, nisi mortuum fuerit. Et quod seris, non corpus oriturum seris, sed nudum granum, prout inciderit, tritici aut alicuius ex reliquis seminibus.* Ex his duobus locis colligere est, putrefactionem esse clauem totius operis, & semen committendum esse terræ, vt ita in primam materiam reducatur per primam materiam. Si ergo velis metallum, vel aliud corpus resoluere in primam materiam, caue aliquid sumas præter primam materiam. Hæc enim est primum mobile omnium corporum. Vnde facile est intelligere, quanto in errore versentur, qui corpus particulare soluunt per aliud particulare. Non ita vah idiotæ, vah sophistæ! Si habeatis particulare corpus, v. g. aurum,

ſoluite illud, non per particulare (id enim ſoluet aurum ad Kalendas Græcas) ſed per vniuerſale. Sic glacies ſoluitur in aquam per aquam, primam ſuam materiam. Sed concludam. Reſolue ſpiritum coagulatum: reſolutũ ſublima: in ſublimato reſolue aurum, vt habeas medicinam ad h omines & metalla. Cur verò aurum potiùs, quàm aliud metallum, vel vegetabile? Reſp. Poſſunt omnis generis corpora fermentari cum ſpiritu illo catholico à vinculis corporeis liberato. Verùm enimuerò aurum eſt corpus perfectiſſimum, & ideo reſolutum in ſpiritum non poteſt non ſuppeditare præſtantiorem tincturam, quàm illa corpora, quæ non peruenerunt ad tantam perfectionem: quia melius meliori potiùs addendum eſt, quàm bonum meliori.

LXIII.

ARS DISPVTANDI EX SACRA *Scripturâ collecta.*

I. ARs diſputandi ex ſacrâ Scripturâ collecta præcipit de perſonis diſputantibus, rebus diſputandis, & modo diſputandi. Pertinet autem ad theologiam, logicam & ethicam.

II. Perſonæ diſputantes ſunt duæ, proponens & opponens.

III. Proponens eſt, qui propugnat aliquid: opponens, qui oppugnat.

IV. Vtriuſque officium eſt commune, vel proprium.

V. Officium commune proponentis & opponentis eſt theologicum, ethicum, & logicũ.

Officium theologicum eſt 1. à Deo, omnis veritatis autore, auxilium implorare, vt in diſputando veritas eruatur & elu-

& eluceſcat, & falſitas refellatur & fugiatur. 2. ad vnius Dei laudem & gloriam omnia referre, non verò ad propriam ingenii aut eloquentiæ oſtentationem reſpicere. 3. ad Scripturam ſemper confugere. 4. in diſputatione pietatem, modeſtiam, & æquitatem præ ſe ferre. Vide paſſim diſputationes Chriſti cum Phariſæis, Sadducæis, diſcipulis &c. *Officium ethicum* eſt, amare candorem & beneuolẽtiam, & fugere ſophiſticam, moroſitatem, conuitia, calumnias. *Officium logicum* eſt 1. ſtatum controuerſiæ è veſtigio conſtituere, & ad eum omnia referre: nec pati ſe vel latum vnguẽ à principali iſtâ quæſtione abduci. 2. è certis & communibus principiis diſputare: vt Chriſtus *Matt.* 22. cum Sadducæis diſputaturus, è Pentateucho arceſſit argumentum, non verò ex reliquis Scripturis, quas illi non admittebant. 3. logicè diſſerere, hoc eſt, breuiter & perſpicuè. 4. perſonas non permutare. In ſummâ: Vterque, tum proponens, non opponens, ſit veritatis & modeſtiæ amans, & ſtatu controuerſiæ rectè cognito, è certis principiis, breuiter ac perſpicuè ſuam perſonam agat. Exemplum vide *Matth.* 4. *Luc.* 6. & 20. *Ioan.* 3. 8. & 9. *Rom.* 3. 4. 9. 10. 11. *Gal.* 1. 2.

VI. Officium proprium eſt tum proponentis, tum opponentis. *Proponentis* eſt certam quæſtionẽ conſtituere, eamque idoneis argumentis confirmare, & argumenta contraria redarguere. *Opponentis* eſt oppugnare ſententiam aduerſariam, ita vt in re ſeriâ ſophiſmatis non ludat, ſed agnitæ veritati cedat. Quia verò vterq; debet eſſe inſtructus argumentis, idoneis, proponam hoc loco *modum inueniendi argumenta*. Is autem vno verbo conſiſtit in deductione thematis per locos inuentionis applicatos materiæ theologicæ, hoc modo.

1. Ad locum *cauſſæ efficientis* pertinet argumentum à lege ceſſante; à promiſſionibus & comminationibus diuinis; à præceptis & commonitionib. Dei, & reliquis modis docendi, quibus vtitur Scriptura; à cauſâ exemplari, vt à decreto Dei; à cauſâ impellente, inſtrumentali, & ſine quâ

ne quâ non; à iure ad factum.

2. Ad locum *finis*, argumentum à gloriæ Dei illustratione, aliorum ædificatione, salute animæ & corporis, spe successus, metu ignominiæ, expectatione aliorum, gloriâ expectandâ apud Deum & bonos Christianos in ecclesiâ, & virtute finis.

3. Ad *materiam* pertinet argumentum à conditione materiæ.

4. Ad *locum formæ*, argumen. à naturâ & attributis Dei, videlic. eius omnipotentiâ, iustitiâ &c. quæ etiam referri possunt ad locum adiuncti: à naturâ fidei, spei, charitatis, patientiæ &c. à rectitudine conscientiæ; ab æquipollentibus; ab implicito ad explicitum, & vicissim ab implicito ad explicitum, siue ab expresso ad tacitum; à naturâ particularum; à significatione verborum; à vi genitiui; à cessatione rationis, defectu formæ, naturâ sacramentorum, legis, euangelii &c. ab ideâ id est, naturâ absolutâ rei alicuius.

5. Ad *locum effecti*, argumentum ab vtili & inutili, iucundo seu delectabili & iniucundo, facili & difficili, beneficiis & iudiciis Dei, præsidio sanctorum angelorum, effecto mortis Christi, intercessione mediatoris, prouidentiâ Dei, consilio prophetæ vel apostoli, denique à facto ad ius.

6. Ad *locum subiecti*, argum. à subiectâ materiâ; à materiâ in quâ, vel circa quam; à re ad modum; à signato ad signum.

7. Ad *locum adiuncti*, argumen. à proprietate linguæ; à rubro ad nigrum; à phraseologiâ; ab vsurpatione vocis; à certâ locutionis formulâ; à proprietate sermonis; à nomine appellatiuo; à vi numeri; à phrasi Scripturæ; à proprietate rei; à sufficienti; à communiter contingentibus; ab vsitato seu solitis; ab impossibili, vel possibili; ab honesto vel turpi; à consuetudine scriptoris; à necessario vel non-necessario; à futuro vel non-futuro; à magno vel paruo; à modo siue gradu ad rem; ab ordine; à praxi legis & euangelii;

gelii; à praxi eccleſiæ; à praxi miniſterii eccleſiaſtici; à ſigno ad ſignatum; ab ætate, ſexu, vitæ innocentiâ, religioſo, glorioſo, pio, iuſto, æquo, tuto, decoro, laudabili; à peccati magnitudine & turpitudine, miſeriis internis & externis, certitudine & magnitudine præmiorum & pœnarum; ab agnitione humanæ fragilitatis; à perſonarũ, quæ peccant, vilitate; ab authoritate & diligentiâ ſanctorum; à dignitate & merito eius qui affligitur; à circumſtantiis; à noſtrâ imbecillitate, indignitate &c. ab affectu Dei Patris, à laude rei, perſonæ &c. à noſtri electione, vocatione, iuſtificatione; glorificatione; à neceſſariâ definitionis diuinæ & prophetiæ veritate.

8. *Ad locum antecedentis*, arg. à priori ad poſterius; à neceſſariâ impletione vaticinij.

9. Ad *locum connexorum*, arg. à connexis; à verbis antecedentibus & conſequentibus, ſiue à contextu; à cõiunctis ad diuiſa; à ſubiecto ad prædicatum, & viciſſim à prædicato ad ſubiectum; à præmiſſis ad concluſionem, à generali ad ſpeciale; à primo ad vltimum; à ſubordinatis; ab antecedente ad conſequens, & viciſſim à conſequente ad antecedens.

10. Ad *locum conſequentis*, arg. ab *Eſt* tertii adiecti ad *Eſt* ſecundi adiecti; ab abſurdo conſequente.

11. Ad *locum diuerſorum* pertinet argum. occũpans ſiue anticipans prolepſim.

12. Ad *diſparata*, arg. à ſeparatis.

13. Ad *relata*, arg. à correlatiuis.

14. Ad *aduerſa*, arg. ab incompoſſibilibus, & ab extremis ad medium.

15. Ad *contradicentia*, arg. à vi primi principij.

16. Ad *priuantia*, arg. à priuatione ad habitum, & viciſſim ab habitu ad priuationem.

17. Ad *locum à pari*, arg. ab analogiâ; à vi maſculini generis; ab exemplo; à perſonâ ad perſonam; à perſonâ ad locum; à perſonâ ad tempus; à tempore ad tempus, vt à tempore legis ad tempus euangelij; à loco ad locum; à

contra-

contrario sensu; à verisimili seu probabili; à consensu verbi & sacramentorum; à concordiâ sacramentorum; à cõcordiâ V. & N. T.

18. Ad *locum à maiori*, arg. à vi comparatiui vel superlatiui; à vi geminationis; à futuro actus continui; à comparatione præsentis mali cũ aliis malis; à præterito stili prophetici; à capite ad membra; à plenitudine potestatis; à combinatione duorũ vel plurium textuum; à magis probabili; à concordantiâ sacræ & profanæ historiæ; à concordantiâ historiæ & experientiæ.

19. Ad *locum à minori*, argum. à membris ad capita, & à minùs probabili. Argumentum à sensu comparato interdum ad maiora, interdum ad minora pertinet.

20. Ad *similia*, arg. à similitudine significationis; à typo ad rem typo significatam; ab externo ad internum; ab interno ad externum; à proportione; à concordantiâ naturæ & gratiæ; ab allegoriâ ad genuinam significationem.

21. Ad *dissimilia*, arg. à discrimine V. & N. T. & à discrimine legis & euangelii.

22. Ad *coniugata*, arg. à personâ ad rem.

23. Ad *notationem*, arg. à vi nominis.

24. Ad *locum distributionis*, arg. à genere ad speciem, & vicissim à specie ad genus; à sententiâ generali; à thesi ad hypothesin, & vicissim ab hypothesi ad thesin; ab exceptione ad regulam; à parte ad totum, & vicissim à toto ad partem; à generalitate; à diuisis ad coniuncta; à sensu diuiso.

25. Ad *locum definitionis*, arg. à definito ad definitionem, & vicissim à definitione ad definitum; à descriptione; ab hypotyposi.

26. Ad *locum testimonij* arg. ab authoritate; à naturâ, id est, à principiis naturaliter insitis; à communi opinione; ab experientiâ vniuersali & particulari; à consensu orthodoxo; à traditione rationabili; à consuetudine rationabili.

Hanc

Hanc tabulam inſpiciat tum proponens, tum opponens, & diſpiciat, quibus potiſſimùm argumentis poſſit vti. Confer ſuprà cum Oratoriâ.

VII. Res quæ poſſunt venire in diſputationem, debent eſſe piæ, neceſſariæ, dubię, vtiles, cognitu poſsibiles, perſpicuæ, & ſuccinctæ. *Piæ*; quia ea quæ lædunt conſcientiam & mores bonos, non ſunt in apricum proferenda, ſed ſepelienda. *Neceſſariæ*; quia turpe eſt ignorare neceſſaria, & moleſtũ accidit garrire de non-neceſſariis. *Dubiæ*; quia de rebus confeſſis & conceſſis diſputare eſt ſuperuacaneum. *Vtiles*; quia quæ neque ſcienti proſunt, neque ignoranti nocent, ex vitâ communi debent excludi. *Cognitu poßibiles*; quia de rebus, quæ captum noſtrum ſuperant, neque in verbo Dei reuelatæ ſunt, ſuperfluum, curioſum, & ſtultum eſt diſſerere. *Perſpicuæ*; quia veritas eſt clara. *Succinctæ*; quia amplificationes & excurſiones non conueniunt diſputationibus, ſed orationibus.

VIII. Modus diſputandi, ſiue id ſcripto fiat, ſiue viuâ voce; cernitur in oppoſitione & reſponſione.

IX. Oppoſitio eſt in ſyllogiſmo & proſyllogiſmo. *Syllogiſmus* opponentis eſt principale argumentum, quo ille aliquid oppugnat. *Proſyllogiſmus* eſt argumẽtum ſuccenturiatum, quo opponens ſyllogiſmum principalem, quoties opus eſt, inſtando & excipiendo premit.

X. Reſponſio fit conceſſione, vel ſolutione. *Conceßione*, ſi argumentum ab aduerſario oppoſitum legitimè ſit concluſum, & perſpicuum, nec theſin infirmet. *Solutione* contrá. Eſt autem ſolutio alia directa, alia indirecta. *Solutio directa* eſt, quæ rectà ad formam vel materiam reſpondet. *Ad formam*, indicando canonem ſyllogiſticum, in quem peccatur. *Ad materiam* verò, explicando inſolentia & obſcura; diſtinguendo ambigua; negando præmiſſa-

rum alteram, vel vtramq;, si falsitas insit; reiiciendo consequentiam; limitando, siue distinguendo, q̃ κατά τι vera sunt; & ad quæstionem, si fuerit peruersa aut mutata, reuocando. *Solutio indirecta* est, quæ fit retorquendo per βιαιον; æquè difficile opponendo καθ' ἀνθυποφοραν; in obiectione monstrando ἀσυναλον, id est, contradictionem; aut deniq; argumentum omninò reiiciendo κατ' ἀποδιωξιν. Videamus quædam exempla. *Esa.* 49. talis obiectio Iudæorum occupatur: *Iehoua dereliquit me.* Deus ad hoc antecedens, vtpote falsum, respondet hunc in modum: *Numquid obliuiscetur mulier infantis sui?* Et addit: *Etiamsi hæc obliuiscatur infantis sui; tamen ego non obliuiscar tui.* Qui negationis modus est planè artificiosus. *Matth.* 25. occupatur serui infidelis obiectio. *Noueram te hominem esse durum.* Ergo rectè feci, quando talentum mihi abs te cõcreditum defõdi. Seruator huic obiectioni sic occurrit, vt concesso antecedente, consequens retorqueat in ipsum obiicentẽ, seruum videl. infidelem, hoc modo: *Si noueras me metere, vbi non seuissem, & inde cogere, vbi non sparsissem, oportuit ergo te tradere pecuniam meam mensariis: & ego, cùm venissem, recepissẽ meum cum fœnore.* Aliquando respondetur ad consequentiam per inficiationem, cùm illa non est legitima: quomodo respondet apostolus *Rom.* 9. ad illam obiectionem: Si Deus Iacobum dilexit, & Esauum odio habuit, antequam nati essent, & nec boni, nec mali quidquam fecissent: ergo iniustitia est apud Deum. Apostolus negat cõsequentiam, & rationem negationis addit ex causâ istius iusti iudicii, quæ est voluntas Dei liberrima: nemini obstricta. Aliquando ita negatur consequentia, vt velut ex abundanti negetur & ipsum antecedens: vt *Iohan.* 8. Iudæi sic obiiciunt Christo: Nos sumus filii Abraham. Ergò nõ sumus serui. Respondet Christus, negando consequentiam, quasi dicat: Non sequitur, cùm sitis filii Abrahæ secundùm carnem, vos esse liberos, & non habere necesse, vt in libertatem asseramini. Rationem negationis addit: Peccatis subinde. Ergo serui estis. Deinde cùm Iudæi hãc

respon-

reſponſionem flocci facerent, & ſuum illud antecedens identidem ingeminarent; Chriſtus etiam antecedēs negat, & negationem aſtruit hoc modo: Si filii Abraham eſſetis, opera Abrahami faceretis. Interdum & antecedens & conſequens conceditur: conſequenti verò aut maius, aut par opponitur, atque obiectionem aduerſarii nos nō lædere, aut etiam pro nobis facere, oſtenditur. Sic *Mat. 15. v. 2. & ſeqq.* Iudæi obiiciunt Chriſto: *Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum, dum non lauant manus ſuas.* Ergo peccant. Chriſtus primò reſpondet, opponendo maius: *Et vos tranſgredimini mandatum Dei per traditionem veſtram.* Ergo peccatis. Antecedens confirmat *v. 4. 5.* Deinde *v. 10. & ſeqq.* etiam conſequentiam negat & confutat. *Luc. 6. v. 1. 2. & ſeqq.* Phariſæi accuſant diſcipulos Chriſti, quod violēt ſabbatum, vellendo ſpicas. Chriſtus reſpondet, *Nec hoc quidem legiſtis, quod fecit Dauid* &c. Quæ interrogatio vim habet reprehendendi, idque διλημμολικῶς. quaſi dicat Dominus: Si non legiſtis, pudeat vos ignorantiæ: ſi legiſtis, pudeat vos vel ſocordiæ, quòd non intellexiſtis; vel malitiæ, quod intellectum diſſimulatis, & de factis ſimilibus diſſimile iudicium fertis. *Luc. 20. v. 2. & ſeqq.* Chriſtus non directè ſeu apertè reſpondet ad quæſtionem ſibi propoſitam, idque non ideò, quòd vellet declinare reſponſionē ad iſtā quęſtionem, ſed vt reſponſionem aliquam ad ſuam quæſtionem ex aduerſariis eliceret, ſuamq; reſponſionem confeſſione aduerſariorum confirmaret. Si enim illi ad quæſtionem ipſius verum reſponſum dediſſent, nempe ſe ſtatuere baptiſmum Iohannis fuiſſe è cœlo: Dominus inde deduxiſſet reſponſum ad quæſtionem ſibi propoſitā, nempe ſe ea quæ fecerat & adhuc faciat, feciſſe & facere poteſtate diuinitùs ſibi datâ: quia nimirum Iohannes dederat ipſi teſtimonium, quòd ipſe ſit Chriſtus. Cùm verò aduerſarii obmutęſcerent, Chriſtus argumentatur à pari: Si vos non vultis mihi reſpondere ad quæſtionem meam; pari ratione nec ego reſpondebo ad quæſtionem veſtrā: cùm duo iſta in pari iure verſentur. *Ioan. 8. v. 3. & ſeqq.* Scribæ, &

bæ & Phariſæi ſperant, ſe Domino certò periculum creaturos, tali dilemmate: *Aut abſoluet hanc adulteram, aut condemnabit. Si abſoluet eam, accuſabimus eum, vt aduerſarium legis. Si condemnabit, accuſabimus eum, vt ſibi non conſtantem; quippe qui meretrices & publicanos aliás in gratiam recipit.* Sed CHRISTVS ipſo geſtu euertit ratiocinationis iſtius fundamentum, hoc eſt, hypotheſin, quâ illa nititur, nempe diſiunctum ipſum; quia neutrum facit. Vnde conſtat dilemma non fuiſſe legitimum: vtpote cuius propoſitio nõ fuit ex immediatè oppoſitis. Porrò Chriſtus interdum explicitè reſpondit, vt *Matth. 22. verſ. 20. 21. 32.* interdum implicitè, vt *Matth. 22. verſ. 29. 30.* Cæterùm breuiter hic colligamus *fallaciarum genera. Fallacia* eſt formæ, vel materiæ. *Fallacia formæ* eſt, quando violatur canon aliquis ſyllogiſticus. *Fallacia materiæ* eſt vocis, vel rei. *Vocis*, ſimplicis vel coniunctæ. *Simplicis*, Inſolentia, vel Ambiguitas. *Inſolentia* eſt fallacia vocis, obſcuritate decipiens. *Ambiguitas* eſt fallacia vocis, multitudine ſignificationum decipiens. *Fallacia vocis coniunctæ* eſt Amphibolia, vel Fallacia compoſitionis & diuiſionis. *Amphibolia* eſt, cùm ſententia decipit ambiguitate. *Fallacia compoſitionis & diuiſionis* eſt, cùm diſiunguntur coniungenda, & contrà. *Fallacia rei* eſt medii termini, vel propoſitionum. *Fallacia medi termini* eſt petitio principii, vel falſi argumenti pro vero ſumtio. *Petitio principii* eſt, cùm, quod in quæſtione eſt, adfertur pro argumento. *Aſſumtio falſi medii* eſt, cùm pro argumento adfertur, quod argumentum non eſt. Idque tot modis fieri poteſt, quot ſunt argumentorum loci. Hinc eſt fallacia ſiue elenchus cauſæ, effecti, ſubiecti &c. *Fallacia propoſitionum*, eſt præmiſſarum, vel concluſionis. *Præmiſſarum* eſt, 1. *fallacia conſequentiæ*, quando in maiore propoſitione partes nõ cohæret. 2. *fallacia à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter*, cùm ex limitato cõcluditur abſolutum. *Fallacia concluſionis* eſt 1. πολυζητήσεως, cùm quæſtiones cumulantur. 2. ἐπεροζητήσεως, cùm argumentum aduerſarii noſtram ſententiam non attingit: quæ dicitur ignoratio elenchi.

LXIV. *Iu-*

LXIV.

IVDICIVM DE MAGIA EX SACRIS COLLECTVM.

I. MAgia (quibuſdam Pneumatica) eſt pura, vel impura. Vox μάγος eſt Perſica, vt ex Platone, Xenophonte, Strabone, Diogene Laërtio, & pluribus aliis conſtat. Affirmat idem *Plinius initio lib.* 30. Hoc igitur primùm conſtare debet, Magos propriè dictos, Perſarum ſapientes fuiſſe, vel ſacerdotes. Nam Herodotus, Strabo, atque alij, præcipuum illorum officium fuiſſe oſtendunt, vt ſacra Perſarum curarent, & ſapientiam profiterentur. Græci, cùm de Perſicis rebus hanc vocem vſurpant, nunquam aliter accipiunt: at longè aliter, cùm de magis illis, qui inter ipſos Græcos occultarũ ſcientiarum notitiam profitebantur. Tunc enim in malam partem, vt plurimum, id verbi accipitur, quia plerique religionis & arcanæ ſcientiæ obtentu, artes maleficas exercebant: vnde querela illa Plinij & cum ipſius, tum aliorum multorum, deteſtatio magiæ.

Et Philo Iudæus variis locis duplicem facit magicã: legitimam vnam, circa cognitionem naturæ verſantem, regibus maximis, præcipuè Perſarum, coli ſolitam: alteram πλάνημα παύτης, adulterationem prioris. Æquiuoca igitur eſt vox μάγος, & μαγία. Bonam in partem accipitur *Matth.* 2. *v.* 1. vbi euangeliſta ſe explicat, cùm dicit, *Magi ab oriente*: nempe magos intelligit Perſarum, ad quos propriè illa appellatio pertinuit.

II. Magia pura eſt naturalis, vel mathematica. Hæc partitio colligitur ex *Baſilio Magno*, cuius verba ſunt in natiuitate Chriſti de Magis: ἔθνος Περσικὸν τὸ μάγοι, μαντείαις, καὶ ἐπαοιδαῖς, καὶ φυσικαῖς πισὶν ἀνλιπαθείας προσέχοντες, καὶ τελὼ τήρησιν τῶν μεταρσίων ἐχολακότες, *Magi ſunt populus Perſicus, vaticiniis & incantationibus deditus, & obſerua-*

ſeruationi repugnantium proprietatum in rebus naturalibus: obſeruationibus item rerum cœleſtium vacant. Sanè magos illos, de quibus in euangelio, fuiſſe deditos inter alia rebus cœleſtibus, illarumq; contemplationi, vel hinc poteſt conſtare: quòd Deus ipſis obiecit ſtellam doctorem & ductorem. Nimirum ſolet Deus homines erudire per ea, quæ ipſis familiariter ſunt nota. Cum quâ ſententiâ non pugnat, quod plerique Patrum obſeruant: extitiſſe inter Perſas memoriam prophetiæ à Balaamo editæ *Num. 23. v. 7. Deut. 23. v. 4.* Vtrumque enim potuit fieri.

III. Magia naturalis eſt, quæ ſingulari paucisque cognito modo docet maritare naturas, hoc eſt, applicare actiua paſſiuis. Hæc definitio ſumta eſt ex Concluſionibus Iohannis Pici. Vnde patet, magum rectè à Plotino vocari *naturæ miniſtrum*: & Ficinum in conuiuio Platonis nõ ſine causâ ita ſcribere: *Magicæ opera, naturæ opera ſunt. Ars verò miniſtra. Ars enim, vbi naturali cognationi deeſt aliquid, per vapores, numeros, figuras, qualitates, opportunis ſupplet temporibus: quemadmodum in agriculturâ natura ſegetes parat, ars præparat.* Quibus verbis vir doctiſſimus totam magiæ naturalis & mathematicæ artem ponit ob oculos. Magiæ naturalis exemplum eſt *Gen. 30. v. 37. 38. 39.* vbi Iacob, iuſſu Dei procul dubio, accepit baculos ex albâ populo virentes, coryloque, & platano: & decorticauit in eis ſpatia decorticationis alba, denudando alburnum quod erat in baculis iſtis. Poſtea baculos ita decorticatos collocauit in canalibus & aqualiculis: vt pecudes venientes ad bibendum incaleſcerent ad illas virgas, & incaleſcendo coirent, & inter coeundum intuerentur virgas diuerſicolores, & per imaginationem vehementem, eiuſdem coloris fœtus conciperent.

IV. Magia mathematica eſt, quæ vim numerorum, figurarum, motuum cœleſtium, & temporum explicat & obſeruat. *Vim numerorum*: quatenus ſcilicet numerus, non nudus, ſed in certâ materiâ

teriâ consideratur. Videmus enim res omnes certo constare numero, absque quo nihil in mundo potest agere. Videmus duo, tria, quatuor, quinque &c. ritè coniuncta, alium atque alium edere effectum. *Vim figurarum*: quatenus triangula, quadrata, circuli, coni, pyramides, & aliæ figuræ diuersis actionibus inseruiunt. Videmus enim v.g. circularem figuram ad motum, quadratam ad quietem esse aptissimam. *Vim motuum cœlestium*: quia diuersi stellarum motus, positus, aspectus, & influxus, diuersa causantur in mundo sublunari. Denique *vim temporum*: quatenus diuersa tempora diuersis rebus conueniunt: vt ver, æstas, autumnus, hyems, dies, nox, solstitium, æquinoctium, &c.

V. Magia impura & infamis est, quæ præstigiis, incantationibus, coniurationibus, & similibus modis vtitur, & pacto cum dæmone nititur. Huius artis vetitæ professores fuerunt sapientes & præstigatores Pharaonis. *Exod.7.v.14.15.25. cap.8.v.7.* Tales etiam fuerunt magi, astrologi, præstigiatores & Chaldæi, regis Nebucadnezaris *Dan.2.v.2.* Etsi enim magi Ægyptij & Chaldæi procul dubio fuerunt etiam periti magiæ naturalis & mathematicæ: tamen illam cõspurcarunt magiâ impurâ, & eam tantùm non obscurarunt atque suffocarunt: quemadmodum in his rebus vsuenire solet. Inter magos Ægyptios, qui restiterunt Mosi, videntur præcipui, & velut coryphæi, fuisse, duo illi, quos apostolus nominat *2.Tim.3.v.8.* videl. Ioannes & Iambres, quorum etiam Hebræi meminerunt in *Talmud, de oblationibus cap.9.* In nouo testamento infames magi sunt Simon magus *Act.8.* & Bariehu siue Elimas *Act.13.* Porrò hæc infamis magia est diuinatrix, vel operatrix. Illa perficitur verbis, hæc constat variis actionibus: vtraque nititur pacto cum diabolo, eoque vel expresso vel tacito. Vide inter alios *Martinum Delrio in disquisitionibus magicis*, *Peucerum de diuinatione*, & *Wierum de præstigiis*. De nouem speciebus

artium Magicarum à Moſe prohibitarum vide ſupra Iuriſprudentiam ſacram.

LXV.

STRATAGEMATOGRAPHIA SACRA.

I. STratagematographia ſacra eſt pars ethicæ, œconomicæ & politicæ de ratione ſtratagematum in Scripturâ occurrentium.

II. Stratagema eſt callidum & tempeſtiuũ factum. Hæc eſt generalis notio huius vocis. Specialiter eſt factum callidum, quo dux exercitus circumuenit hoſtem. Eſt autem *ſtratagema* ſimplex, vel mixtum. Stratagema ſimplex eſt bonum, vel malum: mixtum eſt, vbi bono coniunctum eſt malum. Quod attinet ad ſtratagema bonum ſimpliciter, iſtud eſt ſpecies illius *doli*, qui appellatur *bonus*, & definitur ſolertia prudenter & ingeniosè decipiens. Dolo bono opponitur *dolus malus*, qui eſt machinatio ad alium cum iniquitate decipiendum. Hinc patet deceptionem eſſe licitam, vel illicitam. Ita videmus parentes ſæpenumerò decipere liberos, ipſorũ bono. Huc pertinet, quod vulgo dicitur de piâ fraude.

III. Stratagema eſt ethicum, œconomicum, vel politicum. Aliâs dicitur ſophiſma ethicum, œconomicũ & politicum: cui opponitur ſophiſma logicum. Stratagema ethicum eſt mixtum & non-liquidum: œconomicum & politicum eſt ſimplex, planum, & liquidum.

IV. Stratagema ethicum eſt, quo res ita geritur, vt cum virtute ethicâ vel etiam verâ fide concurrat vitium. Nobile huius ſtratagematis exemplum eſt *Gen.* 27. *v.* 11. *& ſeqq.* Nam ibi Rebecca ex fide agit, quòd poſthabito cõſilio mariti operam dedit, vt dominatus Iacobo diuinitùs promiſſus in illum conferretur.

tur. Sed in eo peccauit, quòd huc adhibuit mendacium. Similiter Iacob ex fide egit, quòd posthabitâ offensione patris ac fratris, operam dedit, vt benedictionem primogenito debitam consequeretur, atque ita dominus fratris ex Dei promisso constitueretur. Sed peccauit in eo, quòd & ipse mentitus est, & nomine Dei abusus, *v.* 22. Rebecca debuisset Isaaco in memoriam reuocare promissionem Dei, eumque hortari, ne quid contra illam ageret: simulq; Deum orare, vt animum illius flecteret ad locum dandũ admonitioni suæ. Cur verò, inquiat aliquis, Deus consilium suũ voluit exequi per huiusmodi stratagema, quod non caret peccato? Resp. Deus, qui finem constituerat, idem quoque modum multiplicem iustitiâ coniunctum habebat ad manum, vt finem consilij sui reuelationisque assequeretur. Sed placuit ipsi, peccatum Isaaci castigare peccato Rebeccæ & Iacobi. Nam Isaacus in eo peccauit, quòd posthabitâ voluntate Dei, ex affectu humano aliquid diuinæ voluntati contrarium molitus est. Sciebat enim, diuino oraculo Rebeccæ dato minorem suũ filium maiori prælatum esse: & nihilominus tamen dominatum attribuere volebat maiori. Hanc infirmitatẽ Isaaci Deus sine peccato castigauit peccato, id est, dolo & mendacio tum Rebeccæ, tum Iacobi. Huius quoque stratagematis exemplũ est *Gen.* 29. *v.* 23. vbi Laban Iacobo tradit Leam pro Rahele, quam tamen ipsi promiserat: item *Ios.* 9. vbi Gibeonitæ falsâ narratione *versicul.* 9. 10. 12. 13. obtinent à Iosuâ, vt in fœdus recipiantur. Frausista moderatis pœnis à Iosuâ est castigata, *versic.* 21. *& sequen.* Etsi autem Gibeonitæ non rectè fecerunt, quòd mentiti sunt: Iosua tamen rectè fecit, quòd iusiurandum, religiosè factum, religiosè seruauit. *v.* 18. 19. 20. Eiusdem naturæ est stratagema Iabesitarum 1. *Sam.* 11. *v.* 10. Mentiti enim sunt, cùm affirmarunt, quòd vellent se Ammonitis dedere, quod tamen in animo non habuerunt. Idem iudicium est de stratagemate Iudith, quod ipsum quoque fuit coniunctum mendacio. *Iudith* 10. *vers.* 12. *& seqq.* item Ptolemæi

Maccab. 16. verſ. 15. Sed concludamus hoc de ſtratagemate ethico, eleganti allatâ regulâ: *Dolus, qui vacat expreſſo mendacio, bonus eſt*: cuiuſmodi eſt dolus ille, qui conſtat ſimulatione facti, cuius exempla iam ſequuntur.

V. Stratagema œconomicum eſt, quod facit ad compendium rei familiaris, neq; coniunctum eſt cum aliquo vitio. Stratagema ethicũ appellauimus mixtum, quia habet admixtũ mendacium: item non-liquidum, quia primâ fronte non liquet fraus & dolus malus. Aliter ſe habent ſtratagemata œconomica & politica. Illa ſiquidem ſunt ſimplicia & liquida, ſiue plana. Poteſt etiam dici ſtratagema ethicum eſſe mixtum, quia facto miſcetur dictum falſum. Sed videamus exemplum ſtratagematis œconomici. Longè pulcherrimum eſt artificium illud Iacobi *Gen.* 30. vbi legitur virgas verſicolores ſubieciſſe in aqualiculos, vbi cùm aquarentur pecudes, incaleſcebant, & incaleſcentes ad aſpectum virgarum verſicolorum, varios & verſicolores edebant fœtus. Occurrit & aliud artificium, quòd fœtus verſicolores ita ſeponebantur, ex contractu, à Iacobo, vt ſemper verſarentur ante oculos gregis quem ſibi ſeruabat: ac proinde ex vnicoloribus varii & verſicolores fœtus itidem ederentur. Acceſſit & hæc ars, quòd pecudes compactas & vegetas, cùm incaleſcerent, hoc modo Iacob informabat, cùm incaleſcerent, alias ſerotinas non item. Hîc duplex incidit quæſtio, vna facti, vtrum fieri hoc poſſit: altera iuris, vtrum iuſtè Iacob has artes occupauerit? Reſp. ad 1. Fieri hoc poſſe, conſtat ex eo, quòd maxima vis eſt phantaſiæ in naturâ. Cùm verò ad naturã peculiaris Dei reuelatio acceſſerit, ideò ampliùs fieri potuit, ad Iacobi commodum diſpẽſante prouidentiâ Dei. Reſp. ad 2. Videtur Iacob ſecundùm cõmunem vſum à dolo malo excuſari non poſſe, cùm arte eiuſmodi interuerterit rei alienæ commoda, eaq; in rem ſuam verterit. Verùm conſilij huius author fuit Deus: & finis Iacobo non fuit propoſitus,

tus, vt rem alienam interciperet, sed vt tantum percipe-ret, quantum suâ benedictione Deus esset largiturus: de-nique media adhibita non aduersantur naturæ, sed sunt ex naturâ: neque etiam aduersantur contractui bonæ fi-dei inter Labanem & Iacobum, quia Iacob bonâ fide La-bani dixit, se ab ipso non petere quidquam, sed à Domi-no expectare, qui suâ dispensatione sit effecturus, *vt ipsius iustitia attestetur ipsi*: quâ vnicâ exceptione probatur bona fides Iacobi, quia totam actionẽ subiecit voluntati Dei. Deus autem voluntate suâ ad iustè dispensandam merce-dem Iacobo media imperauit, quæ Iacob bonâ fide se-cundùm Deum est executus. Teneatur hîc regula: *Opus non est malum, quod ex consilio, fine, & mediis constat bonis.*

VI. Stratagema politicum est, quo hostis decipitur & vincitur ex insidiis. De huiusmodi stratagematis eleganter scribit *Augustinus quæst.* 10. *super Iosuam*: Cùm iustum bellum suscipitur, vtrum apertè quis pugnet, an ex insidiis, nihil ad iustitiam interest. Tale fuit stratagema quod Deus mandauit populo *Exod.* 14. *v.* 2. & Iosuæ in expugnatione Aii. *Ios.* 8. Gibeonis *Iudic.* 7. *v.* 17. *& seqq.* item Israelitarum in expugnandâ Gibeâ. *Iud.* 20. itẽ Ehudi in obtruncando rege Eglon. *Iud.* 3. *v.* 16. *& seqq.* itẽ Iudæ Maccabæi 2. *Maccab.* 8. *v.* 7. *& c.* 14. *v.* 29, vbi strata-gema Nicanoris fuit elusum stratagemate Iudæ Macca-bæi: item sacerdotum Nanææ aduersus Antiochum. 2. *Maccab.* 1. *v.* 13. Sed concludamus hanc Stratagematogra-phiam duabus hisce regulis. 1. *A Deo petendum est vtrumq; & veritas iuris, & commoditas facti.* 2. *Militia Christia-na non infima pars est, stratagematis piis vincere diabolum, carnem, & mun-dum.*

INDEX

INDEX TITULORUM TRIUMPHI BIBLICI.

TRes sunt veluti sectiones huius triumphi Biblici. Prima ordine explicat quatuor facultates, philosophiã, theologiam, iurisprudentiam, & medicinam. Secunda exhibet particulas facultatum & disciplinarum liberalium. Tertia proponit illos titulos, qui sunt veluti farrago plurium facultatum & artium.

I. FACVLTATES QVATVOR.

I. Præcognita. Pag. 1
II. Archelogia. 2
III. Hexilogia. 7
IV. Technologia. 10
V. Didactica. 15
VI. Philosophia in genere. 21
VII. Prima philosophia, seu metaphysica. 27
VIII. Pneumatica. 52
IX. Physica, sub quâ continentur Physica generalis, Physica specialis de luce & stellis, Botanica, Oryctologia, Meteorologia, Ichthyologia, Ornithologia, Theriologia, Anthropologia, Cosmologia. 61
X. Arithmetica. 105
XI. Geometria. 109
XII. Cosmographia 115
XIII. Vranoscopia, sub quâ Sphærica & Computus. 116
XIV. Geographia. 130
XV. Optica. 142
XVI. Musica. 148
XVII. Architectonica. 155
XVIII. Ethica. 165
XIX. Oeconomica. 188
XX. Politica. 198

XXI. Scholastica. 209
XXII. Lexica. 214
XXIII. Grammatica. 215
XXIV. Rhetorica. 216
XXV. Logica. 230
XXVI. Oratoria. 249
XXVII. Poëtica. 256
XXVIII. Mnemonica. 266
XXIX. Iurisprudentia sacra. 273
XXX. Medicina sacra. 281
XXXI. Theologia positiua. 286
XXXII. Theologia naturalis. 388
XXXIII. Theologia catechetica. 391
XXXIV. Theologia didactica. 405
XXXV. Theologia irenica. 489
XXXVI. Theologia casuum. 411
XXXVII. Theologia prophetica. 412
XXXVIII. Theologia moralis. 413

II. PARTICVLÆ FACVLTATVM ET ARTIVM.

XXXIX. Εὐζωία sacra. 413
XL. Εὐθανασία sacra. 416
XLI. Ars bene precandi. 418
XLII. Paradoxologia sacra. 425
XLIII. Ciuilitas morum sacra. 427
XLIV. Polemica sacra. 434

III. FARRAGINES FACVLTATVM ET ARTIVM.

XLV. Pathologia sacra. 438
XLVI. Lithologia sacra. 441
XLVII. Biographia sacra. 443
XLVIII. Hygiastica sacra. 447
XLIX. Historica sacra. 460
L. Chronologia sacra. 463
LI. Epitome historiæ & chronologiæ sacræ. 469

LII. Prosopographia sacra. 495
LIII. Topographia sacra. 561
LIV. Hieroglyphica sacra. 584
LV. Gnomologia sacra. 589
LVI. Critica sacra. ibid.
LVII. Epistolica sacra. 590
LVIII. Artificium distinguendi sacrum. 591
LIX. Prædicamenta sacra. 592
LX. Collatio Logicæ cum Grammaticâ ex S. literis. 597
LXI. Cabbala sacra. 599
LXII. Alchymia sacra. 601
LXIII. Ars disputandi ex sacris collecta. 604
LXIV. Iudicium de magiâ ex S. literis collectum. 613
LXV. Stratagematographia sacra. 616

PERORATIO TRIVMPHI BIBLICI.

EAnt nunc delicati philosophiæ gentilis amatores an pertinaces admiratores, iidemque sacrorum Bibliorum profani contemtores, & dicant, nihil philosophiæ profundioris in sacro isto codice occurrere. Profectò hæc nostra delineatio abundè satis erit ad illos conuincendum, inque viam rectam reducendum. Quòd si lineamenta ista, quæ ego primus ita duxi, amplificentur, magis magisque patebit verum esse illud nobis familiare: NON EST LIBER NISI SCRIPTVRA SACRA. Quâ quidem sententiâ hunc triumphum obsigno, Deum precatus, vt verbi sui lucem clementer in his turbis conseruet, ad nominis sui gloriam, & animæ salutem, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

FINIS.

ERRATVM.

Pag. 10. *linea* 11 *hæc desunt subijci verba in med.*
IV. TECHNOLOGIA SACRA.